HD WIDENER
HW JLH9 T

Digitized by Google

Harvard College
Library

FROM THE BEQUEST OF

JOHN HARVEY TREAT

OF LAWRENCE, MASS.

CLASS OF 1862

Digitized by Google

Digitized by Google

1078

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

2528

PSALTERIUM MARIANUM

SERAPHICI DOCTORIS S. BONAVENTURÆ

UNA CUM

PSALMIS, HYMNIS, TRACTIBUS, ET ORATIONIBUS

EX S. SCRIPTURA, SS. PATR. ET ECCLESIÆ DOCT. OPERIBUS

DEPROMPTIS

IN HONOREM BEATISSIMÆ VIRGINIS

CURA ET STUDIO

FR. JOANNIS ANGELERI

MIN. CONV. S. FRANCISCI

EDITIO SECUNDA EMENDATA ET AUCTA

ROMÆ

EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA

S. C. DE PROPAGANDA FIDE

MDCCCLXXIII.

J.B. ROLLAND & FILS
NÉGOCIANTS

Digitized by Google

C9459.653

HARVARD COLLEGE LIBRARY
TREAT FUND
CHARTRAND COLLECTION
JUNE 8, 1928

Editor sua sibi vindicat iura.

Digitized by Google

Æternæ salutis firmissimum esse pignus Sanctissimam Dei Genitricem, Sanctorum Patrum testimonia, ac perpetuus Ecclesiæ sensus mirifice commonstrant. Illa namque ab ipso mundi exordio, protoparentibus miserrime lapsis, illis Geneseos verbis promissa est: « Inimicitias ponam inter te et mulierem, semen tuum et semen illius: ipsa conteret caput tuum. » Quibus verbis Adam apprime intellexit, mulierem illam, quæ serpentis antiqui caput virtute sua contritura erat, non sibi soli tantum, sed et suæ soboli sospitatricem futuram. Hinc ipse Adam (1) « præsentia tangens, et futura prospiciens, » mulierem, quam sibi sociam Deus dederat, Hevam vocavit, matrem scilicet cunctorum viventium, etsi prius morti filios addixerit, antequam ipsos in lucem ediderit: eo quod vetus illa Heva Mariam præsignabat, novam et veram Hevam auctorem vitæ omnibus parituram. Etenim (2) « sicut per fœminam mors causata est, sic per fœminam salus dispensaretur: per illam voluntate deceptam, omnes mortui sumus, per hanc vivificaremur: non ea tantum accipientes a quibus excideramus, sed longe majora, ac præstantiora, quæ neque humanus intellectus concipere possit. » Qua de causa merito af-

(1) S. Petr. Dam. op. 31. c. 2. ric. 2. de disp. c. 3.
(2) Anastas. Antioch. Patriarch. Orat. in Annunt.

Digitized by Google

firmare licet (1): « Sicut Christus a rerum initio Salvator extitit Agnus occisus ab origine mundi: ita et Maria ab origine mundi fuit a Deo hominibus tamquam signum præsignata salutis: nec post Christum veniæ vitæque æternæ spem firmiorem certioremque ullam ipsa habere possumus. »

De hoc quidem nullum est dubium: nam S. Antoninus (2) indubitanter asserit, quod, sicut impossibile est, ut illi, a quibus Maria oculos suæ misericordiæ avertit, salventur; ita necessarium est, quod ii ad quos convertit oculos suos pro eis advocans, salventur, et glorificentur. Tantummodo velit nostram salutem, et vere nequaquam salvi esse non poterimus, « et æternum Væ non sentiet pro quo semel oraverit Maria. » Quapropter Seraphicus Doctor S. Bonaventura (3) extollens vocem omnibus inclamat: Omnes Gentes, quæ ingredi cupitis regnum Dei, Virginem Mariam honorate, et invenietis vitam æternam; qui acquirit gratiam ejus, agnoscetur a civibus Paradisi, et qui habuerit characterem nominis ejus, annotabitur in libro vitæ. Quid est hoc, inquit S. Bernardus, nisi devotionem erga Deiparam Virginem certissimum esse signum salutis æternæ consequendæ?

Ipsa sola vere maledictionem sustulit, et benedictionem portavit, januam paradisi aperuit. Et ideo merito dicitur Maria Stella maris: nam sicut (4) navigantes per stellam

(1) S. Anton. 4. p. t. 15. c. 4.
(2) S. Anton. 4. p. t. 50.
(3) S. Bonavent. in psalm. 45. 91.
(4) S. Thom. opuscul. in Ave.

Digitized by Google

maris diriguntur ad portum, ita Christi Fideles diriguntur ad gloriam per Mariam. Qua de causa, quis salvatur? Quis regnat in cælo? Illi (1) sane pro quibus Regina misericordiæ interpellat. Hinc merito (2) multi sancti sunt in cœlis ejus intercessione, qui numquam ibi fuissent, nisi per eam. Utique regnatis, subjungit S. Antoninus (3), et in perpetuum regnatis, o cœlites: dicite, quis istud beatum vobis regnum obtinuit? Maria, unanimiter dicunt, Regina misericordiæ cæleste nobis regnum suo interventu, auxiliis, et precibus impetravit: sumus Reges, sed per ejus misericordiam. Merito tandem Ecclesia ad Virginem sæpissime conversa, sic vel orat, vel canit: « Ave maris stella; janua cæli, spes nostra, salus ac vita nostra: » nec non et ea omnia sacræ Scripturæ loca ipsi accommodat, quibus Virgo haud dubium salutis nostræ pignus esse demonstratur, ut « Qui (4) me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino.... Qui (5) elucidant me, vitam æternam habebunt. »

Nec sanctissima Dei Genitrix propter anteactæ, aut præsentis vitæ nostræ sordes firmissimum salutis pignus esse desinit. Nemo enim (6) quantumcumque quis fuerit peccator, si Mariæ ut debet devotus extiterit,

(1) Dionysius Carth. apud Ligor. Glorie di Maria. c. 232. 233.
(2) Ugo Card. in Matth.
(3) S. Anton. 4. t. 15. c. 2. §. 1.
(4) Prov. 8. 35.
(5) Eccl. 24. 31.
(6) S. Hilarius Conc. 12 in Matth.

Digitized by Google

pœnitentiam agendo, umquam in æternum peribit. Maria tota (1) mitis est, tota serena, tota suavis, tota benigna, non solum justis et perfectis, verum etiam peccatoribus, et desperatis, quos, ut ad se ex corde clamare conspexerit, statim adjuvat, suscipit, fovet, amplectitur ut parvulos, diligit ut filios, et metuendo Judici reconciliat: nullum spernens, nulli se negat, omnes consolatur, omnibus sinum pietatis aperit, et vel tenuiter invocata, præsto adest: imo sua ingenita benignitate atque dulcedine, eos qui minus Deo afficiuntur, ad sui cultum blande allicit, potenterque excitat, ut per hujusmodi studium præparentur ad gratiam, et tandem apti reddantur Regno cælorum. Totis ergo (2) medullis cordium, totis præcordiorum affectibus et votis omnibus Deiparam hanc veneremur, ac beatis illius pedibus provolvamur: ipsam enim sequentes non deviamus: ipsam rogantes non desperamus: ipsam cogitantes non erramus: ipsa protegente non metuimus: ipsa propitia pervenimus. Nam devotum esse Dei Genitricis (3) est armatura quædam salutis, quam Deus dat tantum iis, quos vult salvos fieri. « Habentem (4) hanc devotionem, signum est permagnum prædestinationis ad gloriam. » Qui (5) Virgini famulatur ita securus est de Paradiso, ut jam si esset in Paradiso.

Mariam igitur orare, et toto corde invo-

(1) Blosius in Cantic. vit. spic. c. 18.
(2) S. Bernard. Serm. de 12. stellis.
(3) S. Joan. Damasc. Orat. in Annunt.
(4) B. Alanus. p. 2. Ros.
(5) Guerric. Abb. apud Lig. Glor. di Mar. c. 8. §. 3.

Digitized by Google

care debemus, quotidieque aliquo laudum obsequio prosequi. Jam vero inter tot tantaque devotionis obsequia, quæ Matri beatissimæ impendi solent, Officii recitatio summopere fidelibus commendata videtur, qua uberes innumerique percipiuntur fructus. Qua de re mihi optimum duxi, ut Virgini acceptum fore existimo Psalterium Marianum, ex Scriptura sacra, SS. Patrum, ac Doctorum, nec non et Ecclesiæ Scriptorum dictis concinnare, in quo Psalmi, Hymni, Cantica, Antiphonæ, Versiculi, Lectiones, et Orationes reperiuntur. Quod quidem commendatum adprecor non tantum Clientulis Mariæ addictissimis, verum etiam Prædicatoribus Verbi Dei, quibus media non pauca suppeditat, cum de Virginis laudibus verba sint facturi.

Digitized by Google

RUBRICA

SERVANDA IN OFFICIO B. MARIÆ V.

I. Officium B. Mariæ V. duplici modo recitari potest, vel cum psalmis Seraph. Doct. S. Bonaventuræ adscriptis, vel cum psalmis Davidicis.

II. Psalmi Davidici sunt quibus utitur Ecclesia in Officio Parvo Breviarii Romani, quique pro commoditate piorum fidelium in hoc Psalterio Mariano etiam positi reperiuntur distributi singulis hebdomadæ diebus in uno tantum nocturno.

III. Qui devotionis causa in recitatione quotidiana ejusdem Officii Parvi B. M. V. uti vellet methodo Mariana, ita se gerere debet: 1°. dicat Hymnos proprios pro nocturno, laudibus, horis, ac vesperis: 2°. loco trium lectionum Scripturæ, recitet tres lectiones proprias quotidianas, et pro tertio responsorio, hymnum: *Te Deum laudamus:* 3°. Antiphonæ et capitula pariter ibi notantur pro laudibus, vesperis, et horis in quibus, loco precum, dici debent responsoria brevia: 4°. ad laudes, omissis precibus, dicatur Oratio propria, quæ etiam repeti debet pro Tertia, Sexta, et Nona: 5°. Commemoratio Sanctorum adjungatur post Orationem Laudum, et Vesperarum.

IV. Item qui Officio Mariano se conformat pro Festis peculiaribus Beatissimæ Virginis advertat quod psalmi ad Matutinum et per Horas sunt iidem ac in Officio Parvo quotidiano, sed Antiphonæ, Hymni, Lectiones ac Capitula habentur propria ut in Festivitatibus respectivis, quæ omnia etiam valent pro earum octavis ut notantur in Appendice.

V. Tempore autem Adventus psalmi sunt iidem ac infra annum, sed antiphonæ ad Nocturnum,

Digitized by Google

Laudes, Benedictus, Horas ac ad Magnificat habentur propriæ in prima hebdomada pro toto tempore Adventus: Lectiones vero, singulis diebus, numeris assignantur.

VI. Tres lectiones nocturni, quæ quotidianæ vocantur, diversæ sunt pro singulis diebus, et inchoandæ ubi ad finem pervenerint.

VII. Ante lectiones præmittatur *Pater noster*, Absolutiones, ac Benedictiones.

VIII. Post octavam Nativitatis D. N. J. C. usque ad Epiphaniam exclusive, totum Officium sive divinum, sive Marianum erit ut in eadem solemnitate præter lectiones.

IX. Item post octavam Epiphaniæ usque ad Purificationem exclusive, totum Officium sive divinum, sive Marianum erit ut infra annum, exceptis antiphonis et oratione ad Laudes, et per horas, prout in fine Officii Parvi B. V. notatur.

X. Matutinum quotidianum (feriale) cum psalmis S. Bonaventuræ, uno tantum constat nocturno, ut dictum est de Officio Parvo, videlicet Invitatorio, Hymno, duodecim psalmis, sex antiphonis, tribus lectionibus, duobus responsoriis, et Hymno: *Te Matrem Dei laudamus.* Pro laudibus autem sunt octo psalmi cum antiphonis, Capitulo, Hymno, Cantico, et Oratione, ut in propriis feriis reperiuntur.

XI. In Festivitatibus B. Mariæ V. earumque octavis, Officium Marianum habet omnia propria, ut dictum est IV: at cum nocturnum novem constet psalmis, et tribus antiphonis, psalmi sunt tres per tres dividendi, ut sic tres antiphonæ aptentur, ut notatur in Append.

XII. In iisdem Festivitatibus earumque octavis, psalmi pro Laudibus et Vesperis desumendi sunt a Dominica: hymni vero, antiph. ad nocturnum et ℣. ut in singula Festivitate non obstantibus rubricis particularibus.

XIII. Matutinum Marianum quotidianum, duo-

Digitized by Google

decim constans psalmis, ut Officio divino Adventus conformetur, psalmi quatuor per quatuor sunt dividendi, et sic tres antiphonæ interponendæ. Lectiones autem sunt illæ numeris assignatæ, ut supra V.

ORATIO

præmittenda Matutino et Laudibus.

Aperi, Domine, os meum ad benedicendum nomen sanctum tuum: munda quoque cor meum ab omnibus vanis, perversis, et alienis cogitationibus: intellectum illumina, affectum inflamma, ut digne, attente, ac devote hoc Officium recitare valeam, et exaudiri merear ante conspectum divinæ Majestatis tuæ. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Domine, in unione illius divinæ intentionis, qua ipse in terris laudes Deo persolvisti, has tibi Horas persolvo.

Ante alias Horas

ORATIO

Actiones nostras, quæsumus Domine, aspirando præveni, et adjuvando prosequere: ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat, et per te cœpta finiatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

ORATIO

dicenda post Officium recitatum

Sacrosanctæ et individuæ Trinitati, crucifixi Domini nostri Jesu Christi humanitati, beatissimæ et gloriosissimæ semperque Virginis Mariæ fœcundæ integritati, et omnium Sanctorum uni-

Digitized by Google

versitati sit sempiterna laus, honor, virtus et gloria ab omni creatura, nobisque remissio omnium peccatorum, per infinita sæcula sæculorum.

℟. Amen.

℣. Beata viscera Mariæ Virginis, quæ portaverunt æterni Patris Filium.

℟. Et beata ubera, quæ lactaverunt Christum Dominum.

ABSOLUTIONES ET BENEDICTIONES

dicendæ ante Lectiones.

Pro Dominica, Feria II. et V.

Absolutio.

Precibus et meritis Beatæ Mariæ semper Virginis, et omnium Sanctorum, perducat nos Dominus ad regna cælorum.

℟. Amen.

Benedictiones.

Jube domne benedicere.

1. Nos cum prole pia benedicat Virgo Maria.

℟. Amen.

2. Ipsa Virgo virginum intercedat pro nobis ad Dominum.

℟. Amen.

3. Per Virginem Matrem, concedat nobis Dominus salutem et pacem.

℟. Amen.

Pro Feria III. et VI.

Absolutio.

Sancta Maria, et omnes Sancti intercedant pro nobis ad Dominum, ut nos mereamur ab eo ad-

Digitized by Google

juvari, et salvari; qui vivit, et regnat in sæcula sæculorum.

℟. Amen.

Benedictiones.

Jube domne benedicere.

1. Genitrix Dei Filii sit nobis pia, clemens, et dulcissima Mater.

℟. Amen.

2. Ignem divini amoris accendat Maria in cordibus nostris.

℟. Amen.

3. Per intercessionem Deiparæ sit Deus noster amor, et præmium æternum.

℟. Amen.

Pro Feria IV. et Sabbato.

Absolutio.

Per merita Matris nostræ Mariæ, a vinculis peccatorum nostrorum absolvat nos Omnipotens, et misericors Dominus.

℟. Amen.

Benedictiones.

Jube domne benedicere.

1. Per Virginem Matrem, ille nos benedicat, qui sine fine vivit, et regnat.

℟. Amen.

2. Cujus laudes canimus, ipsa intercedat pro nobis ad Dominum.

℟. Amen.

3. In præconiis Mariæ, sit Deo semper honor, et gloria.

℟. Amen.

Digitized by Google

OFFICIUM PARVUM

BEATÆ MARIÆ VIRGINIS

EXTRA ADVENTUM

AD MATUTINUM

Ave Maria, *secreto, quæ dicitur semper in principio omnium Horarum.*

℣. Domine labia mea aperies.

℟. Et os meum annuntiabit laudem tuam.

℣. Deus in adjutorium meum intende.

℟. Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri etc. Alleluja.

Quæ dicitur ad omnes Horas per totum annum, præterquam a Septuagesima usque ad Sabbatum sanctum: cujus loco dicitur:

Laus tibi Domine Rex æternæ gloriæ.

INVITATORIUM

Ave Maria, gratia plena: * Dominus tecum. *Repet.* Ave Maria.

PSALMUS 94.

VENITE, exultemus Domino, jubilemus Deo salutari nostro: præoccupemus faciem ejus in confessione, et in psalmis jubilemus ei.

Ave Maria, gratia plena: Dominus tecum.

Quoniam Deus magnus Dominus, et Rex magnus super omnes Deos: quoniam non repellet Dominus plebem suam, quia in manu ejus sunt omnes fines terræ, et altitudines montium ipse conspicit.

Dominus tecum.

Quoniam ipsius est mare, et ipse fecit illud, et aridam fundaverunt manus ejus: venite adoremus, et procidamus ante Deum: ploremus coram Domino, qui fecit nos, quia ipse est Dominus Deus noster; nos autem

Digitized by Google

populus ejus, et oves pascuæ ejus.

Ave Maria, gratia plena: Dominus tecum.

Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra: sicut in exacerbatione secundum diem tentationis in deserto: ubi tentaverunt me patres vestri, probaverunt, et viderunt opera mea.

Dominus tecum.

Quadraginta annis proximus fui generationi huic, et dixi: semper hi errant corde: ipsi vero non cognoverunt vias meas, quibus juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam.

Ave Maria, gratia plena: Dominus tecum.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto: sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Dominus tecum.

Ave Maria, gratia plena: Dominus tecum.

HYMNUS

Quem terra, pontus, sidera
Colunt, adorant, prædicant,
Trinam regentem machinam
Claustrum Mariæ bajulat.

Cui luna, sol, et omnia
Deserviunt per tempora,
Perfusa cœli gratia,
Gestant puellæ viscera.

Beata Mater, munere
Cujus supernus Artifex
Mundum pugillo continens,
Ventris sub arca clausus est.

Beata cœli nuntio,
Fœcunda Sancto Spiritu,
Desideratus gentibus
Cujus per alvum fusus est.

Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, et almo Spiritu
In sempiterna sæcula.
Amen.

Tres Psalmi sequentes dicuntur Dominica, Feria II; et v. ad Nocturnum.

Ant. Benedicta tu.

PSALMUS 8.

Domine Dominus noster, * quam admira-

bilo est nomen tuum in universa terra.

Quoniam elevata est magnificentia tua * super cælos.

Ex ore infantium, et lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos, * ut destruas inimicum, et ultorem.

Quoniam videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum: * lunam et stellas, quæ tu fundasti.

Quid est homo, quod memor es ejus? * aut filius hominis, quoniam visitas eum?

Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria et honore coronasti eum; * et constituisti eum super opera manuum tuarum.

Omnia subjecisti sub pedibus ejus, * oves et boves universas, insuper et pecora campi.

Volucres cæli, et pisces maris, * qui perambulant semitas maris.

Domine Dominus noster, * quam admirabile est nomen tuum in universa terra.

Gloria Patri.

Ant. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui.

Ant. Sicut myrrha.

PSALMUS 18.

CÆLI enarrant gloriam Dei, * et opera manuum ejus annuntiat firmamentum.

Dies diei eructat verbum, * et nox nocti indicat scientiam.

Non sunt loquelæ, neque sermones, * quorum non audiantur voces eorum.

In omnem terram exivit sonus eorum: * et in fines orbis terræ verba eorum.

In sole posuit tabernaculum suum: * et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo.

Exultavit ut gigas ad currendam viam: * a summo cælo egressio ejus.

Et occursus ejus usque ad summum ejus: * nec est qui se abscondat a calore ejus.

Lex Domini immaculata, convertens animas: * testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis.

Justitiæ Domini rectæ, lætificantes corda: * præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.

Digitized by Google

Timor Domini sanctus permanens in sæculum sæculi: * judicia Domini vera, justificata in semetipsa.

Desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum: * et dulciora super mel et favum.

Etenim servus tuus custodit ea, * in custodiendis illis retributio multa.

Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me: * et ab alienis parce servo tuo.

Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero: * et emundabor a delicto maximo.

Et erunt ut complaceant eloquia oris mei: * et meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.

Domine adjutor meus: * et redemptor meus.

Gloria Patri.

Ant. Sicut myrrha electa odorem dedisti suavitatis, sancta Dei Genitrix.

Ant. Ante torum.

PSALMUS 23.

DOMINI est terra, et plenitudo ejus: * orbis terrarum, et universi, qui habitant in eo.

Quia ipse super maria fundavit eum: * et super flumina præparavit eum.

Quis ascendet in montem Domini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens manibus et mundo corde, * qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo.

Hic accipiet benedictionem a Domino, * et misericordiam a Deo salutari suo.

Hæc est generatio quærentium eum, * quærentium faciem Dei Jacob.

Attollite portas principes vestras, et elevamini portæ æternales: * et introibit Rex gloriæ.

Quis est iste Rex gloriæ? * Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio.

Attollite portas principes vestras, et elevamini portæ æternales, * et introibit Rex gloriæ.

Quis est iste Rex gloriæ? * Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ.

Gloria Patri.

Ant. Ante torum hujus Virginis frequentate nobis dulcia cantica dramatis.

Digitized by Google

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.

℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

Pater noster.

℣. Et ne nos etc.

Absolutiones et Benedictiones. pag. XI.

Lectio I. Eccl. 24.

In omnibus requiem quæsivi, et in hæreditate Domini morabor. Tunc præcepit, et dixit mihi Creator omnium: et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo, et dixit mihi: In Jacob inhabita, et in Israel hæreditare, et in electis meis mitte radices. Tu autem Domine, miserere nobis.

℟. Deo gratias.

℟. Sancta et immaculata virginitas, quibus te laudibus efferam, nescio: * Quia quem cæli capere non poterant, tuo gremio contulisti.

℣. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. Quia.

Lectio II.

Et sic in Sion firmata sum, et in civitate sanctificata similiter requievi, et in Jerusalem potestas mea. Et radicavi in populo honorificato, et in parte Dei mei hæreditas illius, et in plenitudine Sanctorum detentio mea. Tu autem Domine, miserere nobis.

℟. Beata es, Virgo Maria, quæ Dominum portasti Creatorem mundi: * Genuisti qui te fecit, et in æternum permanes virgo.

℣. Ave Maria, gratia plena: Dominus tecum. Genuisti.

Lectio III.

Quasi cedrus exaltata sum in Libano, et quasi cypressus in monte Sion: quasi palma exaltata sum in Cades, et quasi plantatio rosæ in Jericho. Quasi oliva speciosa in campis, et quasi platanus exaltata sum juxta aquam in plateis. Sicut cinnamomum, et balsamum aromatizans odorem dedi: quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris. Tu autem Domine, miserere nobis.

℟. Felix namque es, sacra virgo Maria, et omni laude dignissima: * Quia ex te ortus est sol justitiæ, * Christus Deus noster.

Digitized by Google

℣. Ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto femineo sexu: sentiant omnes tuum juvamen quicumque celebrant tuam sanctam commemorationem. Quia.

Gloria Patri.

Christus.

Si ordo tenetur Psalterii S. Bonaventuræ, tunc loco lectionum ut supra, dicuntur lectiones quotidianæ, vel illæ in Festis Beatæ M. V. aut eorum octavis, et loco tertii responsorii, dicitur sequens

HYMNUS.

TE Deum laudamus: te Dominum confitemur.

Te æternum Patrem: omnis terra veneratur.

Tibi omnes Angeli: tibi cæli, et universæ potestates.

Tibi Cherubim et Seraphim: incessabili voce proclamant.

Sanctus, Sanctus, Sanctus: Dominus Deus Sabaoth.

Pleni sunt cæli et terra: Majestatis gloriæ tuæ.

Te gloriosus Apostolorum chorus.

Te Prophetarum laudabilis numerus.

Te Martyrum candidatus laudat exercitus.

Te per orbem terrarum, sancta confitetur Ecclesia.

Patrem immensæ Majestatis.

Venerandum tuum verum, et unicum Filium.

Sanctum quoque Paraclitum Spiritum.

Tu Rex gloriæ Christe.

Tu Patris sempiternus es Filius.

Tu ad liberandum suscepturus hominem: non horruisti Virginis uterum.

Tu devicto mortis aculeo: aperuisti credentibus regna cælorum.

Tu ad dexteram Dei sedes: in gloria Patris.

Judex crederis esse venturus.

Te ergo, quæsumus, tuis famulis subveni: quos pretioso sanguine redemisti.

Æterna fac cum Sanctis tuis: in gloria numerari.

Salvum fac populum tuum, Domine: et benedic hæreditati tuæ.

Et rege eos: et extolle illos usque in æternum.

Digitized by Google

Per singulos dies, benedicimus te.

Et laudamus nomen tuum in sæculum: et in sæculum sæculi.

Dignare Domine die isto: sine peccato nos custodire.

Miserere nostri Domine: miserere nostri.

Fiat misericordia tua Domine super nos: quemadmodum speravimus in te.

In te Domine speravi: non confundar in æternum.

AD LAUDES

℣. Deus in adjutorium meum intende.

℟. Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri. Alleluja.

Ant. Assumpta est.

PSALMUS 92.

DOMINUS regnavit, decorem indutus est: * indutus est Dominus fortitudinem, et præcinxit se.

Etenim firmavit orbem terræ, * qui non commovebitur.

Parata sedes tua ex tunc: * a sæculo tu es.

Elevaverunt flumina, Domine: * elevaverunt flumina vocem suam.

Elevaverunt flumina fluctus suos, * a vocibus aquarum multarum.

Mirabiles elationes maris, * mirabilis in altis Dominus.

Testimonia tua credibilia facta sunt nimis: * domum tuam decet sanctitudo Domine in longitudinem dierum.

Gloria Patri.

Ant. Assumpta est Maria in cælum, gaudent Angeli, laudantes benedicunt Dominum.

Ant. Maria Virgo.

PSALMUS 99.

JUBILATE Deo omnis terra, * servite Domino in lætitia.

Introite in conspectu ejus, * in exultatione.

Scitote quoniam Dominus ipse est Deus: * ipse fecit nos, et non ipsi nos.

Populus ejus, et oves pascuæ ejus: * introite portas ejus in confessione, atria ejus in hymnis: confitemini illi.

Laudate nomen ejus, quoniam suavis est Dominus, in æternum misericordia ejus, * et usque in generationem,

Digitized by Google

et generationem veritas ejus.

Gloria Patri.

Ant. Maria virgo assumpta est ad æthereum thalamum, in quo Rex regum stellato sedet solio.

Ant. In odorem.

PSALMUS 62.

DEUS Deus meus, * ad te de luce vigilo.

Sitivit in te anima mea, * quam multipliciter tibi caro mea.

In terra deserta, et invia, et inaquosa: * sic in sancto apparui tibi, ut viderem virtutem tuam, et gloriam tuam.

Quoniam melior est misericordia tua super vitas: * labia mea laudabunt te.

Sic benedicam te in vita mea: * et in nomine tuo levabo manus meas.

Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea: * et labiis exultationis laudabit os meum.

Si memor fui tui super stratum meum, in matutinis meditabor in te: * quia fuisti adjutor meus.

Et in velamento alarum tuarum exultabo, adhæsit anima mea post te: * me suscepit dextera tua.

Ipsi vero in vanum quæsierunt animam meam, introibunt in inferiora terræ: * tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt.

Rex vero lætabitur in Deo, laudabuntur omnes, qui jurant in eo; * quia obstructum est os loquentium iniqua.

PSALMUS 66.

DEUS misereatur nostri, et benedicat nobis: * illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri.

Ut cognoscamus in terra viam tuam: * in omnibus Gentibus salutare tuum.

Confiteantur tibi populi Deus: * confiteantur tibi populi omnes.

Lætentur et exultent Gentes: * quoniam judicas populos in æquitate, et Gentes in terra dirigis.

Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes: * terra dedit fructum suum.

Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus: * et metuant eum omnes fines terræ.

Gloria Patri.

Digitized by Google

Ant. In odorem unguentorum tuorum currimus, adolescentulæ dilexerunt te nimis.

Ant. Benedicta.

CANTICUM

trium puerorum. Dan. 3.

BENEDICITE omnia opera Domini Domino: * laudate, et superexaltate eum in sæcula.

Benedicite Angeli Domini Domino: * benedicite cæli Domino.

Benedicite aquæ omnes, quæ super cælos sunt, Domino: * benedicite omnes virtutes Domini Domino.

Benedicite sol et luna Domino: * benedicite stellæ cæli Domino.

Benedicite omnis imber et ros Domino: * benedicite omnes spiritus Dei Domino.

Benedicite ignis et æstus Domino: * benedicite frigus et æstus Domino.

Benedicite rores et pruina Domino: * benedicite gelu et frigus Domino.

Benedicite glacies et nives Domino: * benedicite noctes et dies Domino.

Benedicite lux et tenebræ Domino: * benedicite fulgura et nubes Domino.

Benedicat terra Dominum: * laudet et superexaltet eum in sæcula.

Benedicite montes et colles Domino: * benedicite universa germinantia in terra Domino.

Benedicite fontes Domino: * benedicite maria et flumina Domino.

Benedicite cete et omnia quæ moventur in aquis, Domino: * benedicite omnes volucres cæli Domino.

Benedicite omnes bestiæ et pecora Domino: * benedicite filii hominum Domino.

Benedicat Israel Dominum: * laudet et superexaltet eum in sæcula.

Benedicite sacerdotes Domini Domino: * benedicite servi Domini Domino.

Benedicite spiritus et animæ justorum Domino: * benedicite sancti et humiles corde Domino.

Benedicite Anania, Azaria, Misael Domino: * laudate et superexaltate eum in sæcula.

Digitized by Google

Benedicamus Patrem et Filium cum sancto Spiritu : * laudemus et superexaltemus eum in sæcula.

Benedictus es Domine in firmamento cæli: * et laudabilis, et gloriosus, et superexaltatus in sæcula.

Ant. Benedicta filia tu a Domino : quia per te fructum vitæ communicavimus.

Ant. Pulchra es.

PSALMUS 148.

LAUDATE Dominum de cælis: * laudate eum in excelsis.

Laudate eum omnes Angeli ejus : * laudate eum omnes virtutes ejus.

Laudate eum sol et luna: * laudate eum omnes stellæ et lumen.

Laudate eum cæli cælorum: * et aquæ omnes quæ super cælos sunt, laudent nomen Domini.

Quia ipse dixit et facta sunt: * ipse mandavit et creata sunt.

Statuit ea in æternum, et in sæculum sæculi : * præceptum posuit, et non præteribit.

Laudate Dominum de terra: * dracones et omnes abyssi.

Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum : * quæ faciunt verbum ejus.

Montes et omnes colles : * ligna fructifera, et omnes cedri.

Bestiæ et universa pecora: * serpentes et volucres pennatæ.

Reges terræ, et omnes populi : * principes et omnes judices terræ.

Juvenes et virgines, senes cum junioribus laudent nomen Domini : * quia exaltatum est nomen ejus solius.

Confessio ejus super cælum et terram : * et exaltavit cornu populi sui.

Hymnus omnibus sanctis ejus: * filiis Israel, populo appropinquanti sibi.

PSALMUS 149.

CANTATE Domino canticum novum: * laus ejus in Ecclesia sanctorum.

Lætetur Israel in eo qui fecit eum: * et filii Sion exultent in rege suo.

Laudent nomen ejus in choro : * in tympa-

Digitized by Google

no, et psalterio psallant ei.

Quia beneplacitum est Domino in populo suo: * et exaltabit mansuetos in salutem.

Exultabunt sancti in gloria: * lætabuntur in cubilibus suis.

Exaltationes Dei in gutture eorum: * et gladii ancipites in manibus eorum.

Ad faciendam vindictam in nationibus: * increpationes in populis.

Ad alligandos reges eorum in compedibus: * et nobiles eorum in manicis ferreis.

Ut faciant in eis judicium conscriptum: * gloria hæc est omnibus sanctis ejus.

PSALMUS 150.

LAUDATE Dominum in sanctis ejus: * laudate eum in firmamento virtutis ejus.

Laudate eum in virtutibus ejus: * laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus.

Laudate eum in sono tubæ: * laudate eum in psalterio et cithara.

Laudate eum in tympano, et choro: * laudate eum in chordis, et organo.

Laudate eum in cymbalis benesonantibus: laudate eum in cymbalis jubilationis: * omnis spiritus laudet Dominum.

Gloria Patri.

Ant. Pulchra es, et decora, filia Jerusalem; terribilis ut castrorum acies ordinata.

Capitulum. Cant. 6.

Viderunt eam filiæ Sion, et beatissimam prædicaverunt, et reginæ laudaverunt eam.

℟. Deo gratias.

HYMNUS

O gloriosa Virginum,
Sublimis inter sidera,
Qui te creavit parvulum
Lactente nutris ubere.
Quod Heva tristis abstulit,
Tu reddis almo germine:
Intrent ut astra flebiles,
Cæli reclusis cardines.
Tu Regis alti janua,
Et aula lucis fulgida,
Vitam datam per Virginem
Gentes redemptæ plaudite.

Digitized by Google

Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, et almo Spiritu,
In sempiterna sæcula. Amen.

℣. Benedicta tu in mulieribus.

℟. Et benedictus fructus ventris tui.

AD BENEDICTUS

Ant. Beata Dei Genitrix Maria.

Canticum Zachariæ. Luc. 1.

BENEDICTUS Dominus Deus Israel, * quia visitavit, et fecit redemptionem plebis suæ:

Et erexit cornu salutis nobis, * in domo David pueri sui.

Sicut locutus est per os sanctorum, * qui a sæculo sunt, prophetarum ejus:

Salutem ex inimicis nostris, * et de manu omnium, qui oderunt nos.

Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris: * et memorari testamenti sui sancti.

Jusjurandum, quod juravit ad Abraham patrem nostrum, * daturum se nobis:

Ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, * serviamus illi.

In sanctitate, et justitia coram ipso, * omnibus diebus nostris.

Et tu puer, Propheta Altissimi vocaberis: * præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus.

Ad dandam scientiam salutis plebi ejus: * in remissionem peccatorum eorum.

Per viscera misericordiæ Dei nostri: * in quibus visitavit nos, oriens ex alto.

Illuminare his, qui in tenebris, et in umbra mortis sedent, * ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

Gloria Patri.

Ant. Beata Dei Genitrix Maria, virgo perpetua, templum Domini, sacrarium Spiritus sancti: sola sine exemplo placuisti Domino nostro Jesu Christo: ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto femineo sexu.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Digitized by Google

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum Spiritu tuo.

ORATIO

DEUS, qui de beatæ Mariæ Virginis utero, Verbum tuum, Angelo nuntiante, carnem suscipere voluisti: præsta supplicibus tuis, ut qui vere eam Genitricem Dei credimus, ejus apud te intercessionibus adjuvemur. Per eumdem Dominum.

Pro Sanctis

Ant. Sancti Dei omnes intercedere dignemini pro nostra omniumque salute.

℣. Lætamini in Domino, et exultate justi.

℟. Et gloriamini omnes recti corde.

ORATIO

PROTEGE Domine, populum tuum, et Apostolorum tuorum Petri et Pauli, et aliorum Apostolorum patrocinio confidentem, perpetua defensione conserva.

Omnes Sancti tui, quæsumus Domine, nos ubique adjuvent: ut dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus: et pacem tuam nostris concede temporibus, et ab Ecclesia tua cunctam, repelle nequitiam: iter, actus, et voluntates nostras, et omnium famulorum tuorum, in salutis tuæ prosperitate dispone: benefactoribus nostris sempiterna bona retribue: et omnibus fidelibus defunctis requiem æternam concede. Per Dominum.

Qui autem se aptat Psalterio Mariano, ad Horas dicere debet ea, quæ sequuntur.

AD PRIMAM

Ant. Assumpta est Maria in cœlum, gaudent Angeli, laudantes benedicunt Dominum.

AD TERTIAM

Ant. Maria virgo assumpta est ad æthereum thalamum, in quo Rex regum stellato sedet solio.

Capit. Viderunt. *ut supra.*

℟. b. Specie tua, * Et pulchritudine tua. Specie.

℣. Intende, prospere procede, et regna. Et.

Digitized by Google

Gloria Patri. Specie.

℣. Adjuvabit eam Deus vultu suo.

℟. Deus in medio ejus non commovebitur.

Oratio. Deus qui de beatæ. *ut supra.*

AD SEXTAM

Ant. In odorem unguentorum tuorum currimus, adolescentulæ dilexerunt te nimis.

CAPITULUM. *Cant. 7.*

Quam pulchri sunt gressus tui, filia principis. Collum tuum sicut turris eburnea, et comæ capitis tui sicut purpura regis vincta canalibus.

℟. b. Adjuvabit eam * Deus vultu suo. Adjuvabit.

℣. Deus in medio ejus non commovebitur. Deus.

Gloria Patri. Adjuvabit.

℣. Elegit eam Deus, et præelegit eam.

℟. In tabernaculo suo habitare facit eam.

AD NONAM

Ant. Pulchra es, et decora filia Jerusalem: terribilis ut castrorum acies ordinata.

CAPITULUM. *Jud. 15.*

Benedixerunt eam omnes una voce dicentes: Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri.

℟. Deo gratias.

℟. b. Elegit eam Deus,* Et præelegit eam. Elegit.

℣. In tabernaculo suo habitare facit eam. Et. Gloria Patri. Elegit.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.

℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

AD PRIMAM

Ave Maria etc.

℣. Deus in adjutorium meum intende. Alleluja.

HYMNUS

MEMENTO, rerum Conditor,
Nostri quod olim corporis,
Sacrata ab alvo Virginis
Nascendo, formam sumpseris.
Maria Mater gratiæ,
Dulcis Parens clementiæ,
Tu nos ab hoste protege,
Et mortis hora suscipe.

Digitized by Google

Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, et almo Spirita
In sempiterna sæcula. Amen.

vel

HYMNUS

BEATA Dei Genitrix,
Nitor humani generis:
Per quam de servis liberi,
Lucisque sumus filii.
Fac tuum nobis Filium
Pia prece propitium:
Quem graviter offendimus,
Tu mitem redde, quæsumus.
Sit tibi laus Altissime,
Qui natus es de Virgine;
Sit honor ineffabili
Patri, sanctoque Flamini. Amen.

Ant. Assumpta est.

PSALMUS 53.

DEUS in nomine tuo salvum me fac: * et in virtute tua judica me.

Deus exaudi orationem meam: * auribus percipe verba oris mei.

Quoniam alieni insurrexerunt adversum me, et fortes quæsierunt animam meam, * et non proposuerunt Deum ante conspectum suum.

Ecce enim Deus adjuvat me: * et Dominus susceptor est animæ meæ.

Averte mala inimicis meis: * et in veritate tua disperde illos.

Voluntarie sacrificabo tibi: * et confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum est.

Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me: * et super inimicos meos despexit oculus meus.

Gloria Patri.

PSALMUS 84.

BENEDIXISTI Domine terram tuam: * avertisti captivitatem Jacob.

Remisisti iniquitatem plebis tuæ: * operuisti omnia peccata eorum.

Mitigasti omnem iram tuam: * avertisti ab ira indignationis tuæ.

Converte nos Deus salutaris noster: * et averte iram tuam a nobis.

Numquid in æternum irasceris nobis? * aut extendes iram tuam a generatione in generationem?

Deus tu conversus vivificabis nos: * et plebs tua lætabitur in te.

Digitized by Google

Ostende nobis Domine misericordiam tuam: * et salutare tuum da nobis.

Audiam quid loquatur in me Dominus Deus: * quoniam loquetur pacem in plebem suam.

Et super sanctos suos,* et in eos, qui convertuntur ad cor.

Verumtamen prope timentes eum salutare ipsius: * ut inhabitet gloria in terra nostra.

Misericordia et veritas obviaverunt sibi: * justitia et pax osculatæ sunt.

Veritas de terra orta est: * et justitia de cœlo prospexit.

Etenim Dominus dabit benignitatem: * et terra nostra dabit fructum suum.

Justitia ante eum ambulabit: * et ponet in via gressus suos.

Gloria Patri.

PSALMUS 116.

LAUDATE Dominum omnes gentes: * laudate eum omnes populi.

Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus: * et veritas Domini manet in æternum.

Gloria Patri.

Ant. Assumpta est Maria in cœlum, gaudent Angeli, laudantes benedicunt Dominum.

CAPITULUM. *Cant. 6.*

Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata?

℟. Deo gratias.

℣. Dignare me laudare te, Virgo sacrata.

℟. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

℣. Dominus vobiscum.

ORATIO

DEUS, qui virginalem aulam beatæ Mariæ, in qua habitares, eligere dignatus es: da quæsumus, ut sua nos defensione muniti, jucundos facias suæ interesse commemorationi. Qui vivis et regnas.

Si vero ordo tenetur Psalterii Mariani, loco precum ut supra, dicuntur sequentes.

Capit. Quæ est ista. *ut supra.*

℟. b. Ave, filia Dei Patris.* Ora pro nobis. Ave.

Digitized by Google

℣. Quæ peperisti nobis Redemptorem. Ora.

Gloria Patri. Ave.

℣. Exurge, Domina, adjuva nos.

℟. Et ab omni malo libera nos.

ORATIO

DIRIGANTUR hodie, quæsumus Domine, viæ nostræ, ad tuas justificationes custodiendas, ut gloriosæ Dei Genitricis et Virginis Mariæ patrocinio sublevemur, et ejus semper orationibus a malis imminentibus defendamur. Per eamdem Dominum.

AD TERTIAM

Ave Maria etc.

℣. Deus in adjutorium meum intende. etc.

HYMNUS

Memento, rerum Conditor. *ut supra.*

vel

MARIA Decus hominum,
Regis æterni solium,
Septem columnis edita
Domus a Sapientia.
Tu nos venturo Judici
Commenda prece supplici;
Tuis intentos laudibus
Mitis cernat ac placidus.
Sit tibi laus Altissime,
Qui natus es de Virgine:
Sit honor ineffabili
Patri, Sanctoque Flamini. Amen.

Ant. Maria Virgo.

PSALMUS 119.

AD Dominum cum tribularer clamavi: * et exaudivit me.

Domine libera animam meam a labiis iniquis, * et a lingua dolosa.

Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi * ad linguam dolosam?

Sagittæ potentis acutæ, * cum carbonibus desolatoriis.

Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est: habitavi cum habitantibus Cedar: * multum incola fuit anima mea.

Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus: * cum loquebar illis, impugnabant me gratis.

Gloria Patri.

PSALMUS 120.

LEVAVI oculos meos in montes, * unde veniet auxilium mihi.

Digitized by Google

Auxilium meum a Domino, * qui fecit cælum et terram.

Non det in commotionem pedem tuum: * neque dormitet, qui custodit te.

Ecce non dormitabit, neque dormiet, * qui custodit Israel.

Dominus custodit te, Dominus protectio tua, * super manum dexteram tuam.

Per diem sol non uret te: * neque luna per noctem.

Dominus custodit te ab omni malo: * custodiat animam tuam Dominus.

Dominus custodiat introitum tuum, et exitum tuum: * ex hoc nunc et usque in sæculum.

Gloria Patri.

PSALMUS 121.

LÆTATUS sum in his, quæ dicta sunt mihi: * in domum Domini ibimus.

Stantes erant pedes nostri: * in atriis tuis Jerusalem.

Jerusalem, quæ ædificatur ut civitas: * cujus participatio ejus in idipsum.

Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini: * testimonium Israel ad confitendum nomini Domini.

Quia illic sederunt sedes in judicio, * sedes super domum David.

Rogate quæ ad pacem sunt Jerusalem; * et abundantia diligentibus te.

Fiat pax in virtute tua: * et abundantia in turribus tuis.

Propter fratres meos, et proximos meos: * loquebar pacem de te.

Propter domum Domini Dei nostri, * quæsivi bona tibi. Gloria Patri.

Ant. Maria Virgo assumpta est ad æthereum thalamum, in quo Rex regum stellato sedet solio.

Capit. Eccl. 24.

Et sic in Sion firmata sum, et in civitate sanctificata similiter requievi, et in Jerusalem potestas mea. ℣. Deo gratias.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.

℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

℣. Dominus vobiscum.

Digitized by Google

ORATIO.

Deus, qui salutis æternæ, beatæ Mariæ virginitate fœcunda, humano generi præmia præstitisti: tribue quæsumus; ut ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus auctorem vitæ suscipere, Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum. Qui tecum vivit.

Si methodus tenetur Psalterii Mariani, loco precum ut supra, dicuntur antiph. Capit. respons. br. et oratio ut in die curr. vel in Festis B. Mariæ V.

AD SEXTAM.

Ave Maria.

℣. Deus in adjutorium.

HYMNUS.

Memento, rerum Conditor *ut supra.*

vel

Maria templum Domini,
Dei Mater et hominis,
Tunc vere Virgo virginum,
Cum peperisti Filium.
Da nobis hunc in fervido
Mentis gestare gremio:
Ex tua carne genitus,
Nostris regnet in sensibus.
Sit tibi laus Altissime,
Qui natus es de Virgine:
Sit honor ineffabili
Patri, Sanctoque Flamini. Amen.

Ant. In odorem.

PSALMUS 122.

Ad te levavi oculos meos: * qui habitas in cœlis.

Ecce sicut oculi servorum, * in manibus dominorum suorum.

Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ: * ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.

Miserere nostri Domine, miserere nostri: * quia multum repleti sumus despectione.

Quia multum repleta est anima nostra: * opprobrium abundantibus, et despectio superbis.

Gloria Patri.

PSALMUS 123.

Nisi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israel: * nisi quia Dominus erat in nobis.

Cum exurgerent homi-

Digitized by Google

nes in nos, * forte vivos deglutissent nos.

Cum irasceretur furor eorum in nos, * forsitan aqua absorbuisset nos.

Torrentem pertransivit anima nostra: * forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem.

Benedictus Dominus, * qui non dedit nos in captionem dentibus eorum.

Anima nostra sicut passer erepta est * de laqueo venantium:

Laqueus contritus est, * et nos liberati sumus.

Adjutorium nostrum in nomine Domini, * qui fecit cælum et terram.

Gloria Patri.

PSALMUS 124.

QUI confidunt in Domino, sicut mons Sion: * non commovebitur in æternum, qui habitat in Jerusalem.

Montes in circuitu ejus: * et Dominus in circuitu populi sui, ex hoc nunc et usque in sæculum.

Quia non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem justorum: * ut non extendant justi ad iniquitatem manus suas.

Benefac Domine bonis, * et rectis corde.

Declinantes autem in obligationes adducet Dominus cum operantibus iniquitatem: * pax super Israel.

Gloria Patri.

Ant. In odorem unguentorum tuorum currimus, adolescentulæ dilexerunt te nimis.

Capitulum. Eccl. 24.

Et radicavi in populo honorificato, et in parte Dei mei hæreditas illius, et in plenitudine Sanctorum detentio mea.

℣. Deo gratias.

℣. Benedicta tu in mulieribus.

℟. Et benedictus fructus ventris tui.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

℣. Dominus vobiscum.

ORATIO

CONCEDE, misericors Deus, fragilitati nostræ præsidium: ut qui sanctæ Dei Genitricis memoriam agimus, intercessionis ejus auxilio, a nostris iniquitatibus

Digitized by Google

resurgamus. Per eumdem Dominum.

Secundum ordinem Psalterii Mariani, dimissis precibus ut supra, dicuntur Capit. antiph. respon. brev. et oratio ut in die curr. vel in festis B. M. V.

AD NONAM

Ave Maria.

℣. Deus in adjutorium.

HYMNUS

Memento rerum Conditor *ut supra.*

vel

O singularis fœmina,
Sola Virgo puerpera,
Præclara vitæ janua,
Qua cæli patent atria.
Tu nos culparum nexibus,
Sacris absolve precibus:
Tua promentes merita
Ad cæli transfer præmia.
Sit tibi laus Altissime,
Qui natus es de Virgine;
Sit honor ineffabili
Patri, Sanctoque Flamini. Amen.

Ant. Pulchra es.

PSALMUS 125.

In convertendo Dominus captivitatem Sion, * facti sumus sicut consolati.

Tunc repletum est gaudio os nostrum: * et lingua nostra exultatione.

Tunc dicent inter Gentes: * Magnificavit Dominus facere cum eis.

Magnificavit Dominus facere nobiscum: * facti sumus lætantes.

Converte Domine captivitatem nostram, * sicut torrens in Austro.

Qui seminant in lacrymis, * in exultatione metent.

Euntes ibant, et flebant, * mittentes semina sua.

Venientes autem venient cum exultatione, * portantes manipulos suos.

Gloria Patri.

PSALMUS 126.

Nisi Dominus ædificaverit domum, * in vanum laboraverunt qui ædificant eam.

Nisi Dominus custodierit civitatem, * frustra vigilat qui custodit eam.

Digitized by Google

Vanum est vobis ante lucem surgere: * surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris.

Cum dederit dilectis suis somnum: * ecce hæreditas Domini, Filii; merces, fructus ventris.

Sicut sagittæ in manu potentis: * ita filii excussorum.

Beatus vir, qui implevit desiderium suum ex ipsis: * non confundetur cum loquetur inimicis suis in porta.

Gloria Patri.

PSALMUS 127.

BEATI omnes, qui timent Dominum, * qui ambulant in viis ejus.

Labores manuum tuarum, quia manducabis: * beatus es, et bene tibi erit.

Uxor tua sicut vitis abundans, * in lateribus domus tuæ.

Filii tui sicut novellæ olivarum, * in circuitu mensæ tuæ.

Ecce sic benedicetur homo, * qui timet Dominum.

Benedicat tibi Dominus ex Sion, * et videas bona Jerusalem omnibus diebus vitæ tuæ.

Et videas filios filiorum tuorum, * pacem super Israel.

Gloria Patri.

Ant. Pulchra es, et decora, filia Jerusalem; terribilis ut castrorum acies ordinata.

Capit. Eccl. 24.

In plateis sicut cinnamomum, et balsamum aromatizans odorem dedi: quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris.

℟. Deo gratias.

℣. Post partum, Virgo, inviolata permansisti.

℟. Dei Genitrix intercede pro nobis.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

℣. Dominus vobiscum.

ORATIO

FAMULORUM tuorum, quæsumus Domine, delictis ignosce: ut qui tibi placere de actibus nostris non valemus, Genitricis Filii tui Domini nostri intercessione salvemur. Qui tecum vivit et regnat.

Qui ordinem tenet Psalterii S. Bonaventu-

Digitized by Google

ræ, dimissis precibus ut supra, dicere debet capit. antiph. respons. br. et orat. ut in die curr. vel in festis B. M. V.

AD VESPERAS

Ave Maria.

℣. Deus in adjutorium alleluja.

Ant. Dum esset Rex.

PSALMUS 109.

DIXIT Dominus Domino meo: * sede a dextris meis.

Donec ponam inimicos tuos, * scabellum pedum tuorum.

Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion: * dominare in medio inimicorum tuorum.

Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus Sanctorum: * ex utero ante luciferum genui te.

Juravit Dominus, et non pœnitebit eum: * Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.

Dominus a dextris tuis: * confregit in die iræ suæ reges.

Judicabit in nationibus, implebit ruinas: * conquassabit capita in terra multorum.

De torrente in via bibet: * propterea exaltabit caput.

Gloria Patri.

Ant. Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suavitatis.

Ant. Læva ejus.

PSALMUS 112.

LAUDATE pueri Dominum: * laudate nomen Domini.

Sit nomen Domini benedictum: * ex hoc nunc, et usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occasum, * laudabile nomen Domini.

Excelsus super omnes Gentes Dominus, * et super cælos gloria ejus.

Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat: * et humilia respicit in cælo et in terra.

Suscitans a terra inopem, * et de stercore erigens pauperem.

Ut collocet eum cum principibus, * cum principibus populi sui.

Qui habitare facit sterilem in domo, * matrem filiorum lætantem.

Gloria Patri.

Ant. Læva ejus sub ca-

Digitized by Google

pite meo, et dextera illius amplexabitur me.

Ant. Nigra sum.

PSALMUS 121.

Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi: * in domum Domini ibimus.

Stantes erant pedes nostri: * in atriis tuis Jerusalem.

Jerusalem, quae ædificatur ut civitas: * cujus participatio ejus in idipsum.

Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini: * testimonium Israel ad confitendum nomini Domini.

Quia illic sederunt sedes in judicio, * sedes super domum David.

Rogate quæ ad pacem sunt Jerusalem: * et abundantia diligentibus te.

Fiat pax in virtute tua: * et abundantia in turribus tuis.

Propter fratres meos, et proximos meos, * loquebar pacem de te.

Propter domum Domini Dei nostri, * quæsivi bona tibi.

Gloria Patri.

Ant. Nigra sum, sed formosa, filiæ Jerusalem; ideo dilexit me Rex, et introduxit me in cubiculum suum.

Ant. Jam hiems transiit.

PSALMUS 126.

Nisi Dominus ædificaverit domum, * in vanum laboraverunt qui ædificant eam.

Nisi Dominus custodierit civitatem, * frustra vigilat qui custodit eam.

Vanum est vobis ante lucem surgere: * surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris.

Cum dederit dilectis suis somnum: * ecce hæreditas Domini, filii; merces, fructus ventris.

Sicut sagittæ in manu potentis: * ita filii excussorum.

Beatus vir, qui implevit desiderium suum ex ipsis: * non confundetur cum loquetur inimicis suis in porta.

Gloria Patri.

Ant. Jam hiems transiit, imber abiit et recessit: * surge amica mea, et veni.

Ant. Speciosa facta es.

Digitized by Google

PSALMUS 147.

LAUDA Jerusalem Dominum: * lauda Deum tuum Sion.

Quoniam confortavit seras portarum tuarum: * benedixit filiis tuis in te.

Qui posuit fines tuos pacem: * et adipe frumenti satiat te.

Qui emittit eloquium suum terræ: * velociter currit sermo ejus.

Qui dat nivem sicut lanam: * nebulam sicut cinerem spargit.

Mittit crystallum suam sicut buccellas: * ante faciem frigoris ejus quis sustinebit?

Emittet verbum suum, et liquefaciet ea: * flabit spiritus ejus, et fluent aquæ.

Qui annuntiat verbum suum Jacob: * justitias, et judicia sua Israel.

Non fecit taliter omni nationi; * et judicia sua non manifestavit eis.

Gloria Patri.

Ant. Speciosa facta es, et suavis in deliciis tuis, sancta Dei Genitrix

CAPIT. *Eccl. 24.*

Ab initio et ante sæcula creata sum, et usque ad futurum sæculum non desinam, et in habitatione sancta coram ipso ministravi.

℟. Deo gratias.

HYMNUS

AVE maris stella,
Dei Mater alma,
Atque semper virgo,
Felix cæli porta.
Sumens illud Ave
Gabrielis ore,
Funda nos in pace
Mutans Hevæ nomen.
Solve vincla reis,
Profer lumen cæcis,
Mala nostra pelle,
Bona cuncta posce.
Monstra te esse Matrem,
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus,
Tulit esse tuus.
Virgo singularis,
Inter omnes mitis,
Nos culpis solutos,
Mites fac et castos.
Vitam præsta puram,
Iter para tutum,
Ut videntes Jesum,
Semper collætemur.
Sit laus Deo Patri
Summo Christo decus
Spiritui Sancto,
Tribus honor unus.
Amen.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.

Digitized by Google

℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

Ad Magnificat.

Ant. Beata Mater.

CANTICUM

B. Mariæ Virginis.

Luc. 1.

MAGNIFICAT * anima mea Dominum.

Et exultavit spiritus meus * in Deo salutari meo.

Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: * ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Quia fecit mihi magna, qui potens est: * et sanctum nomen ejus.

Et misericordia ejus a progenie in progenies * timentibus eum.

Fecit potentiam in brachio suo: * dispersit superbos mente cordis sui.

Deposuit potentes de sede, * et exaltavit humiles.

Esurientes implevit bonis: * et divites dimisit inanes.

Suscepit Israel puerum suum, * recordatus misericordiæ suæ.

Sicut locutus est ad patres nostros, * Abraham, et semini ejus in sæcula.

Gloria Patri.

Ant. Beata Mater, et intacta Virgo, gloriosa regina mundi, intercede pro nobis ad Dominum.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

℣. Dominus vobiscum.

ORATIO

CONCEDE nos famulos tuos, quæsumus Domine Deus, perpetua mentis et corporis sanitate gaudere, et gloriosa beatæ Mariæ semper Virginis intercessione, a præsenti liberari tristitia, et æterna perfrui lætitia. Per Dominum.

Pro Sanctis.

Ant. Sancti Dei omnes intercedere dignemini pro nostra, omniumque salute.

℣. Lætamini in Domino, et exultate justi.

℟. Et gloriamini omnes recti corde.

ORATIO

PROTEGE Domine populum tuum, et Apostolorum tuorum Petri et Pauli, et aliorum Apostolorum patrocinio con-

Digitized by Google

fidentem, perpetua defensione conserva.

Omnes Sancti tui, quæsumus Domine, nos ubique adjuvent: ut dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus: et pacem tuam nostris concede temporibus, et ab Ecclesia tua cunctam repelle nequitiam: iter, actus, et voluntates nostras, et omnium famulorum tuorum, in salutis tuæ prosperitate dispone: benefactoribus nostris sempiterna bona retribue: et omnibus fidelibus defunctis requiem æternam concede. Per Dominum.

AD COMPLETORIUM

Ave Maria.

℣. Converte nos Deus salutaris noster.

℟. Et averte iram tuam a nobis.

℣. Deus in adjutorium.

PSALMUS 128.

Sæpe expugnaverunt me a juventute mea:* dicat nunc Israel.

Sæpe expugnaverunt me a juventute mea:* etenim non potuerunt mihi.

Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores:* prolongaverunt iniquitatem suam.

Dominus justus concidit cervices peccatorum:* confundantur et convertantur retrorsum omnes, qui oderunt Sion.

Fiant sicut fœnum tectorum:* quod priusquam evellatur, exaruit.

De quo non implevit manum suam, qui metit:* et sinum suum, qui manipulos colligit.

Et non dixerunt qui præteribant: Benedictio Domini super vos: * benediximus vobis in nomine Domini.

Gloria Patri.

PSALMUS 129.

De profundis clamavi ad te Domine: * Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes,* in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates observaveris Domine: * Domine quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est: * et propter legem tuam sustinui te Domine.

Sustinuit anima mea

Digitized by Google

in verbo ejus: * speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem, * speret Israel in Domino.

Quia apud Dominum misericordia: * et copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israel, * ex omnibus iniquitatibus ejus.

Gloria Patri.

PSALMUS 130.

DOMINE non est exaltatum cor meum: * neque elati sunt oculi mei.

Neque ambulavi in magnis: * neque in mirabilibus super me.

Si non humiliter sentiebam: * sed exaltavi animam meam.

Sicut ablactatus est super matre sua, * ita retributio in anima mea.

Speret Israel in Domino, * ex hoc nunc et usque in sæculum.

Gloria Patri.

HYMNUS

Memento, rerum Conditor,
Nostri quod olim corporis,
Sacrata ab alvo Virginis,
Nascendo formam sumpseris.

Maria Mater gratiæ,
Dulcis parens clementiæ,
Tu nos ab hoste protege,
Et mortis hora suscipe.

Jesu tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, et almo Spiritu,
In sempiterna sæcula. Amen.

Capit. Eccl. 24.

Ego Mater pulchræ dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctæ spei.

℟. Deo gratias.

℣. Ora pro nobis, sancta Dei Genitrix.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Ad Nunc dimittis.

Ant. Sub tuum præsidium confugimus, sancta Dei Genitrix: nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris: et a periculis cunctis libera nos semper, Virgo gloriosa et benedicta.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

℣. Dominus vobiscum.

Digitized by Google

ORATIO

Beatæ et gloriosæ semper Virginis Mariæ, quæsumus Domine, intercessio gloriosa nos protegat, et ad vitam perducat æternam. Per Dominum.

Qui autem tenet ordinem Psalterii Mariani, statim post psalmos dicet sequentem.

Ant. Miserere mei Domina, et ab omni peccato custodi animam meam.

HYMNUS

De casta nobis oriens,
Matre dies indesinens,
Jugi nos fove lumine
Culpæque noctem remove.

Mater diei perpetis,
Obsiste nostris tenebris,
Ne lucem nobis dissipent,
Et nos delictis implicent.

Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, et almo Spiritu,
In sempiterna sæcula. Amen.

Capit. *Cant. 2.*

Tu autem, Domina, ostende mihi faciem tuam: sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, et facies tua decora.

℟. Deo gratias.

℟. br. In manus tuas Domina: *Commendo spiritum meum. In manus.

℣. Per acerbissimos tuos dolores. Commendo.

Gloria Patri. In manus.

℣. Ora pro nobis peccatoribus.

℟. Nunc et in hora mortis nostræ.

Ant. Sub tuum præsidium.

CANTICUM SIMEONIS

Luc. 2.

Nunc dimittis servum tuum Domine, * secundum verbum tuum in pace.

Quia viderunt oculi mei * salutare tuum.

Quod parasti * ante faciem omnium populorum.

Lumen ad revelationem Gentium, * et gloriam plebis tuæ Israel.

Gloria Patri.

Ant. Sub tuum præsidium *ut supra.*

Digitized by Google

ORATIO

DEUS qui illuminas noctem, et lumen post tenebras facis: concede nobis quæsumus, ut intercedente beata et gloriosa semper Virgine Maria, hanc noctem sine peccato transire possimus, et ad veram lucem, quæ Christus est, nos pervenire valeamus. Per eumdem Dominum.

TRES PSALMI

sequentes dicuntur Feria III. et VI. Ad Noct.

Ave Maria.

℣. Domine labia mea aperies etc.

HYMNUS

Quem terra, pontus, sidera. *pag.* XIV.

vel

LUX, quæ luces in tenebris,
Ex alvo nata Virgine,
Nostram noctem nos exue,
Tuumque diem indue.
Maria Dei thalamus,
Posce te venerantibus,
Virtutibus ut splendeant,
Quos reatus obtenebrant.
Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, et almo Spiritu
In sempiterna sæcula.
Amen.

Ant. Specie tua.

PSALMUS 44.

ERUCTAVIT cor meum verbum bonum: * dico ego opera mea Regi.

Lingua mea calamus scribæ, * velociter scribentis.

Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis:* propterea benedixit te Deus in æternum.

Accingere gladio tuo super femur tuum, * potentissime.

Specie tua, et pulchritudine tua * intende, prospere procede, et regna.

Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam: * et deducet te mirabiliter dextera tua.

Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent, * in corda inimicorum regis.

Sedes tua Deus in sæculum sæculi: * virga directionis, virga regni tui.

Dilexisti justitiam, et

Digitized by Google

odisti iniquitatem: * propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.

Myrrha, et gutta, et casia a vestimentis tuis, a domibus eburneis: * ex quibus delectaverunt te filiæ regum in honore tuo.

Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, * circumdata varietate.

Audi filia, et vide, et inclina aurem tuam: * et obliviscere populum tuum, et domum patris tui.

Et concupiscet Rex decorem tuum: * quoniam ipse est Dominus Deus tuus, et adorabunt eum.

Et filiæ Tyri in muneribus * vultum tuum deprecabuntur, omnes divites plebis.

Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus, * in fimbriis aureis circumamicta varietatibus.

Adducentur Regi virgines post eam: * proximæ ejus afferentur tibi.

Afferentur in lætitia, et exultatione: * adducentur in templum Regis.

Pro patribus tuis nati sunt tibi filii: * constitues eos principes super omnem terram.

Memores erunt nominis tui * in omni generatione et generationem.

Propterea populi confitebuntur tibi in æternum, * et in sæculum sæculi.

Gloria Patri.

Ant. Specie tua, et pulchritudine tua, intende, prospere procede, et regna.

Ant. Adjuvabit eam.

PSALMUS 45.

DEUS noster refugium et virtus: * adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis.

Propterea non timebimus dum turbabitur terra: * et transferentur montes in cor maris.

Sonuerunt, et turbatæ sunt aquæ eorum: * conturbati sunt montes in fortitudine ejus.

Fluminis impetus lætificat civitatem Dei: * sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.

Deus in medio ejus non commovebitur: * adjuvabit eam Deus mane diluculo.

Conturbatæ sunt Gen-

Digitized by Google

tes, et inclinata sunt regna: * dedit vocem suam, mota est terra.

Dominus virtutum nobiscum: * susceptor noster Deus Jacob.

Venite, et videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram: * auferens bella usque ad finem terræ.

Arcum conteret, et confringet arma: * et scuta comburet igni.

Vacate, et videte quoniam ego sum Deus: * exaltabor in Gentibus, et exaltabor in terra.

Dominus virtutum nobiscum: * susceptor noster Deus Jacob.

Gloria Patri.

Ant. Adjuvabit eam Deus vultu suo: Deus in medio ejus non commovebitur.

Ant. Sicut lætantium.

PSALMUS 86.

FUNDAMENTA ejus in montibus sanctis: * diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob.

Gloriosa dicta sunt de te, * civitas Dei.

Memor ero Rahab et Babylonis * scientium me.

Ecce alienigenæ, et Tyrus, et populus Æthiopum, * hi fuerunt illic.

Numquid Sion dicet: Homo, et homo natus est in ea: * et ipse fundavit eam Altissimus?

Dominus narrabit in scripturis populorum, et principum: * horum, qui fuerunt in ea.

Sicut lætantium omnium * habitatio est in te. Gloria Patri.

Ant. Sicut lætantium omnium nostrum habitatio est in te, sancta Dei Genitrix.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.

℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

Dicuntur lectiones: In omnibus requiem quæsivi etc. *et reliqua ad laudes ut supra in primo die. Qui autem methodum tenet Psalterii Mariani, dicere debet lect. quotid. vel illas in Festis B. M. V. aut eorum octavis si occur. et loco tertii respons. dicere debet:* Te Deum laudamus. *et ea, quæ sequuntur.*

AD LAUDES

et per horas.

Ant. Trahe me: post te curremus in odorem un-

Digitized by Google

guentorum tuorum. *Psal.* Dominus regnavit. *p.* XIX.

Ant. In me gratia omnis viæ et veritatis: in me omnis spes vitæ et virtutis.

Ant. Spiritus meus super mel dulcis, et hæreditas mea super mel et favum.

Ant. Qui audit me, non confundetur: et qui operantur in me, non peccabunt.

Ant. Qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino.

CAPITULUM. *Cant. 1.*

Oleo effusum nomen tuum: ideo adolescentulæ dilexerunt te: Trahe me; post te curremus in odorem unguentorum tuorum.

℟. Deo gratias.

HYMNUS

Maria Virgo regia
David stirpe progenita
Non tam paterna nobilis
Quam dignitate soboIis.

Tu nos avulsos veteri,
Complanta novo germini:
Per te sit genus hominum,
Regale sacerdotium.

O Mater amantissima
Mulierum pulcherrima,
O sanctitatis anima
Accende cordis intima.

Sit tibi laus Altissime,
Qui natus es de Virgine;
Sit honor ineffabili
Patri, Sanctoque Flamini. Amen.

℣. Benedicta tu in mulieribus.

℟. Et benedictus fructus ventris tui.

Ad Benedictus.

Ant. Unica est columba mea, una est perfecta mea, una est Genitricis suæ electa.

ORATIO

Deus, qui humanæ substantiæ veritatem de virginalis uteri materia suscepisti: da nobis, beatæ Genitricis tuæ precibus, ita degenerem exuere vetustatem, ut te novæ generationis induamus Auctorem. Qui vivis et regnas.

Eadem Oratio dicitur ad omnes horas.

Comm. pro Sanctis ut supra.

Digitized by Google

AD PRIMAM

Ant. Trahe me.

AD TERTIAM

Ant. In me gratia.

Capit. Oleum effusum *ut supra.*

℟. br. Specie tua, * Et pulchritudine tua. Specie.

℣. Intende, prospere procede, et regna. Et.

Gloria Patri. Specie.

℣. Adjuvabit eam Deus vultu suo.

℟. Deus in medio ejus non commovebitur.

AD SEXTAM

Ant. Spiritus meus.

CAPIT. *Cant. 8.*

Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum?

℟. Deo gratias.

℟. br. Adjuvabit eam * Deus vultu suo. Adjuvabit.

℣. Deus in medio ejus non commovebitur.

Deus.

Gloria Patri.

Adjuvabit.

℣. Elegit eam Deus, et prælegit eam.

℟. In tabernaculo suo habitare facit eam.

AD NONAM

Ant. Qui me invenerit.

CAPIT. *Cant. 4.*

Quam pulchra es, amica mea, columba mea, immaculata mea, et odor vestimentorum tuorum super omnia aromata.

℟. Deo gratias.

℟. br. Elegit eam Deus,* et prælegit eam. Elegit.

℣. In tabernaculo suo habitare facit eam. Et.

Gloria Patri. Elegit.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.

℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

AD VESPERAS

Ave Maria etc.

Deus in adjutorium etc.

Ant. Trahe me. *ut supra.*

Psalm. Dixit Dominus. *pag.* XXXV.

Capit. Oleum effusum.

HYMNUS

Sydus Maria splendidum,
Te laudat omne sæculum,
Ex qua sub mundi vespere,
Sol ortus est justitiæ.

Digitized by Google

Da cor tenebris eripi,
Da vera luce perfrui:
Quæ noctem vitæ veteris
Novis illustret meritis.
Per te purgemur vitiis,
Solvamur culpæ vinculis,
Mens vulsis spinis erutâ
Virtutum ferat germina.
Sit tibi laus Altissime,
Qui natus es de Virgine:
Sit honor ineffabili
Patri, Sanctoque Flamini. Amen.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.

℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

Ad Magnificat.

Ant. Benedicta es tu, Virgo Maria, a Domino Deo excelso præ omnibus mulieribus super terram.

ORATIO

OMNIPOTENS sempiterne Deus, nos famulos tuos dextera potentiæ tuæ a cunctis defende periculis: et intercedente beata et gloriosa semper Virgine Maria, fac nos præsenti prosperitate gaudere pariter et futura. Per Dominum.

Comm. pro Sanctis, ut supra.

TRES PSALMI

sequentes dicuntur Feria IV. et Sabbato.

Ave Maria.

℣. Domine labia mea aperies, etc.

HYMNUS

Quem terra, pontus, sidera, etc. *pag.* XIV.

vel

PRÆFULGENS Sol justitiæ,
Ortus de sacra Virgine,
Splendore tuo noxias
Nostras illustra tenebras.
Oriens castissima
Mater fac nobis Domina
Vita prorsus ut decidat
Vetus, nova proficiat.
Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre et almo Spiritu
In sempiterna sæcula. Amen.

Ant. Gaude Maria Virgo.

Digitized by Google

PSALMUS 95.

CANTATE Domino canticum novum: * cantate Domino omnis terra.

Cantate Domino, et benedicite nomini ejus: * annuntiate de die in diem salutare ejus.

Annuntiate inter Gentes gloriam ejus, * in omnibus populis mirabilia ejus.

Quoniam magnus Dominus, et laudabilis nimis: * terribilis est super omnes Deos.

Quoniam omnes dii Gentium dæmonia: * Dominus autem cælos fecit.

Confessio et pulchritudo in conspectu ejus: * sanctimonia, et magnificentia in sanctificatione ejus.

Afferte Domino patriæ Gentium, afferte Domino gloriam et honorem: * afferte Domino gloriam nomini ejus.

Tollite hostias, et introite in atria ejus: * adorate Dominum in atrio sancto ejus.

Commoveatur a facie ejus universa terra: * dicite in Gentibus quia Dominus regnavit.

Etenim correxit orbem terræ, qui non commovebitur: * judicabit populos in æquitate.

Lætentur cæli, et exultet terra, commoveatur mare, et plenitudo ejus: * gaudebunt campi, et omnia quæ in eis sunt.

Tunc exultabunt omnia ligna silvarum a facie Domini, quia venit: * quoniam venit judicare terram.

Judicabit orbem terræ in æquitate: * et populos in veritate sua.

Gloria Patri.

Ant. Gaude Maria Virgo, cunctas hæreses sola interemisti in universo mundo.

Ant. Dignare me.

PSALMUS 96.

DOMINUS regnavit, exultet terra: * lætentur insulæ multæ.

Nubes et caligo in circuitu ejus: * justitia et judicium correctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcedet: * et inflammabit in circuitu inimicos ejus.

Illuxerunt fulgura ejus orbi terræ: * vidit, et commota est terra.

Digitized by Google

Montes, sicut cera fluxerunt a facie Domini: * a facie Domini omnis terra.

Annuntiaverunt cæli justitiam ejus: * et viderunt omnes populi gloriam ejus.

Confundantur omnes, qui adorant sculptilia: * et qui gloriantur in simulacris suis.

Adorate eum omnes Angeli ejus: * audivit, et lætata est Sion.

Et exultaverunt filiæ Judæ, * propter judicia tua Domine:

Quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram: * nimis exaltatus es super omnes Deos.

Qui diligitis Dominum, odite malum: * custodit Dominus animas sanctorum suorum, de manu peccatoris liberabit eos.

Lux orta est justo, * et rectis corde lætitia.

Lætamini justi in Domino: * et confitemini memoriæ sanctificationis ejus.

Gloria Patri.

Ant. Dignare me laudare te Virgo sacrata: da mihi virtutem contra hostes tuos.

Ant. Post partum.

PSALMUS 97.

CANTATE Domino canticum novum: * quia mirabilia fecit.

Salvavit sibi dextera ejus: * et brachium sanctum ejus.

Notum fecit Dominus salutare suum: * in conspectu Gentium revelavit justitiam suam.

Recordatus est misericordiæ suæ, * et veritatis suæ domui Israel.

Viderunt omnes termini terræ * salutare Dei nostri.

Jubilate Deo omnis terra: * cantate, et exultate, et psallite.

Psallite Domino in cithara, in cithara et voce psalmi: * in tubis ductilibus, et voce tubæ corneæ.

Jubilate in conspectu Regis Domini: * moveatur mare, et plenitudo ejus: orbis terrarum, et qui habitant in eo.

Flumina plaudent manu, simul montes exultabunt a conspectu Domini: * quoniam venit judicare terram.

Judicabit orbem terrarum in justitia: * et populos in æquitate.

Digitized by Google

Gloria Patri.

Ant. Post partum, Virgo, inviolata permansisti; Dei Genitrix intercede pro nobis.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.

℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

Dicuntur lectiones: In omnibus requiem quæsivi, *et reliqua ad Laudes ut supra in primo die: vel lectiones quotidianæ juxta Psalterii Mariani methodum: et loco tertii responsorii, dicitur Hymnus:* Te Deum laudamus.

AD LAUDES

et per Horas.

Ant. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias Adæ.

Psalm. Dominus regnavit. *pag.* XIX.

Ant. Tota pulchra es Maria, et macula originalis non est in te.

Ant. Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri.

Ant. Vox enim tua dulcis, et facies illa tua decora nimis.

Ant. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina peccatorum obruent Mariam.

CAPIT. *Eccl. 24.*

Ego diligentes me, diligo: et qui mane vigilant ad me invenient me: in viis justitiæ ambulo, ut ditem diligentes me: qui operantur in me, non peccabunt; qui elucidant me, vitam æternam habebunt.

℟. Deo gratias.

HYMNUS

SALVE Regina Empyrei,
Mater misericordiæ,
Unica spes mortalium,
Et vera fons dulcedinis.
Nos Hevæ filii exules,
Voces clamantes mittimus,
Et suspirantes, gemimus
In valle plena lacrymis.
Eja advocata pauperum,
Eja lux alma in tenebris
Vultus gratiosi lumina
Converte, o chara Genitrix.
Fructum tui ventris virginis,

Digitized by Google

Quem nos videre cupimus,
Ostende post exilium
In sempiterna sæcula.
Sit Trinitati gloria,
Nam nobis dedit Virginem
Quæ salvos potest facere
Suos amantes famulos.
Amen.

℣. Benedicta tu in mulieribus.

℟. Et benedictus fructus ventris tui.

Ad Benedictus.

Ant. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

ORATIO

CONCEDE nos, quæsumus Omnipotens Deus, beatæ Mariæ semper Virginis precibus sublevari, per cujus ineffabilem partum procurasti salutis humanæ remedium. Per Dominum.

Eadem Oratio dicitur ad omnes Horas.

Comm. pro Sanctis, ut supra.

AD PRIMAM

Ant. Sicut lilium.

AD TERTIAM

Ant. Tota pulchra.

Capit. Ego diligentes, *ut supra.*

℟. br. Specie tua, * Et pulchritudine tua. Specie.

℣. Intende, prospere procede, et regna. Et.

Gloria Patri. Specie.

℣. Adjuvabit eam Deus vultu suo.

℟. Deus in medio ejus non commovebitur.

AD SEXTAM

Ant. Tu gloria Jerusalem.

CAPIT. *Eccl. 24.*

Meum est consilium et æquitas, mea est prudentia, mea est fortitudo. Per me reges regnant, et potentes decernunt justitiam. ℟. Deo gratias.

℟. br. Adjuvabit eam * Deus vultu suo. Adjuvabit.

℣. Deus in medio ejus non commovebitur. Deus.

Gloria Patri. Adjuvabit.

℣. Elegit eam Deus, et præelegit eam.

℟. In tabernaculo suo habitare facit eam.

Digitized by Google

AD NONAM

Ant. Aquæ multæ.

CAPIT. *Eccl. 24.*

Beatus homo, qui audit me, et qui vigilat ad fores meas quotidie, et observat ad postes ostii mei. Qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino.

℟. Deo gratias.

℟.br. Elegit eam Deus, * Et præelegit eam. Elegit.

℣. In tabernaculo suo habitare facit eam. Et.

Gloria Patri. Elegit.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.

℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

AD VESPERAS

Ave Maria.

℣. Deus in adjutorium meum intende, etc.

Ant. Sicut lilium.

Psalm. Dixit Dominus, *pag.* XXXV.

Capit. Ego diligentes, *ut suprà.*

HYMNUS

Cælo Redemptor prætulit
Felicis alvum Virginis,
Ubi caduca membra
Mortale corpus induit.
Hæc Virgo nobis edidit
Nostræ salutis auspicem,
Qui nos redemit sanguine,
Pœnas, crucemque pertulit.
Spes læta nostro e pectore
Pellat timores anxios:
Hæc quippe nostras lacrymas,
Precesque defert Filio.
Voces Parentis excipit,
Votisque natus annuit:
Hanc quisque semper diligat
Rebusque in arctis invocet.
Sit Trinitati gloria,
Quæ Matris intactum sinum
Ditavit almo germine,
Laus sit per omne sæculum. Amen.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.

℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

Ad Magnificat.

Ant. Beata es, Virgo Maria, quæ credidisti Domino: perfecta sunt in te, quæ dicta sunt tibi.

ORATIO

Deus, qui vitiatæ stirpis originem per virginalis uteri reparas di-

Digitized by Google

gnitatem: concede propitius, ut quos proprii reatus moles gravat, intercessio beatæ Dei Genitricis attollat. Per Dominum.

Comm. pro Sanctis, ut supra.

OFFICIUM

B. MARIÆ VIRG.

IN ADVENTU

AD VESPERAS

Ant. Missus est, *cum reliquis de Laudibus, ut infra.*

Psalm. Dixit Dominus. Laudate pueri. Lætatus sum. Nisi Dominus. Lauda Jerusalem. *pag.* XXXV.

CAPIT. *Isaiæ 11.*

Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet. Et requiescet super eum Spiritus Domini.

℟. Deo gratias.

Hymnus et ℣. ut supra extra Adventum.

Ad Magnificat.

Ant. Spiritus Sanctus in te descendet, Maria: ne timeas, habebis in utero Filium Dei. Alleluja.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

ORATIO

DEUS, qui de beatæ Mariæ Virginis utero, Verbum tuum, Angelo nuntiante, carnem suscipere voluisti: præsta supplicibus tuis, ut qui vere eam Genitricem Dei credimus, ejus apud te intercessionibus adjuvemur. Per eumdem Dominum.

Comm. pro Sanctis.

Ant. Ecce Dominus veniet, et omnes Sancti ejus cum eo: et erit in illa die lux magna, alleluja.

℣. Ecce apparebit Dominus super nubem candidam.

℟. Et cum eo Sanctorum millia.

ORATIO

CONSCIENTIAS nostras, quæsumus Domine, visitando purifica: ut veniens Jesus Christus Filius tuus Dominus noster cum omnibus Sanctis, pa-

Digitized by Google

ratam sibi in nobis inveniat mansionem. Qui tecum vivit.

AD COMPLETORIUM

Psalmi, et Hymnus ut supra ante Adventum, pag. XXXIX.

CAPIT. *Isaiæ 7.*

Ecce Virgo concipiet, et pariet Filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum, et eligere bonum. ℟. Deo gratias.

℣. Angelus Domini nuntiavit Mariæ.

℟. Et concepit de Spiritu Sancto.

Ad Nunc dimittis.

Ant. Spiritus Sanctus in te descendet Maria: ne timeas, habebis in utero Filium Dei, alleluja.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio. Deus, qui de beatæ Mariæ, *ut supra.*

AD MATUTINUM

Invitat., Hymn., Antiph., Psalmi, et ℣. usque ad lectiones dicuntur sicut ante Adventum præter tertiam Antiph. tertii Noct. Post partum, *cujus loco dic. sequens Antiph.* Angelus Domini,

Lectio I. Luc. I.

Missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Virginis Maria. Et ingressus Angelus ad eam, dixit: Ave gratia plena, Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus. Tu autem Domine, miserere nobis.

℟. Missus est Gabriel Angelus ad Mariam Virginem desponsatam Joseph, nuntians ei verbum: et expavescit Virgo de lumine. Ne timeas, Maria: invenisti gratiam apud Dominum: * Ecce concipies, et paries, et vocabitur Altissimi Filius.

℣. Dabit ei Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum. Ecce concipies.

Lectio II.

Quæ cum audisset, turbata est in sermone

Digitized by Google

ejus, et cogitabat qualis esset ista salutatio. Et ait Angelus ei: Ne timeas Maria: invenisti enim gratiam apud Deum: ecce concipies in utero, et paries Filium, et vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur: et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus: et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis. Tu autem Domine, miserere nobis.

℟. Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum: * Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi: quod enim ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei.

℣. Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens Angelus dixit ei. Spiritus Sanctus.

Lectio III.

Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens Angelus, dixit ei: Spiritus Sanctus superveniet in te: et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. Et ecce Elisabeth cognata tua, et ipsa concepit filium in senectute sua: et hic mensis sextus est illi, quæ vocatur sterilis: quia non erit impossibile apud Deum omne verbum. Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Tu autem Domine, miserere nobis.

℟. Suscipe verbum, Virgo Maria, quod tibi a Domino per Angelum transmissum est: concipies, et paries Deum pariter et hominem: * Ut benedicta dicaris inter omnes mulieres.

℣. Paries quidem Filium, et virginitatis non patieris detrimentum: efficieris gravida, et eris mater semper intacta. Ut benedicta.

Gloria Patri. Ut benedicta.

AD LAUDES
et per Horas.

Ant. Missus est Gabriel Angelus ad Mariam Virginem desponsatam Joseph.

Digitized by Google

Psalm. Dominus regnavit. *pag.* XIX.

Ant. Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus, alleluja.

Ant. Ne timeas Maria, invenisti gratiam apud Dominum: ecce concipies, et paries Filium, alleluja.

Ant. Dabit ei Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in æternum.

Ant. Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.

CAPIT. *Isaiæ 11.*

Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet. Et requiescet super eum Spiritus Domini.

℟. Deo gratias.

Hymn. O gloriosa Virginum. *pag.* XXIII.

℣. Benedicta tu in mulieribus.

℟. Et benedictus fructus ventris tui.

Ad Benedictus.

Ant. Spiritus Sanctus in te descendet Maria: ne timeas, habebis in utero Filium Dei, alleluja.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

ORATIO

DEUS, qui de beatæ Mariæ Virginis utero Verbum tuum, Angelo nuntiante, carnem suscipere voluisti: præsta supplicibus tuis; ut qui vere eam Genitricem Dei credimus, ejus apud te intercessionibus adjuvemur. Per eumdem Dominum.

Comm. pro Sanctis, ut supra.

Ad Horas, Hymni, et Psalmi dicuntur sicut ante Adventum.

AD PRIMAM

Ant. Missus est.

CAPIT. *Isaiæ 7.*

Ecce Virgo concipiet, et pariet filium: et vocabitur nomen ejus Emmanuel. Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum, et eligere bonum. ℟. Deo gratias.

℣. Dignare me laudare te, Virgo sacrata.

℟. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Digitized by Google

℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.
Oratio, ut supra.

AD TERTIAM

Ant. Ave Maria.

CAPIT. *Isaiæ 7.*

Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet. Et requiescet super eum Spiritus Domini.

℟. Deo gratias.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.

℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.
Oratio, ut supra.

AD SEXTAM

Ant. Ne timeas Maria.

CAPIT. *Luc. 1.*

Dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis.

℟. Deo gratias.

℣. Benedicta tu in mulieribus.

℟. Et benedictus fructus ventris tui.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.
Oratio, ut supra.

AD NONAM

Ant. Ecce ancilla Domini.

Capit. Ecce Virgo concipiet, *ut supra.*

℣. Angelus Domini nuntiavit Mariæ.

℟. Et concepit de Spiritu Sancto.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.
Oratio, ut supra.

In Sabbato primæ Domin. Adventus, juxta Officii Mariani S. Bonaventuræ methodum, Vesp. dicuntur ut supra in Adventu. pag. LIII.

Hymnus Cælo Redemptor prætulit, *sicut extra Adventum.* pag. LII.

AD MATUTINUM

Invitatorium, Hymn. et Psalmi dicuntur sicut ante Adventum, sed propriæ habentur Antiph.

Digitized by Google

IN NOCTURNO

Domin., Feriæ II. et V.

Ant. Ecce Dominus noster cum virtute veniet: et illuminabit oculos servorum suorum, alleluja.

Ant. Rorate cæli desuper et nubes pluant justum: aperiatur terra, et germinet Salvatorem.

Ant. Ecce nomen Domini de longinquo, et claritas ejus replet orbem terrarum.

℣. Angelus Domini nuntiavit Mariæ.

℟. Et concepit de Spiritu Sancto.

Dicuntur Lect. Missus est, *cum duobus responsoriis tantum, ut supra. Et loco tertii responsorii dicitur Hymn.* Te Deum laudamus.

AD LAUDES

et per Horas.

Ant. Missus est, *ut supra.*

Capit. Egredietur.

Hymn. O gloriosa Virginum. *pag.* XXIII.

℣. Benedicta tu in mulieribus.

℟. Et benedictus fructus ventris tui.

Ad Benedictus.

Ant. Spiritus Sanctus.

Oratio. Deus, qui de beatæ, *ut supra.*

Comm. pro Sanctis Ecce Dominus veniet, etc. *ut supra.*

Ad Horas, Hymni, Psalmi, et respons. brevicuntur sicut ante Adventum: sed Capitulum ad Tertiam, ad Sextam, ad Nonam, ut supra in Adventu.

IN II. VESPERIS

Ant. Missus est, *ut in primis.*

Capit. Egredietur.

Hymnus. Ave maris Stella. *pag.* XXXVII.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.

℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

Ad Magnificat.

Ant. Angelus Domini nuntiavit Mariæ, et concepit de Spiritu Sancto.

Oratio. Deus, qui de beatæ, *ut supra.*

Comm. pro Sanctis Ecce Dominus veniet, etc.

IN NOCTURNO

Feriæ III. et VI.

Ant. De Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem.

Digitized by Google

Ant. Ecce Deus noster expectavimus eum, et salvabit nos, alleluja.

Ant. Dominus veniet, occurrite illi, dicentes: Magnum principium, et regni ejus non erit finis, Deus, Fortis, Dominator, Princeps pacis, alleluja.

℣. Angelus Domini nuntiavit Mariæ.

℟. Et concepit de Spiritu Sancto.

Dicuntur Lectiones de secunda die infra Oct. Annuntiat., pag. 271.

℟. 1. Ecce Virgo concipiet et pariet Filium, dicit Dominus. * Et vocabitur nomen ejus Admirabilis, Deus, Fortis.

℣. Super solium David, et super regnum ejus sedebit in æternum. Et vocabitur.

℟. 2. Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet. * Et erit justitia cingulum lumborum ejus, et fides cinctorium renum ejus.

℣. Et requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis. Et erit.

Gloria Patri. Et erit.

AD LAUDES

Ant. Missus est.

Capit. Egredietur.

Hymnus Maria Virgo regia. *pag.* XLV.

Ad Benedictus.

Ant. Antequam convenirent, inventa est Maria habens in utero de Spiritu Sancto, alleluja.

Oratio. Deus, qui de beatæ, etc.

Comm. pro Sanctis, ut supra.

IN II. VESPERIS

Ant. Missus est.

Capit. Egredietur.

Hymnus. Sydus Mariæ splendidum, *pag.* XLVI.

Ad Magnificat.

Ant. Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.

Oratio. Deus, qui de beatæ, etc.

Comm. pro Sanctis, ut supra.

IN NOCTURNO

Feriæ IV. et Sabbati.

Ant. Dominus dabit benignitatem, et terra nostra dabit fructum suum.

Digitized by Google

Ant. Ecce veniet Deus et homo de domo David sedere in throno, alleluja.

Ant. Annuntiate populis et dicite: Ecce Deus Salvator noster veniet.

℣. Angelus Domini nuntiavit Mariæ.

℟. Et concepit de Spiritu Sancto.

Dicuntur Lectiones de tertia die infra Oct. Annuntiationis, pag. 273.

℟. 1. Orietur stella ex Jacob: et consurget homo de Israel, et confringet omnes duces alienigenarum: * Et erit omnis terra possessio ejus.

℣. De Jacob erit qui dominabitur, et perdet reliquias civitatis. Et erit.

℟. 2. Suscipe Verbum, Virgo Maria, quod tibi a Domino per Angelum transmissum est: concipies, et paries Deum pariter et hominem, * Ut benedicta dicaris inter omnes mulieres.

℣. Paries quidem Filium, et virginitatis non patieris detrimentum: efficieris gravida, et eris mater semper intacta. Ut benedicta.

Gloria Patri. Ut benedicta.

AD LAUDES

Ant. Missus est.

Capit. Egredietur.

Hymnus. Salve Regina Empyrei. *pag.* L.

Ad Benedictus.

Ant. Ecce completa sunt omnia; quæ dicta sunt per Angelum de Virgine Maria.

Oratio. Deus, qui de beatæ, etc.

Comm. pro Sanctis, ut supra.

IN II. VESPERIS

Ant. Missus est.

Capit. Egredietur.

Hymnus. Cœlo Redemptor prætulit, *pag.* LII.

Ad Magnificat.

Ant. Beatam me dicent omnes generationes, quia ancillam humilem respexit Deus.

Oratio. Deus, qui de beatæ, etc.

Comm. pro Sanctis, ut supra.

Feria IV. Lectiones ut . . . . . pag. 275
Fer. V. . . . . . » 276
Fer. VI. . . . . . » 278
Sabbato . . . . . » 280
Dom. II. Advent. » 282
Fer. II. . . . . . » 97

Digitized by Google

Fer. III. . . . pag. 101
Fer. IV. . . . . . » 104
Fer. V. . . . . . » 106
Fer. VI. . . . . . » 109
Sabbato . . . . . » 111
Dom. III. Advent. » 117
Fer. II. . . . . . » 120
Fer. III. . . . . . » 149
Fer. IV. . . . . . » 156
Fer. V. . . . . . » 159
Fer. VI. . . . . . » 169
Sabbato . . . . . » 171
Dom. IV. Advent. » 176
Fer. II. . . . . . » 200
Fer. III. . . . . . » 201
Fer. IV. . . . . . » 206
Fer. V. . . . . . » 214
Fer. VI. . . . . . » 215
Sabbato . . . . . » 228

POST NATIVITATEM

(In Psalterio Mariano post Epiphaniam) *usque ad Purificationem inclusive, Officium beatæ Mariæ dicitur ut ante Adventum, exceptis his quæ sequuntur:*

AD LAUDES
et per Horas.

Ant. O admirabile commercium! Creator generis humani, animatum corpus sumens, de Virgine nasci dignatus est: et procedens homo sine semine, largitus est nobis suam deitatem.

Ant. Quando natus es ineffabiliter ex Virgine, tunc impletæ sunt Scripturæ: sicut pluvia in vellus descendisti, ut salvum faceres genus humanum: te laudamus Deus noster.

Ant. Rubum quem viderat Moyses incombustum, conservatam agnovimus tuam laudabilem virginitatem: Dei Genitrix intercede pro nobis.

Ant. Germinavit radix Jesse, orta est stella ex Jacob, Virgo peperit Salvatorem: te laudamus Deus noster.

Ant. Ecce Maria genuit nobis Salvatorem, quem Joannes videns, exclamavit, dicens: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, alleluja.

Ad Benedictus.

Ant. Mirabile mysterium declaratur hodie: innovantur naturæ, Deus homo factus est: id quod fuit, permansit, et quod non erat, assumpsit: non commixtionem passus, neque divisionem.

Digitized by Google

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

ORATIO

DEUS, qui salutis æternæ, beatæ Mariæ virginitate fœcunda, humano generi præmia præstitisti: tribue quæsumus, ut ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus Auctorem vitæ suscipere, Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: qui tecum vivit, etc.

Commem. pro Sanctis Sancti Dei omnes, *ut supra.* pag. xxv.

Qui se aptat Psalterio Mariano, dimissis precibus ut supra, dicat omnia ut infra Annum.

AD VESPERAS

Ant. O admirabile commercium, *ut supra.*

Ad Magnificat

et ad Nunc dimittis.

Ant. Magnum hæreditatis mysterium! Templum Dei factus est uterus nescientis virum: non est pollutus ex ea carnem assumens: omnes gentes venient, dicentes: Gloria tibi Domine.

TEMPORE PASCHALI

Officium beatæ Mariæ dicitur sicut ante Adventum: sed ad Benedictus, *et ad* Magnificat, *et ad* Nunc dimittis, *dicitur sequens:*

Ant. Regina cæli lætare, alleluja: quia quem meruisti portare, alleluja: resurrexit sicut dixit, alleluja: ora pro nobis Deum, alleluja.

Juxta methodum Psalterii Mariani, hæc omnia relinquuntur tempore Paschali.

Digitized by Google

PSALTERIUM MARIANUM

Digitized by Google

Digitized by Google

PSALTERIUM MARIANUM

SERAPHICI DOCTORIS S. BONAVENTURÆ

DISPOSITUM PER HEBDOMADAM

DOMINICA

AD MATUTINUM

Ave Maria etc.

℣. Eja, labia mea, nunc annuntiate.

℟. Laudes, et præconia Virginis Beatæ.

℣. Domina, in adjutorium meum intende.

℟. Domina, ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri et Filio, et Spiritui Sancto etc. Alleluja.

Ita dicitur per omnes horas, et non omittitur nisi a Septuagesima usque ad Pascha: quo tempore ejus loco dicitur: Laus tibi Domine, Rex æternæ gloriæ.

INVITATORIUM

Ave Maria gratia plena: * Dominus tecum.

Repetitur. Ave Maria gratia plena: * Dominus tecum.

PSALMUS

VENITE exultemus Mariæ, jubilemus Dominæ Reginæ nostræ: præoccupemus faciem ejus in jubilatione, et in canticis collaudemus eam.

Ave Maria gratia plena: * Dominus tecum.

Quoniam Imperatrix magna, et Advocata potens super omnes Sanctos: quoniam non repellet Dominus preces Mariæ, quia in manu ejus posuit thesaurum gratiarum, et miserias nostras ipsa conspicit.

Dominus tecum.

Quoniam Maria est Mater nostra, et protegit filios diligentes ipsam: venite adoremus, et procidamus ante Jesum Filium ejus, ploremus coram Domino, qui fecit nos, et ipse exaudiet nos, quoniam populus sumus

Digitized by Google

Mariæ, et oves pascuæ ejus.

Ave Maria, gratia plena: * Dominus tecum.

Hodie si exultabimus Dominæ adjutrici nostræ, jubilabimus in lætitia cordis nostri, accendentur in illam affectus nostri, et inimicos nostros induemus confusione.

Dominus tecum.

Cantemus ergo gloriosæ Genitrici Dei; in hymnis, et confessionibus benedicamus eam: et ipsa jurabit in misericordia sua: certe introibitis in requiem meam.

Ave Maria gratia plena: * Dominus tecum.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto: sicut erat in principio, et nunc et semper, et in sæcula, sæculorum. Amen.

Dominus tecum.

Ave Maria gratia plena: * Dominus tecum.

HYMNUS

ex D. Anselmo.

Lux, quæ luces in tenebris,
Ex alvo nata virgine,
Nostram noctem nos exue,
Tuumque diem indue.
Maria Dei Thalamus,
Posce te venerantibus,
Virtutibus ut splendeant,
Quos reatus obtenebrant.
Jesu tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, et almo Spiritu,
In sempiterna sæcula. Amen.

Ant. Conforta virgo.

PSALMUS 1.

Beatus vir, qui diligit nomen tuum, Maria Virgo: * gratia tua animam ejus confortabit.

Tamquam lignum aquarum fontibus irrigatum, * uberrimos in eo fructus justitiæ propagabis.

Benedicta tu inter mulieres, * per credulitatem cordis sancti tui.

Universas enim fœminas vincis pulchritudine carnis: * superas Angelos, et Archangelos excellentia sanctitatis.

Misericordia tua, et gratia undique prædicatur: * Deus operibus manuum tuarum benedixit.

Gloria Patri etc.

Digitized by Google

PSALMUS 2.

QUARE fremuerunt inimici nostri, * et adversum nos meditati sunt inania.

Protegat nos dextera tua, Mater Dei; * ut acies terribilis confundens, et destruens eos.

Venite ad eam, qui laboratis, et tribulati estis; * et dabit refrigerium animabus vestris.

Accedite ad eam in tentationibus vestris; * et stabiliet vos serenitas vultus ejus.

Benedicite illam in toto corde vestro: * misericordia enim illius plena est terra.

Gloria Patri etc.

PSALMUS 6.

DOMINA, ne in furore Dei sinas corripi me: * neque in ira ejus judicari.

Propter honorem nominis tui, Domina; * propitietur nobis fructus gloriosi ventris tui.

De porta inferi, et de ventre abyssi, * sanctis tuis precibus libera nos.

Aperiantur nobis januæ sempiternæ, * ut enarremus in æternum mirabilia tua.

Quia non mortui, neque qui in inferno sunt, laudabunt te Domina; * sed qui tua gratia vitam æternam obtinebunt.

Gloria Patri etc.

Ant. Conforta, Virgo Maria, animam meam propter nomen tuum.

Ant. Protegat nos.

PSALMUS 7.

DOMINA mea in te speravi: * de inimicis meis libera me.

Conclude ora leonis: * et dentes ejus, et labia constringe.

Ne moreris, propter nomen sanctum tuum, * facere nobis misericordiam tuam.

Splendor vultus tui fulgeat super nos, * ut serenetur conscientia nostra.

Si persequatur inimicus animam meam, Domina, * adjutorio tuo conforter, ne vibret gladium suum contra me.

Gloria Patri.

PSALMUS 8.

DOMINA, Dominus noster factus est per te frater noster, * et salvator noster.

Digitized by Google

Ut ignis in Rubo, et ros in vellere:* descendit in te æternum verbum.

Spiritu Sancto fœcundantæ, * obumbravit tibi virtus Altissimi.

Benedictus sit mundissimus conceptus tuus: * benedictus sit partus tuus virgineus.

Benedicta sit munditia carnis tuæ: * benedicta sit dulcedo misericordiæ cordis tui.

Gloria Patri.

PSALMUS 9.

CONFITEBOR tibi, Domina, in toto corde meo:* et narrabo in populis laudem, et gloriam tuam.

Tibi enim debetur gloria,* et gratiarum actio, et vox laudis.

Inveniant gratiam peccatores apud Deum: * per te inventricem gratiæ, et salutis.

Respirent ad indulgentiam, humiles pœnitentes: * sana contritiones cordis eorum.

In pulchritudine pacis, et requie opulenta,* cibabis nos post laborem peregrinationis nostræ.

Gloria Patri.

Ant. Protegat nos dextera tua, Mater Dei, et da refrigerium animabus nostris.

Ant. Deduc me.

PSALMUS 10.

IN Domina confido* propter dulcedinem misericordiæ nominis sui.

Oculi ejus in pauperes respiciunt; et manus ejus ad pupillum, et viduam sunt extentæ.

Exquirite illam a juventute vestra; * et glorificabit vos ante faciem populorum.

Misericordia illius nostrorum auferat multitudinem peccatorum: * et fœcunditatem nobis conferat meritorum.

Extende ad nos brachium tuum, Virgo Sancta: * et ne avertas a nobis gloriosum vultum tuum.

Gloria Patri.

PSALMUS 11.

SALVUM me fac, mater pulchræ dilectionis; * fons clementiæ, et dulcor pietatis.

Gyrum terræ sola circuis, * ut subvenias invocantibus te.

Pulchræ sunt viæ tuæ; * et semitæ tuæ pacificæ.

Digitized by Google

In te refulget species castitatis, * lumen justitiæ, et splendor veritatis.

Amicta solari lumine, sicut vestimento, * duodecim stellarum corona rutilas radianti.

Gloria Patri,

PSALMUS 12.

USQUEQUO, Domina, oblivisceris me, * et non liberas me in die tribulationis?

Usquequo exaltabitur inimicus meus super me?* potentia virtutis tuæ conterat eum.

Aperi oculos misericordiæ tuæ, * ne inimicus noster adversus nos prævaleat.

Magnificamus te gratiæ inventricem, * per quam sæcula reparantur.

Exaltata super choros Angelorum, * ante thronum Dei ora pro nobis.

Gloria Patri.

Ant. Deduc me, Domina, ad portum salutis; et in die mortis meæ conforta animam meam.

Ant. Ne projicias nos.

PSALMUS 13.

DIXIT insipiens adversarius noster in corde suo: * persequar, et comprehendam, et interficiet eum manus mea.

Exurge, Domina, præveni eum, et supplanta eum: * destrue omnes conatus illius.

Tuam pulchritudinem sol, et luna mirantur: * tibi angelicæ potestates serviunt, et famulantur.

Tuo tactu lenissimo sanantur infirmi: * tuo odore roseo mortui reviviscunt.

Virgo Dei Genitrix, quem totus non capit orbis, * in tua se clausit viscera, factus homo.

Gloria Patri.

PSALMUS 14.

DOMINA, quis habitabit in tabernaculo Dei? * aut quis requiescet cum senatoribus populi sui?

Pauperes spiritu, et mundi corde: * mites pacifici, atque lugentes.

Recordare, Domina, ut loquaris pro nobis bona,* et indignationem Filii tui avertas a nobis.

Amplectamur Mariæ vestigia, peccatores, * et ejus beatis pedibus provolvamur.

Teneamus eam fortiter, nec dimittamus,* do-

Digitized by Google

nec ab ea meruerimus benedici.

Gloria Patri.

PSALMUS 15.

CONSERVA me, Domina, quoniam speravi in te: * mihique tua stillicidia gratiæ impertire.

Alvus tuus virginalis,* et viscera tua filium Altissimi genuerunt.

Benedicta sint ubera tua, * quibus lacte deifico Salvatorem enutristi.

Confitemini laudes Virgini gloriosæ, * quicumque apud eam gratiam, et misericordiam invenistis.

Date magnificentiam nomini ejus: * et collaudate in sæculum conceptum, atque partum ejus.

Gloria Patri.

Ant. Ne projicias nos Domina, in tempore mortis nostræ.

Ant. Confitemini illi.

PSALMUS 16.

EXAUDI, Domina, justitiam meam, * et amove a me tribulationem meam.

Confitebor tibi in voce exultationis, * cum magnificaveris super me misericordiam tuam.

Imitamini eam, Virgines Dei, * ut imitatæ sunt Agnes, Barbara, Dorothea, et Catharina.

Honorificate eam in voce labiorum vestrorum: * per hoc ejus gratiam Agatha, Lucia, Margarita, et Cæcilia susceperunt.

Sponsum dabit vobis Dei Patris Filium: * et de paradisi liliis coronam incomparabiliter radiantem.

Gloria Patri.

PSALMUS 17.

DILIGAM te, Domina, cæli et terræ: * et in gentibus nomen tuum invocabo.

Confitemini illi tribulati corde: * et roborabit vos contra inimicos vestros.

Stilla nobis, Domina, gratiam uberum tuorum: * ex manante lacte dulcedinis tuæ refice viscera puerorum tuorum.

Religiosi omnes honorate illam: * quia ipsa est adjutrix vestra, et specialis advocata.

Esto refugium no-

Digitized by Google

strum; gloriosa Mater Christi: * quia tu es totius religionis mirabile firmamentum.

Gloria Patri.

PSALMUS 18.

Cæli enarrant gloriam tuam, Virgo Maria: * et unguentorum tuorum fragrantia in gentibus est dispersa.

Respirate ad illam, perditi peccatores; * et perducet vos ad indulgentiæ portum.

In hymnis, psalmis, et canticis pulsate viscera ejus: * et stillabit vobis gratiam dulcedinis suæ.

Glorificate eam, justi, ante thronum Dei; * quia fructu ventris ejus estis justitiam operati.

Laudate eam cæli cælorum: * et nomen ejus glorificet omnis terra.

Gloria Patri.

Ant. Confitemini illi tribulati corde: et roborabit vos contra inimicos vestros.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.

℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

Pater noster.

HYMNUS

Te Matrem Dei laudamus: * te Mariam Virginem confitemur.

Te æterni Patris filiam: * omnis terra veneratur.

Tibi omnes Angeli, et Arcangeli: * tibi Throni et Principatus fideliter deserviunt.

Tibi omnes Potestates, et omnes virtutes cælorum, * et universæ dominationes obediunt.

Tibi omnes Chori, tibi Cherubim, et Seraphim * exultantes assistunt.

Tibi omnis Angelica creatura * incessabili voce proclamat:

Sancta, Sancta, Sancta, Maria Dei Genitrix, * et Mater, et Virgo.

Pleni sunt cæli et terra * majestatis gloriæ fructus ventris tui.

Te gloriosus Apostolorum Chorus * sui Creatoris matrem collaudat.

Te Prophetarum laudabilis numerus * Virginem Deum parituram prædicat.

Te beatorum Martyrum cætus candidatus *

Digitized by Google

Christi genitricem glorificat.
Te gloriosus Confessorum exercitus, * Trinitatis templum appellat.
Te sanctarum Virginum chorea amabilis * virginitatis et humilitatis exemplum prædicat.
Te tota cælestis Curia * cælorum Reginam honorat.
Te per universum orbem * Ecclesia sancta invocando concelebrat.
Matrem * divinæ Majestatis.
Venerandam te veram Regis cælestis puerperam: * sanctam quoque, dulcem, et piam.
Tu Angelorum Domina: * tu paradisi janua.
Tu scala Regni cælestis: * tu Regis gloriæ thalamus.
Tu arca pietatis et gratiæ: * tu vena misericordiæ.
Tu sponsa * et Mater Regis æterni.
Tu templum, et sacrarium Spiritus Sancti: * totius beatissimæ Trinitatis nobile triclinium.
Tu mediatrix Dei et hominum: * amatrix mortalium, cælestis illuminatrix.
Tu ad liberandum exulem hominem, * Filium Dei suscepisti in uterum.
Per te expugnato hoste antiquo, * sunt aperta fidelibus regna cælorum.
Tu cum filio tuo * sedes ad dexteram Patris.
Tu ipsum pro nobis roga, Virgo Maria, * quem nos ad judicandum credimus esse venturum.
Te ergo poscimus, nobis tuis famulis subveni, * qui pretioso sanguine Filii tui redempti sumus.
Æterna fac, pia Virgo, cum sanctis tuis * in gloria numerari.
Salvum fac populum tuum, Domina, * ut simus participes hæreditatis Filii tui.
Et rege nos * et custodi nos usque in æternum.
Per singulos dies, o pia * te salutamus.
Et laudare te cupimus in æternum, * devota mente, et voce.
Dignare, dulcis Maria,

Digitized by Google

nunc,* et semper nos sine delicto conservare.
Miserere nobis, pia Mater, * miserere nobis.
Fiat misericordia tua magna nobiscum : * quia in te, Virgo Maria confidimus.
In te, dulcis Maria, speramus: * nos defendas in æternum.

AD LAUDES

℣. Domina in adjutorium meum intende.
℟. Domina ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri etc. Alleluja.
Antiph. Surge amica mea.

PSALMUS 92.

DOMINUS regnavit decorem induit ; * matremque suam ornamento decoravit virtutum.
Adimpleat propitiationem suam in nobis mater pacis; * et viam æquitatis doceat servos suos.
Qui desideratis sapientiam Christi * servite matri ejus animo reverenti.
Quis sufficiet enarrare opera tua, Domina? * et quis investigabit thesauros misericordiæ tuæ?
Sustine deficientes in tentationibus suis: * destina illos in sortem veritatis.
Gloria Patri.
Ant. Surge amica mea, speciosa mea, et veni.
Ant. Ne dimittas eam.

PSALMUS 99.

JUBILATE Dominæ nostræ, omnes homines terræ: * servite illi in lætitia, et jucunditate.
In toto animo vestro accedite ad illam: * et in omni virtute vestra conservate vias ejus.
Investigate illam, et manifestabitur vobis : * estote mundi corde, et apprehendetis eam.
Quibus auxiliata fueris, Domina, erit refrigerium pacis ; * et a quibus averteris vultum tuum, non erit spes ad salutem.
Recordare nostri, Domina, et non apprehendent nos mala: * succurre nobis in fine, et inveniemus vitam æternam.
Gloria Patri.
Ant. Ne dimittas eam, et custodiet te : dilige eam, et conservabit te.
Ant. Qui diligunt eam.

Digitized by Google

PSALMUS 62.

DEUS, Deus meus, * per matrem tuam te glorificabo.

Virginaliter enim te concepit: * et sine angustia te partorivit.

Benedicta sis, o Domina nostra: * et pro nobis assiste ante thronum Dei.

Species, et claritas in aspectu tuo: * misericordia, et charitas in animo tuo.

Custodi animam meam, Domina, * ut numquam curruat in peccata.

PSALMUS 66.

DEUS misereatur nostri, et benedicat nobis, * per illam quæ eum genuit.

Miserere nostri, Domina, et ora pro nobis: * in lætitiam bonam converte mœstitiam nostram.

Illumina me, stella maris: * clarifica me, virgo clarissima.

Extingue ardorem cordis mei: * refrigera me gratia tua.

Protegat me semper dextera tua: * præsentia tua illustret finem meum.

Gloria Patri.

Ant. Qui diligunt eam, comedent fructus ejus.

Ant. Venite Filii.

CANTICUM

BENEDICITE, omnia opera, Dominæ gloriosæ: * laudate, et superexaltate eam in sæcula.

Benedicite, Angeli, Dominæ nostræ: * benedicite, cæli, Dominæ nostræ.

Benedicat omnis creatura Dominam nostram, * quam Rex sic voluit benedici.

Benedicta sis, o Summi regis filia, * quæ odore præis cuncta lilia.

Benedicta sis, corona Dominorum omnium: * benedicta sis, gloria Jerusalem.

Odor tuus sicut agri pleni, cui benedixit Dominus; * qui in benedicentes te redundat, irrigans omnia intima eorum.

Qui benedixerit tibi, o Virgo Beata, * sit ille jugiter benedictus.

Qui maledixerit tibi, rosa candidissima, * sit ille maledictus.

Non recedat de domo servorum tuorum: * vini et olei abundantia.

In nomine tuo omne

Digitized by Google

genuflectatur, * cælestium, terrestrium et infernorum.

Benedicamus Deum, qui te creavit: * benedictus uterque parens, qui te generavit.

Benedicta sis, Domina, in cælo, et in terra: * laudabilis, et gloriosa, et superexaltata in sæcula.

Ant. Venite filii, audite me: timorem Domini docebo vos.

Ant. Benedicta tu.

PSALMUS 148.

LAUDATE Dominam nostram de cælis: * glorificate eam in excelsis.

Laudate eam, omnes homines et jumenta: * volucres cæli, et pisces maris.

Laudate eam, sol, et luna: * stellæ et circuli planetarum.

Laudate eam, Cherubim, et Seraphim; * Throni, Dominationes, et Potestates.

Laudate eam, omnes legiones Angelorum; * laudate eam, omnes ordines spirituum supernorum.

PSALMUS 149.

CANTATE Dominæ nostræ canticum novum; * laus ejus in congregatione justorum.

Lætentur cæli de gloria ejus: * insulæ manis et totus orbis.

Aqua, et ignis laudent eam: * frigus et æstus, splendor, et lumen.

Exaltationes ejus in gutture justorum: * et laudes ejus in cætu triumphantium.

Civitas Dei, jucundare in illa: * et pro incolis tuis frequenta illi carmen.

PSALMUS 150.

LAUDATE Dominam in sanctis ejus: * laudate eam in virtutibus, et miraculis ejus.

Laudate eam, cætus Apostolorum: * laudate eam, chori Patriarcharum, et Prophetarum.

Laudate eam, exercitus Martyrum: * laudate eam turmæ Doctorum, et Confessorum.

Laudate eam, collegia Virginum, et continentium: * laudate eam, Ordines Anachoritarum, et Monachorum.

Laudate eam, conventus Religiosorum omnium: * laudate eam, omnes animæ civium su-

Digitized by Google

pernorum: omnis spiritus laudet Dominam nostram.

Gloria Patri.

Ant. Benedicta tu inter mulieres: et benedictus fructus ventris tui.

CAPITULUM. *Cant. c. 1.*

Oleum effusum nomen tuum; ideo adolescentulæ dilexerunt te. Trahe me post te: curremus in odorem unguentorum tuorum.

℟. Deo gratias.

HYMNUS

ex D. Petro Damiano.

AURORA velut fulgida,
Ad cæli meat culmina;
Ut sol Maria splendida;
Tamquam luna pulcherrima.
Assumpta super Angelos
Excedit et Arcangelos;
Cuncta Sanctorum merita
Transcendit una fœmina.
Quem foverat in gremio,
Locarat in presepio,
Nunc Regem super omnia
Patris videt in gloria.
Pro nobis Virgo Virginum
Tuum deposce Filium;
Per quam nostra susceperat,
Ut sua nobis præbeat.
Sit tibi laus Altissime
Qui natus es ex Virgine,
Sit honor ineffabili
Patri, Sanctoque Flamini. Amen.

℣. Dignare me laudare te Virgo sacrata.

℟. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

Ad Benedicta

Ant. Confitemini nomini ejus.

CANTICUM

BENEDICTA sis, Domina, Et mater Dei Israel: * qui per te visitavit et fecit redemptionem plebis suæ.

Et erexit cornu salutare castitatis tuæ * in domo David pueri sui.

Sicut locutus est per os Isaiæ, * et aliorum sanctorum prophetarum ejus.

Salutem ex inimicis præsta Virginum Virgo, * et de manu omnium, qui nos oderunt, pacem nobis tribue.

Et fac misericordiam cum parentibus, et nobis, * et memor sis te-

Digitized by Google

stamenti omnipotentis Dei.

Quod juravit ad patres nostros, * Abraham, et semini ejus in sæcula.

Ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, * quiete serviamus illi.

In sanctitate, et justitia * coram te omnibus diebus nostris.

Et tu, Maria, Prophetа Dei vocaberis; * quoniam novisti quod respexit humilitatem ancillæ suæ.

Per quam dedit scientiam salutis plebi ejus * in remissionem peccatorum.

Per viscera multitudinis misericordiæ tuæ, * visita nos, stella matutina, oriens ex alto.

Illumina tenebras sedentium in umbra mortis; * et eos luce dilectissimi Filii tui digneris instillare.

Gloria Patri.

Ant. Confitemini nomini ejus quoniam sanctum est: enarrentur in sæculum mirabilia ejus.

ORATIO

DEUS, qui beatissimam Matrem tuam, glorioso, ac dulcissimo Nomine Mariæ appellari voluisti: concede propitius, ut cujus nomen veneramur in terris, ipsius patrocinium sentiamus in cælis. Qui vivis.

AD PRIMAM

Ant. Surge, amica mea, sponsa mea, et veni.

AD TERTIAM

Ant. Ne dimittas eam, et custodiet te: dilige eam, et conservabit te.

CAPITULUM.

Oleum effusum *ut supra.*

℟. Specie tua, * et pulchritudine tua.

Specie tua.

℣. Intende prospere procede, et regna. *Et* Gloria Patri. Specie.

℣. Adjuvabit eam Deus vultu suo.

℟. Deus in medio ejus non commovebitur.

Oratio ut supra.

AD SESTAM

Ant. Qui diligunt eam, comedent fructus ejus.

CAPITULUM. *Cant. 8.*

Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, de-

Digitized by Google

liciis affluens, innixa super dilectum suum?

℟. Deo gratias.

℟. *br.* Adjuvabit eam,* Deus vultu suo.

Adjuvabit.

℟. Deus in medio ejus non commovebitur.

Deus. Gloria Patri.

Adjuvabit.

℣. Elegit eam Deus, et præelegit eam.

℟. In tabernaculo suo habitare fecit eam.

AD NONAM

Ant. Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui.

CAPITULUM. *Cant. 11.*

Quam pulchra es amica mea, columba mea, immaculata mea, et odor vestimentorum tuorum super omnia aromata.

℟. Deo gratias.

℟. *br.* Elegit eam Deus,* et præelegit eam.

Elegit.

℟. In tabernaculo suo habitare facit eam. *Et* Gloria Patri.

Elegit.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.

℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

Oratio ut supra.

AD PRIMAM

Ave Maria etc.

℣. Domina in adjutorium etc.

HYMNUS

ex D. Petro Damiano.

Beata Dei genitrix,
Nitor humani generis:
Per quam de servis liberi,
Lucisque sumus filii.
Fac tuum nobis Filium
Pia prece propitium:
Quem graviter offendimus,
Tu mitem redde quæsumus.
Sit tibi laus Altissime,
Qui natus es ex Virgine:
Sit honor ineffabili
Patri, Sanctoque Flamini. Amen.

Ant. ut in die.

PSALMUS 53.

Domina, in nomine tuo salvum me fac: * et ab injustiis meis libera me.

Ut non noceat mihi calliditas inimici, * sub umbra alarum tuarum protege me.

O Domina mea, adjuva me: * gratiam tuam largire animæ meæ.

Digitized by Google

Voluntarie offeram tibi sacrificium laudis; * et confitebor nomini tuo, quoniam bonum est.

Quoniam ex omni tribulatione liberabis me; * et inimicos meos despicit oculus meus.

Gloria Patri.

PSALMUS 3.

Domina, quid multiplicati sunt, qui tribulant me? * in tempestate tua persequeris, et dissipabis eos.

Dissolve colligationes impietatis nostræ: * tolle fasciculos peccatorum nostrorum.

Miserere mei, Domina, et sana infirmitatem meam, * tolle dolorem et angustiam cordis mei.

Ne tradas me manibus inimicorum meorum: * et in die mortis meæ conforta animam meam.

Deduc me ad portum salutis: * et spiritum meum redde factori, et creatori meo.

Gloria Patri.

PSALMUS 19.

Exaudi nos, Domina, in die tribulationis: * et precibus nostris converte clementem faciem tuam.

Ne projicias nos in tempore mortis nostræ: * sed succurre animæ cum deseruerit corpus suum.

Mitte Angelum in occursum ejus, * per quem ab hostibus defendatur.

Ostende ei serenissimum Judicem sæculorum: * qui ob tui gratiam veniam ei largiatur.

Sentiat in pœnis refrigerium tuum: * et concede ei locum inter electos Dei.

Gloria Patri.

PSALMUS 24.

Ad te, Domina, levavi animam meam: * in judicio Dei, tuis precibus non erubescam.

Neque illudant mihi adversarii mei: * etenim præsumentes de te roborantur.

Non prævaleant adversum me laquei mortis: * et castra malignantium non impediant gressus meos.

Collide impetum eorum in virtute tua: * et cum mansuetudine occurre animæ meæ.

Ductrix mea esto ad patriam: * et me cætui Angelorum digneris aggregare. Gloria Patri.

Digitized by Google

PSALMUS 42.

JUDICA me, Domina, et discerne causam meam de gente perversa: * a serpente maligno, et dragone pestifero libera me.

Sancta fæcunditas tua disperdat eum:* et beata virginitas tua conterat caput ejus.

Sanctæ preces tuæ corroborent nos contra eum: * sancta merita tua exinaniant virtutem ejus.

Persecutorem animæ meæ mitte in abyssum: * puteus infernalis deglutiat eum viventem.

Ego autem, et anima mea in terra captivitatis meæ, benedicam nomen tuum: * et glorificabo te in sæcula sæculorum.

Gloria Patri.

SIMBOLUM

quod dicitur in festivitatibus B. M. V.

QUICUMQUE vult salvus esse; * ante omnia opus est, ut teneat de Maria firmam fidem.

Quam nisi quisque integram, inviolatamque servaverit, * absque dubio in æternum peribit.

Quoniam ipsa sola, Virgo manens, peperit: * sola cunctas hæreses interemit.

Confundatur, et erubescat Hebræus, * qui dicit Christum ex Joseph semine esse natum.

Confundatur Manicheus, * qui dicit Christum fictum habere corpus.

Palleat omnis, qui hoc ipsum aliunde, * non de Maria dicit assumpsisse.

Idem namque filius, qui est Patris in divinis unigenitus, * est et verus unigenitus Virginis Mariæ filius.

In cælis sine Matre, * in terris sine Patre.

Nam sicut anima rationalis et caro, propter unionem, de homine vere nascitur, * ita Deus et homo Christus, de Maria Virgine vere generatur.

Induens carnem de carne Virginis, * quia sic genus humanum redimi congruebat.

Qui secundum divinitatem, æqualis Patri: * secundum vero humanitatem minor Patre.

Conceptus in utero Virginis Mariæ, angelo annuntiante, de Spiritu

Digitized by Google

Sancto, * non tamen Spiritus Sanctus est pater ejus.

Editus in mundum sine pœna carnis Virginis Matris: * quia sine delectatione carnis conceptus.

Quem lactavit Mater ubere de cælo pleno, * quam circumstabant Angeli, obstetricum vice, nuntiantes pastoribus gaudium magnum.

Hic a Magis muneribus adoratus; * ab Herode in Egyptum fugatus.

A Joanne in Jordane baptizatus, * traditus, captus, flagellatus, crucifixus, mortuus, et sepultus.

Cum gloria resurrexit, ad cælos ascendit, * Spiritum Sanctum in discipulos, et in matrem misit.

Quam demum ipse in cælum assumpsit, et sedet ad dexteram filii, * non cessans pro nobis filium exorare.

Hæc est fides de Maria Virgine; * quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.

Gloria Patri.

Ant. Ut in die.

CAPITULUM. *Cant. 6.*

Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata?

℟. Deo gratias.

℟. *br.* Ave Filia Dei Patris. Ora pro nobis.

Et repetitur. Ave.

℣. Quæ peperisti nobis Redemptorem. ℟. Ora.

℣. Gloria Patri etc.

℟. Ave Filia etc.

℣. Exurge, Domina; adjuva nos.

℟. Et ab omni malo libera nos.

ORATIO

DIRIGANTUR hodie, quæsumus Domine, viæ nostræ, ad tuas justificationes custodiendas, ut gloriosæ Dei Genitricis, et Virginis Mariæ patrocinio sublevemur, et ejus semper orationibus a malis imminentibus defendamur. Per Dominum nostrum etc.

AD TERTIAM

Ave Maria etc.

℣. Domina in adjutorium etc.

Digitized by Google

HYMNUS

ex D. Petro Damiano.

Maria decus hominum,
Regis æterni solium,
Septem columnis edita
Domus a Sapientia.

Tu nos venturo Judici
Commenda prece supplici;
Tuis intentos laudibus
Mitis cernat ac placidus.

Sit tibi laus Altissime,
Qui natus es ex Virgine:
Sit honor ineffabili,
Patri, Sanctoque Flamini. Amen.

Ant. ut in die.

PSALMUS 50.

MISERERE mei, Domina, * quæ mater misericordiæ nuncuparis.

Et, secundum viscera misericordiarum tuarum; * munda me ab omnibus iniquitatibus meis.

Effunde gratiam tuam super me; * et solitam clementiam tuam ne subtrahas a me.

Quoniam peccata mea confitebor tibi; * et coram te me accuso de sceleribus meis.

Fructui ventris tui me reconcilia: * et pacifica me ei qui me creavit.

Gloria Patri.

PSALMUS 63.

EXAUDI, Domina, orationem meam cum deprecor: * a pavore crudelis libera animam meam.

Impetra nobis pacem, et salutem in die novissimo, * ut laudes tuas in æternum cantemus.

Benedicta sis super mulieres: * et benedictus sit fructus ventris tui.

Illumina oculos meos, et illustra cæcitatem meam: * ne unquam obdormiam in peccatis.

Da mihi in te confidentiam bonam, * in vita, et in fine meo.

Gloria Patri.

PSALMUS 69.

DOMINA, in adjutorium meum intende: * et luce misericordiæ tuæ illustra mentem meam.

Doce nos exquirere bonitatem tuam, * ut enarremus mirabilia tua.

Ostende potentiam tuam contra inimicos nostros, * ut sanctificeris in nationibus procul.

In ira flammæ tuæ mergantur in infernum: * et

Digitized by Google

qui conturbant servos tuos inveniant perditionem.

Miserere servorum tuorum; super quos invocatum est, nomen tuum;* et ne sinas angustiari eos in tentationibus suis.

Gloria Patri.

PSALMUS 88. ℵ

MISERICORDIAS tuas, Domina, * in sempiternum decantabo.

Unguento pietatis tuæ medere contritis corde;* et oleo misericordiæ tuæ refove dolores nostros.

Libera me ab omni tribulatione mala; * et ab omni peccato custodi animam meam.

Excita spiritum meum ad amandum bonitatem tuam: * excita mentem meam ad extollendam nobilitatem, et pretiositatem tuam.

Gratiosus tuus vultus mihi appareat in extremis: * formositas faciei tuæ lætificet egredientem spiritum meum.

Gloria Patri.

PSALMUS 118.

BEATI immaculati in via: * qui matrem Domini imitantur.

Beati imitatores humilitatis ejus:* beati participes charitatis illius.

Beati perscrutatores virtutum illius: * beati conformes imagini cordis illius.

Beati qui conceptum, et partum illius venerantur: * beati qui devote ei famulantur.

Beati qui in ea habent spem, et confidentiam: * beati qui per illam suscipiunt felicitatem sempiternam.

Gloria Patri.

Capitulum, Antiphona, Responsoria, et Oratio ut in die currenti.

AD SEXTAM

Ave Maria etc.

℣. Domina in adjutorium etc.

HYMNUS

ex D. Petro Damiano.

MARIA templum Domini,
Dei Mater et hominis,
Tunc vere Virgo Virginum,
Cum peperisti Filium.
Da nobis hunc in fervido
Mentis gestare gremio;
Ex tua carne genitus,
Nostris regnet in sensibus.

Digitized by Google

Sit tibi laus Altissime,
Qui natus es ex Virgine:
Sit honor ineffabili
Patri, Sanctoque Flamini. Amen.

PSALMUS 118.

RETRIBUE servo tuo, Domina: * vivifica me, ut faciam voluntatem tuam.

Incola ego sum in terra: * nihil abscondas mihi de amore tuo.

Concupivit anima mea, * laudem tuam enarrare omni tempore.

Tu enim salus mea in Domino: * quæ me morti adjudicatum liberasti.

Quid pro his retribuam tibi, nisi me totum? * Domina suscipe me.

Gloria Patri.

PSALMUS

LEGEM pone mihi, Domina, voluntatis tuæ, sanctorum sanctissima; * et exquiram eam semper.

Deduc me in semitam miserationum tuarum, mulierum pulcherrima; * quia ipsam volui.

Inclina animam meam ad supernorum amorem, Domina; * et non ad impudicitiam.

Ecce concupivi castimoniam tuam a juventute mea: * in misericordia tua confirma me.

Et observabo viam testimoniorum tuorum in sæculum; * et scrutabor mandata Filii tui, quæ dilexi.

Gloria Patri.

PSALMUS

MEMOR esto verbi tui, Dominarum primiceria: * in quo mihi spem dedisti.

Hæc in tempestatum fluctibus potenter tenuit me: * quia eloquium tuum vivificavit me.

Circumdederunt me viri mendaces, et congregata sunt super me flagella; * et ecce manus tua eripuit me.

Communicavi in bonis, omnibus timentibus te, * et custodientibus obnixe mandata tua.

Miserationibus tuis plena est terra: * ideo viam justificationum tuarum exquisivi.

Gloria Patri.

PSALMUS

BONITATEM fecisti cum servo tuo, Domina: * de qua gaudent Angeli.

Digitized by Google

Disciplinam morum tuorum; et æquitatem tuam doce me; * quia verbis tuis præ cunctis credidi.

Bonum mihi quia onere tuo humiliasti me: * ut sequar conversationem tuam.

Qui amant servientes tibi, venerabuntur; * qui autem abominatus fuerit eos, ruet in interitum.

Veniant mihi semper desuper guttæ clementiæ tuæ, et vivam: * quia lex tua sancta, meditatio mea est.

Gloria Patri.

PSALMUS

DEFECIT in semitis tuis anima mea, Domina;* et nisi miseratio tua maxima esset, periissem utique in infirmitate mea.

Defecerunt oculi mei in contemplatione tua: * velut uter in pruina a te visa est anima mea.

Secundum bonitatem tuam vivifica me: * et non obliviscar sermones tuos, quia tibi adhærere bonum est.

Dispositione tua perseverat mundus, * quem et tu eum Deo fundasti ab initio.

Tuus totus sum ego, Domina, salvum me fac: * quoniam desiderabiles erunt laudes tuæ in tempore peregrinationis meæ.

Gloria Patri.

Antiphona, Capitulum, Responsoria et Oratio ut in die currenti.

AD NONAM

Ave Maria etc.

℣. Domina in adjutorium etc.

HYMNUS

ex D. Petro Damiano.

O singularis fœmina,
Sola Virgo puerpera,
Præclara vitæ janua,
Qua cæli patent atria.
Tu nos culparum nexibus,
Sacris absolve precibus:
Tua promentes merita
Ad cæli transfer præmia.
Sit tibi laus Altissime,
Qui natus es ex Virgine:
Sit honor ineffabili
Patri, Sanctoque Flamini. Amen.

PSALMUS 118.

QUOMODO dilexi legem tuam, Domina! * in conspectu meo semper.

Digitized by Google

Suavitatem tuarum affluentia cor meum alienavit a me:* et caro mea mirabiliter exultavit in te.

Quam dulcia peccatoribus eloquia tua Domina! * super omnem melodiam refectio tua dulcis ori meo.

Illuminatio gressibus meis verbum tuum; * et lumen ineffabile semitis meis.

Quoties exasperaverunt me peccatores inferni, quia a charitate tua declinare nolui! * ego autem speravi in te, Domina.

Gloria Patri.

PSALMUS

INIQUOS hodio habui: * et viam tuam dilexi, Domina gratiosa.

Adjuva me, et salvus ero, Domina mundi: * et meditabor honorificentiam mandatorum tuorum.

Fac me semper stare in timore tuo; * et non tradas me, Virgo, calumniantibus me.

Vernaculus tuus sum ego, minimus in familia tua: * custodi me, Domina, a negligentibus judicia justitiæ tuæ.

Contemnes omnes discedentes a servitio tuo* quia injusta est conversatio eorum.

Gloria Patri.

PSALMUS

MIRABILIA testimonia tua, Mater alma; * et sermonibus tuis illuminatum est cor meum.

Vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis: * filiæ regum collaudabunt faciem tuam.

Ardens verbum labiorum tuorum vehementer: * qui ad te properat, percipiet illud.

Arundo agitata sum in conspectu tuo: * tene me, Domina, sub jugo tuo, et non confundar.

Servientes tibi plus aliis invadunt dracones inferni: * sed tu, Domina, defende nos.

Gloria Patri.

PSALMUS

CLAMAVI in toto corde meo ad te, Domina: * de necessitatibus meis clementer eripe me.

Vocem gemitus mei exaudi, Domina mea: * doce me quid acceptum sit apud te omni tempore.

Digitized by Google

Longe a nescientibus te salus; * qui autem perstat in obsequio tuo procul fiat a perditione.

Misericordia tua irrigat universum, Domina: * in salutari tuo vivifica me.

Initium eloquiorum tuorum veritas in æternum: * et legem tuam immaculatam non sum oblitus.

Gloria Patri.

PSALMUS

PRINCIPES persecuti sunt me gratis; * et ab invocatione nominis tui trepidat spiritus malignus.

Pax multa observantibus nomen tuum, Mater Dei; * et non est illis scandalum.

Septenis horis decantavi tibi laudes, Domina: * juxta eloquium tuum da mihi intellectum.

Intret oratio mea in conspectu tuo, ut non derelinquam te, Domina, cunctis diebus vitæ meæ; * quoniam viæ tuæ misericordia et veritas.

Concupiscam in æternum laudare te, Domina; * cum docueris me justificationes tuas.

Erravi sicut ovis quæ periit: * quære, Domina, servum tuum, ut non amplius derelinquam mandata Dei mei.

Gloria Patri.

Antiphona, Capitulum, Responsoria, et Oratio ut in die currenti.

FERIA II.

AD MATUTINUM

Ave Maria etc.

℣. Eja, labia mea etc. *ut pag. 3.*

HYMNUS.

ex D. Anselmo.

Præfulgens sol justitiæ,
Ortus de sacra Virgine;
Splendore tuo noxias,
Nostras illustra tenebras.

Orientis castissima
Mater fac nobis Domina
Vita prorsus ut decidat,
Vetus nova proficiat.

Jesu tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, et almo Spiritu
In sempiterna sæcula.
Amen.

Ant. Adorent te.

PSALMUS 20.

DOMINA, in virtute tua lætabitur cor no-

Digitized by Google

strum: * et in dulcedine nominis tui consolabitur anima nostra.

De sedibus tuis mitte nobis sapientiam; * per quam in omni veritate dulciter illustremur.

A carnalibus desideriis, concede gratiam abstinendi: * ut lumen gratiæ in nostris cordibus oriatur.

Quam dulcia diligentibus te eloquia tua, domina! * quam suavia sunt tuarum stillicidia gratiarum!

Gloriam, et honorem psallam tibi; * et in nomine tuo glorificabor in sæculum.

Gloria Patri.

PSALMUS 21.

DEUS, Deus meus, respiciat in me meritis tuis * Virgo semper Maria.

Domina mea, clamavi ad te per diem ac noctem: * et fecisti cum servo tuo misericordiam tuam.

Quia ego speravi in misericordia tua, * sempiternum a me opprobrium abstulisti.

Deriserunt me inimici mei undique; * tu autem sub umbra manus tuæ contulisti mihi refrigerium bonum.

Adorent te familiæ gentium, * et glorificent te omnes ordines Angelorum.

Gloria Patri.

PSALMUS 22.

DOMINUS regit me, Virgo Dei Genitrix, * quia tu amabilem vultum ejus ad me convertisti.

Benedicti sint oculi tui splendidissimi, * quos dignaris misericorditer convertere super nos peccatores.

Benedictum sit lumen, et splendor faciei tuæ: * benedicta sit gratia vultus tui.

Benedicta sit misericordia manuum tuarum: * benedicta sit emanatio virginei lactis tui.

Benedicant te Apostoli, et Prophetæ Dei: * Martyres, Confessores, et Virgines psallant tibi.

Gloria Patri.

Ant. Adorent te familiæ gentium, et glorificent te omnes ordines Angelorum.

Ant. Memento.

Digitized by Google

PSALMUS 23.

DOMINI est terra, et plenitudo ejus: * tu autem sanctissima Mater ejus, cum eo regnas in æternum.

Gloriam, et decorem induisti: * omnis lapis pretiosus amictus, et operimentum tuum.

Splendor solis super caput tuum: * lunaris pulchritudo sub pedibus tuis.

Sidera micantia ornant sedile tuum: * astra te glorificant jugiter matutina.

Memento nostri, Domina, in beneplacito tuo: * et fac nos dignos glorificandi nomen tuum.

Gloria Patri.

PSALMUS 26.

DOMINA, illuminatio mea sit splendor faciei tuæ: * et serenitas gratiæ tuæ refulgeat menti meæ.

Exalta caput meum super inimicos meos, et ego psallam: * psalmum nomini tuo decantabo.

Ne avertas faciem tuam a me: * quia speciem, et decorem tuum a juventute mea concupivi.

Te amavi, et exquisivi, regina cælorum: * misericordiam tuam, et gratiam tuam ne subtrahas a servo tuo.

Confitebor tibi in nationibus: * et thronum gloriæ tuæ honorificabo.

Gloria Patri.

PSALMUS 27.

AD te, Domina, clamabo, et exaudies me: * in voce laudis tuæ lætificabis me.

Miserere mei in die angustiæ meæ: * et in luce veritatis tuæ libera me.

Benedicta sis o Domina, * in finibus omnibus orbis terræ.

Sanctuarium, quod firmaverunt manus Dei: * est sanctum templum corporis tui.

Conscientia tua munda, et immaculata, * est locus propitiationis, et habitaculum sanctum Dei.

Gloria Patri.

Ant. Memento nostri Domina, in beneplacito tuo.

Ant. Exaudi.

PSALMUS 28.

AFFERTE Dominæ nostræ filii Dei: * afferte Do-

Digitized by Google

minæ nostræ laudem et reverentiam.

Da virtutem sanctis tuis, Mater sancta; * et benedictionem laudantibus atque glorificantibus te.

Exaudi gemitus suspirantium ad te: * et ne spernas vota invocantium nomen tuum.

Sit manus tua ad succurrendum mihi parata: * et auris tua intendens ad deprecationem meam.

Benedicant tibi cæli, et terra: * mare, et orbis terrarum.

Gloria Patri.

PSALMUS 29.

EXALTABO te, Domina, quoniam suscepisti me: * ab iniquo adversario meo liberabis me.

Convertere ad me, et vivifica me; de portis mortis reduc me: * et de fluctibus tribulationum quæ circumdederunt me.

Propter imperium, et magnificentiam dexteræ tuæ, * contere et dissipa omnes adversarios meos.

Et ego offeram tibi sacrificium laudis; * et gloriam tuam devotus exaltabo.

Exultate cæli, et jucundare terra: * quia consolatur Maria servos suos, et pauperum suorum miserebitur.

Gloria Patri.

PSALMUS 31.

BEATI, quorum corda te diligunt, Virgo Maria: * peccata ipsorum a te misericorditer diluentur.

Sancta, casta, et florigera viscera tua; * quæ florem viriditatis perpetuæ conceperunt.

Decor pulchritudinis tuæ corruptionem non videbit; * et vultus tui gratia in perpetuum non marcescet.

Benedicta tu, Virga Jesse sublimis; * quæ te usque ad sedentem in throno dilatasti.

O virgo regia, ipsa es via, * per quam nos salus de supernis sedibus visitavit.

Gloria Patri.

Ant. Exaudi, Domina, gemitus suspirantium ad te, et ne spernas vota nostra.

Ant. Accedite ad eam.

PSALMUS 32.

EXULTATE, justi, in Virgine Maria: * et in re-

Digitized by Google

etitudine cordis collaudate eam.

Accedite ad eam cum reverentia et devotione:* et delectetur cor vestrum in salutatione ejus.

Impendite illi sacrificium laudis; * et inebriamini ab uberibus dulcoris illius.

Influet enim vobis radios suæ pietatis: * et clarificabit vos fulgoribus misericordiæ suæ.

Suavissimus est fructus illius: * et in ore et in corde sapientis dulcescit.

Gloria Patri.

PSALMUS 33.

BENEDICAM Dominam in omni tempore, * et non deficiet laus ejus in ore meo.

Magnificate eam mecum, omnes qui impinguati estis, * melle et lacte recreationis ejus.

In periculis, et in rebus dubiis invocate eam;* et in necessitatibus invenietis auxilium, et refrigerium dulce.

Sumite exemplum conversationis ejus; * et æmulamini studia charitatis, et humilitatis illius.

Quia ergo, Domina, humillima fuisti, * Verbum increatum ex te carnem suscipere cœgisti.

Gloria Patri.

PSALMUS 34.

JUDICA, Domina, nocentes me; * et contra eos exurge, et vindica causam meam.

Anima mea in te lætabitur: * et tuis beneficiis devotus exultabo.

Gratia, et dulcedine tua pleni sunt cæli, et terra: * undique tuis beneficiis irretisti nos semper.

Quocumque enim pergimus, * occurrit nobis diffusio tui uteri virginalis.

Curramus ergo, charissimi, et ita nobilem, et dulcifluam virginem salutemus, * ut in suæ dulcedinis gremio quiescamus.

Gloria Patri.

Ant. Accedite ad eam cum reverentia, et devotione.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.

℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

Pater noster.

Digitized by Google

AD LAUDES

Ant. Fecit mihi magna.

Psalmus. Dominus regnavit. *pag. 11.*

Ant. Fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen ejus.

Ant. In me gratia.

PSALMUS 5.

VERBA mea auribus percipe, Domina, * et ne avertas a me speciositatem vultus tui.

Converte luctum nostrum in gaudium: * et tribulationem nostram in jubilationem.

Corruant ante pedes nostros inimici nostri: * virtute tua eorum capita conterantur.

Benedicat te omnis lingua; * et nomen sanctum tuum confiteatur omnis caro.

Spiritus enim tuus super mel dulcis: * et hæreditas tua super mel et favum.

Gloria Patri

Ant. In me gratia, et omnis spes vitæ, et virtutis.

Ant. Qui me invenerit.

Psal. Deus, Deus meus. *pag. 12.*

Ant. Qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino.

Ant. Spiritus meus,

CANTICUM

CONFITEBOR tibi, Domina; * quoniam per te placatus est mihi Dominus, et consolata es me.

Ecce, Domina, salvatrix mea: * fiducialiter agam in te, et non timebo.

Quia fortitudo mea, et laus mea in Domino es tu: * et facta es mihi in salutem.

Hauriam aquas in gaudio de rivulo; * et semper invocabo nomen tuum.

Notas facite in populis virtutes Dominæ nostræ: * quia excelsum est valde nomen ejus.

Exulta et lauda, totum genus humanum, * quia talem dedit tibi mediatricem Dominus Deus tuus.

Gloria Patri.

Ant. Spiritus meus super mel dulcis, et hæreditas mea super mel et favum.

Ant. Qui audit me.

Digitized by Google

Psalm. Laudate Dominam de cælis. *pag. 13.*

Ant. Qui audit me, non confundetur, et qui operantur in me, non peccabunt.

CAPITULUM. *Eccl. 24.*

Ab initio, et ante sæcula creata sum, et usque ad futurum sæculum non desinam, et in habitatione sancta coram ipso ministravi.

℟. Deo gratias.

HYMNUS

ex D. Petro Damiano.

TERRENA cuncta jubilent,
Astra laudibus intonent,
Virginis ante Thalamum
Laudes alternent dragmatum.
Hæc Virgo Verbo gravida,
Fit Paradisi janua,
Quæ Deum mundo reddidit,
Cælum nobis aperuit.
Dives Mariæ gremium,
Mundi gestavit pretium:
Quo gloriamur redimi,
Soluti jugo debiti.
Quam Patris implet Filius,
Sanctus obumbrat Spiritus;
Cælum fiunt castissima
Sacræ puellæ viscera.
Sit tibi laus Altissime,
Qui natus es ex Virgine,
Sit honor ineffabili
Patri, Sanctoque Flamini. Amen.

℣. Dignare me laudare te, Virgo sacrata.

℟. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

Ad Benedicta.

Ant. Ad te.

Canticum. Benedicta sis etc. *pag. 14.*

Ant. Ad te, Sancta Dei Genitrix, clamavimus, et per te venit nobis Domini auxilium.

ORATIO

OMNIPOTENS, et misericors Deus, qui ad defensionem populi Christiani in beatissima Virgine Maria perpetuum Auxilium mirabiliter constituisti: concede propitius, ut tali præsidio muniti certantes in vita, victoriam de hoste maligno consequi valeamus in morte. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum etc.

Digitized by Google

AD PRIMAM

Ant. Fecit mihi magna, qui potens est, et sanctum nomen ejus.

AD TERTIAM

Ant. In me gratia, et omnis spes vitæ, et virtutis.

Capit. Ab initio. *ut supra.*

℟. *br.* Specie tua, * et pulchritudine tua. Specie tua.

℣. Intende, prospere, procede, et regna. Et Gloria Patri. Specie tua.

℣. Adjuvabit eam, Deus vultu suo.

℟. Deus in medio ejus non commovebitur.

AD SEXTAM

Ant. Qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino.

Capitul. *Eccl. 24.*

Et sic in Sion firmata sum, et in civitate sanctificata similiter requievi, et in Jerusalem potestas mea. ℟. Deo gratias.

℟. *br.* Adjuvabit eam * Deus vultu suo. Adjuvabit eam.

℣. Deus in medio ejus non commovebitur. Deus. Gloria Patri. Adjuvabit.

℣. Elegit eam Deus, et prælegit eam.

℟. In tabernaculo suo habitare facit eam.

AD NONAM

Ant. Qui audit me, non confundetur, et qui operantur in me, non peccabunt.

CAPITUL. *Eccl. 24.*

Et radicavi in populo honorificato, et in parte Dei mei hæreditas illius, et in plenitudine Sanctorum detentio mea.

℟. Deo gratias.

℟. *br.* Elegit eam Deus, * et prælegit eam. Elegit.

℣. In tabernaculo suo habitare facit eam. Et prælegit. Gloria Patri. Elegit.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.

℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

FERIA III.

AD MATUTINUM

Ave Maria etc.

℣. Eja, labia mea, etc. ut *pag. 3.*

HYMNUS

ex D. Anselmo.

O Christe proles Virginis,

Digitized by Google

Patris compar Altissimi
Per tuæ Matris merita,
Dele nostra peccamina.
O mundo venerabilis
Virgo Mater mirabilis,
Maria plena gratia,
Ora pro nobis Domina.
Jesu tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, et almo Spiritu
In sempiterna sæcula. Amen.

Ant. Potentia.

PSALMUS 35.

DIXIT injustus ut peccet in abscondito: * per te a malo proposito discedat, mater Dei.

Inclina vultum Dei super nos: * coge illum peccatoribus misereri.

Domina, in cælo misericordia tua: * et gratia tua diffusa est super terram.

Potentia, et virtus in brachio tuo: * robur, et fortitudo in dextera tua.

Benedictum sit imperium tuum super cælos: * benedicta sit magnificentia tua super terram.

Gloria Patri.

PSALMUS 36.

NOLI æmulari in malignantibus, Domina: * furorem eorum dulcifica per gratiam tuam.

Sperate in illa, religiosi, et claustrales: * confidite in illa, clerici et sæculares.

Delectamini in laudibus illius: * et exaudiet petitiones cordis vestri.

Melius est modicum cum gratia illius: * quam thesauri auri, et argenti, et lapides pretiosi.

Gloria semper sit tibi, o regina cælorum: * et in ullo tempore noli nos oblivisci.

Gloria Patri.

PSALMUS 37.

DOMINA, ne in furore suo arguat nos Dominus: * nobis veniam obtine de peccatis.

In conspectu tuo sit omne desiderium nostrum, * spes, et confidentia nostra.

Cor meum conturbatum est in me: * recessit lux de visceribus meis.

Illumina splendore tuo cæcitatem meam: * dulcifica dulcore tuo contritionem meam.

Digitized by Google

Ne derelinquas me, Domina, Mater Dei; * gratia, et virtus tua sit a dextris meis.

Gloria Patri.

Ant. Potentia, et virtus in brachio tuo, robur et fortitudo in dextera tua.

Ant. Miserere mei.

PSALMUS 38.

DIXI, custodiam vias meas, Domina, * cum per te Christi gratia fuerit mihi data.

Dulcore tuo liquefactum est cor meum: * amore tuo inflammata sunt viscera mea.

Exaudi orationem meam, Domina, et deprecationem meam; * et contabescant adversarii mei.

Miserere mei de cælis, et de altitudine throni tui; * et ne permittas me in valle miseriæ conturbari.

Custodi pedem meum ne labatur: * et in fine meo sit mihi præsens gratia tua.

Gloria Patri.

PSALMUS 39.

EXPECTANS expectavi gratiam tuam, Domina; * et fecisti mihi secundum multitudinem misericordiæ nominis tui.

Exaudisti preces meas: * et eduxisti me de lacu miseriæ, et de fovea inimici.

Multa et mirabilia sunt dona tua, Domina: * incomparabilia sunt munera gratiarum tuarum.

Exultent, et lætentur super te omnes qui diligunt te: * qui oderunt nomen tuum corruant in infernum.

Benedicta sis in æternum, Domina; * in sæculum, et in sæculum sæculi. Gloria Patri.

PSALMUS 40.

BEATA, Maria, quæ intelligis super egenum et pauperem, * in tuis laudibus permanentem.

Domina Angelorum, regina mundi; * munda cor meum igne amoris, et charitatis tuæ.

Tu es mater illuminatoris cordis mei: * tu es nutrix refovens mentem meam.

Te cupit os meum collaudare: * te affectat mens mea affectuosissime venerari.

Digitized by Google

Te desiderat anima mea exorare: * quia tuitioni tuæ se commendat tota substantia mea.

Gloria Patri.

Ant. Miserere mei de cælis, et de altitudine throni tui.

Ant. Illumina me.

PSALMUS 41.

QUEMADMODUM desiderat cervus ad fontes aquarum; * ita ad amorem tuum anhelat anima mea.

Quia tu es Genitrix vitæ animæ meæ, * et altrix reparatoris carnis meæ.

Quia tu es lactatrix salvatoris animæ meæ: * initium, et finis totius salutis meæ.

Exaudi me, Domina, ut mundentur sordes meæ: * illumina me, Domina, ut illustrentur tenebræ meæ.

Accendatur amore tuo tepor meus; * gratia tua expellatur torpor meus.

Gloria Patri.

PSALMUS 43.

DOMINA, auribus nostris audivimus, * et patres nostri annuntiaverunt nobis.

Quia ineffabilia sunt merita tua; * et valde stupenda mirabilia tua.

Domina, innumerabiles sunt virtutes tuæ, * et inæstimabiles misericordiæ tuæ.

Exulta anima mea, et lætare in illa: * quia multa bona sunt laudatoribus præparata.

Benedicta sis, Regina cælorum, et Angelorum: * et benedicantur a Deo laudatores magnificentiæ tuæ.

Gloria Patri.

PSALMUS 44.

ERUCTAVIT cor meum verbum bonum, Domina; * cum tuo rore mellifluo extitit dulcoratum.

Per tuam sanctitatem peccata mea purgantur: * per tuam integritatem mihi incorruptibilitas condonatur.

Per tuam virginitatem anima mea a Christo adamatur, * et sibi amoris vinculo sociatur.

Per tuam fæcunditatem, ego captivus, sum redemptus: * per tuum partum virgineum, de morte perpetua sum ereptus.

Digitized by Google

Per tuam prolem dignissimam, perditus sum restitutus: * et de exilio miseriæ in patriam beatitudinis reductus.

Gloria Patri.

Ant. Illumina me, domina, et illustrentur tenebræ meæ.

Ant. Exulta.

PSALMUS 45.

DOMINA, refugium nostrum tu es in omni necessitate nostra: * et virtus potenter conterens inimicum.

Beneficiis tuis plenus est mundus: * superant cælestia, penetrant et inferna.

Plenitudine gratiæ tuæ, * quæ in inferno erant, se lætantur liberata.

Obtentu fæcunditatis tuæ virgineæ, * quæ supra mundum sunt, se gaudent restaurata.

Per gloriosum partum tuæ virginitatis sanctissimæ, * homines fiunt Angelorum socii, et concives. Gloria Patri.

PSALMUS 46.

OMNES gentes, plaudite manibus: * psallite in jubilo Virgini gloriosæ.

Quoniam ipsa est porta vitæ, janua salutis, * et via nostræ reconciliationis.

Spes pœnitentium, solamen lugentium, * pax vera cordium, atque salus.

Miserere mei, Domina, miserere mei: * quia tu es lux, et spes omnium confidentium in te.

Per tuam salutarem fæcunditatem tibi placeat, * ut peccatorum venia mihi concedatur.

Gloria Patri.

PSALMUS 47.

MAGNA es, Domina, et laudabilis valde in civitate Dei cæli; * et in universa ecclesia electorum ejus.

Ascendisti, alternantibus hymnidicis angelicis choris, * Archangelis constipata, rosis, et liliis coronata.

Occurrite illi potestates, et principatus: * obviate ei, virtutes et dominationes.

Cherubim, throni, et Seraphim, exaltate eam: * et constituite eam a dextris sponsi amantissimi filii ejus.

O quam læto animo, et

Digitized by Google

quam sereno aspectu suscepisti eam, Angelorum et hominum Deus; * et dedisti ei principatum super omnem locum dominationis tuæ!

Gloria Patri.

Ant. Exulta anima mea, et lætare in illa, quia multa bona sunt laudatoribus præparata.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.

℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

Pater noster.

AD LAUDES

Domina, in adjutorium etc.

Ant. Sicut lilium.

Psalmus. Dominus regnavit. *pag. 11.*

Ant. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias Adæ.

Ant. Tota pulchra es.

PSALMUS 25.

JUDICA me, Domina, quoniam ab innocentia mea digressus sum: * sed quia speravi in te non infirmabor.

Ure cor meum igne amoris tui; * et cingulo castitatis restringe renes meos.

Quoniam misericordia, et clementia tua ante oculos meos: * et delectatus sum in voce laudis tuæ.

Domina, dilexi decorem faciei tuæ; * et veneratus sum sanctam majestatem tuam.

Confitemini nomini ejus, quoniam sanctum est: * enarrentur in sæculum mirabilia ejus.

Gloria Patri.

Ant. Tola pulchra es, Maria, et macula originalis non est in te.

Ant. Aquæ multæ.

Psalmus. Deus, Deus meus. *pag. 12.*

Antiph. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina peccatorum obruent eam.

Ant. Vox tua.

CANTICUM

EGO dixi circa dimidium dierum meorum; * Vadam ad Mariam, ut me Christo reconciliet.

Quæsivi residuum annorum meorum, * in amaritudine animæ meæ.

Generatio mea ablata est; quia pater et mater, et omnia dereliquerunt me: * Maria autem assumpsit me.

Sperabam in illa mane,

Digitized by Google

sero, et meridie: * quasi leo sic contrivit omnia ossa peccatorum meorum.

Et tu, Domina, eruisti animam meam ut non periret, * et de manu canis unicam meam.

Domina, salvum me fac, et laudem tuam cantabo cunctis diebus vitæ meæ, * o pia mater Domini mei.

Gloria Patri.

Ant. Vox enim tua dulcis, et facies illa tua decora nimis.

Ant. Quæ est ista.

Psalmus. Laudate Dominam de cælis. *pag. 13.*

Ant. Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ et thuris?

CAPITULUM. *Cant. 8.*

Viderunt eam filiæ Sion, et beatissimam prædicaverunt, et Reginæ laudaverunt eam.

℟. Deo gratias.

HYMNUS

SALVE Regina Empirei,
Mater misericordiæ,
Unica spes mortalium,
Et vera fons dulcedinis.
Nos Evæ filii exules,
Voces clamantes mittimus,
Et suspirantes, gemimus
In Valle plena lacrymis.
Eja, advocata pauperum,
Eja, lux alma in tenebris
Vultus gratiosi lumina
Converte, o cara genitrix.
Fructum tui ventris Virginis,
Quem nos videre cupimus,
Ostende post exilium
In sempiterna sæcula.
Sit Trinitati gloria,
Nam nobis dedit Virginem,
Quæ salvos potest facere
Suos amantes famulos.
Amen.

℣. Dignare me, laudare te, Virgo sacrata.

℟. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

Ad Benedicta.

Ant. Unica est.

Canticum. Benedicta sis Domina. *pag. 14.*

Ant. Unica est columba mea, una est perfecta mea, una est genitricis suæ electa. Viderunt eam

Digitized by Google

animæ sanctæ, et immaculatam prædicaverunt.

ORATIO

ex D. Petro Damiano.

DEUS, qui humanæ substantiæ veritatem de virginalis uteri materia suscepisti; da nobis, beatæ Genitricis tuæ precibus, ita degenerem exuere vetustatem, ut te novæ generationis induamus Auctorem. Qui vivis, et regnas.

AD PRIMAM

Ant. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias Adæ.

AD TERTIAM

Ant. Tota pulchra es, Maria, et macula originalis non est in te.

CAPITULUM. Viderunt. *ut supra.*

℟. *br.* Specie tua, * et pulchritudine tua. Specie tua.

℣. Intende, prospere, procede, et regna.

Et pulchritudine. Gloria Patri. Specie.

℣. Adjuvabit eam Deus vultu suo.

℟. Deus in medio ejus non commovebitur.

AD SEXTAM

Antiph. Vox enim tua dulcis, et facies illa tua decora nimis.

CAPITULUM. *Cant. 7.*

Quam pulchri sunt gressus tui, filia principis. Collum tuum sicut turris eburnea, et comæ capitis tui sicut purpura regis vincta canalibus. ℟. Deo gratias.

℟. *br.* Adjuvabit eam,* Deus vultu suo.

Adjuvabit.

℣. Deus in medio ejus non commovebitur. Deus.

Gloria Patri. Adjuvabit.

℣. Elegit eam Deus, et prælegit eam.

℟. In tabernaculo suo habitare facit eam.

AD NONAM

Ant. Quæ est ista; quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ et thuris?

CAPITULUM. *Jud. 15.*

Benedixerunt eam omnes una voce dicentes: tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri.

℟. Deo gratias.

Digitized by Google

℟. *br.* Elegit eam Deus, * et præelegit eam.
Elegit.

℣. In tabernaculo suo habitare facit eam. Et.

℣. Gloria Patri. Elegit.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.

℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

FERIA IV.

AD MATUTINUM.

Ave Maria etc.

Eja, labia mea etc. *p. 3.*

HYMNUS

ex D. Anselmo.

QUEM credimus ex Virgine
Natum, benigne Domine,
Sit nobis hæc confessio,
Peccatorum remissio.
Quæ genuisti filium
A summo Patre genitum,
Per hæc tua nos merita
A lapsu mortis libera.
Jesu tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, et almo Spiritu,
In sempiterna sæcula.
Amen,
Ant. Ave Maria.

PSALMUS 48.

AUDITE hæc, omnes gentes: * auribus percipite, qui ingredi cupitis regnum Dei.

Virginem Mariam honorate: * et invenietis vitam, et salutem perpetuam.

Pauperes servos tuos, Domina, * felici confœderatione conjunge Christo.

Esuriem parvulorum tuorum, * fructu ventris tui refice, et sustenta.

Remansisti enim incorrupta post partum, * et inviolata post filium.

Gloria Patri etc.

PSALMUS 49.

DEUS Deorum Mariæ locutus est, * per Gabrielem nuntium suum, dicens.

Ave, gratia plena, Dominus tecum: * per te salus mundi reparabitur.

Speciem et decorem tuum * Altissimi filius concupivit.

Adorna thalamum tuum Sion: * propera in occursum Dei tui.

Per Spiritum enim Sanctum concipies; * qui tuum partum faciet virgineum, et jucundum.

Gloria Patri etc.

Digitized by Google

PSALMUS 51.

QUID gloriaris in malitia, * o maligne serpens, et draco infernalis?

Submitte caput tuum mulieri, * cujus fortitudine demergeris in profundum.

Contere eum, Domina, pede virtutis tuæ: * exurge, et dissipa malitiam ejus.

Extingue potentiam ejus: * et virtutem illius redige in favillam.

Ut, viventes, exultemus in nomine tuo; * et læto animo dicamus tibi laudem.

Gloria Patri.

Ant. Ave, gratia plena, Dominus tecum; per te salus mundi reparabitur.

Ant. Excita.

PSALMUS 52.

DIXIT insipiens inimicus in corde suo: * Hominem ejiciam de tabernaculo filiorum Dei.

Egrediar, et ero spiritus mendax in ore serpentis: * et per fœminam ejiciam virum ejus.

Sicut exaltantur, o miser, cœli a terra: * sic exaltatæ sunt cogitationes Dei a cogitationibus tuis.

Noli extolli de casu mulieris: * quia mulier conteret caput tuum.

Tu illi foveam præparasti: * sed in laqueo humilitatis illius capieris.

Gloria Patri.

PSALMUS 54.

EXAUDI, Domina, orationem meam, * et ne contemnas deprecationem meam.

Contristatus sum in cogitatione mea: * quia judicia Dei perterruerunt me.

Tenebræ mortis venerunt super me: * et pavor inferni invasit me.

Ego autem in solitudine expecto consolationem tuam: * et in cubili meo attendo misericordiam tuam.

Glorifica manum, et dexterum brachium tuum; * ut prosternantur a nobis inimici nostri.

Gloria Patri.

PSALMUS 55.

MISERERE mei, Domina, quoniam conculcaverunt me hostes mei: * quotidie omnes cogitatio-

Digitized by Google

nes eorum in malum contra me.

Excita furorem, et memento belli: * et super eos effunde iram tuam.

Innova signa, et immuta mirabilia: * sentiamus adjutorium brachii tui.

Glorifica nomen tuum super nos, * ut cognoscamus quoniam in sæculum misericordia tua.

Stilla nobis guttam suavitatis tuæ: * quia tu es pincerna gratiæ et dulcoris.

Gloria Patri.

Ant. Excita furorem, et memento belli, et super eos effunde iram tuam.

Ant. Exurge.

PSALMUS 56.

MISERERE mei, Domina, miserere mei; * quia paratum est cor meum exquirere voluntatem tuam.

Et in umbra alarum tuarum requiescam; * quia delectabile est mihi refrigerium tuum.

Manus tuæ distillant myrrham primam; * et digiti tui unguenta gratiarum.

Et fragmen mali punici est guttur tuum; * et spiramen oris tui suave compositum thymiama.

Tu enim es mater pulchræ dilectionis, et anchora spei: * portus indulgentiæ, et janua salutis.

Gloria Patri

PSALMUS 57.

SI vere utique justitiam loquimini; * justitiæ et misericordiæ honorate reginam.

Ad laudem enim, et gloriam pertinet Salvatoris * quidquid honoris suæ impensum fuerit genitrici.

Rosæ martyrum te circumdant, o Regina; * et lilia virginum ambiunt thronum tuum.

Laudate eam simul astra matutina: * concentum illi facite, omnes filii Dei.

Glorificate eam, cæli, et terra, maria, et flumina, * ac fundamenta orbis.

Gloria Patri.

PSALMUS 58.

ERIPE me de inimicis meis, Domina mundi: * exurge in occursum meum, regina pietatis.

Digitized by Google

Aurum obrizum in ornamentis tuis: * sardius, et topatius in diademate tuo.

Iaspis et amethystus in dextera tua: * berillus et chrysolitus in sinistra tua.

Hyacinthus et achates in pectore tuo: * carbunculi scintillantes in monilibus tuis.

Myrrha, thus, et balsamum in manibus tuis: * sapphyrus, et smaragdus in digitis tuis.

Gloria Patri.

Ant. Exurge in adjutorium meum, Regina pietatis.

Ant. Esto mihi.

PSALMUS 59.

DEUS, repulisti nos propter peccata nostra: * et misertus es nobis per Virginem Mariam.

Intercede pro nobis, salutifera mater Dei; * quæ Angelorum et hominum salutem peperisti.

Tu enim mœstis exultationem infundis: * et mœrentibus, lætitiam, et dulcorem.

Lætifica nos dulcissimo sono oris tui: * et liquore tuo roseo perfunde corda nostra.

Da ei laudem, cœlum cum astris: * glorifica illam, terra cum omnibus habitatoribus tuis.

Gloria Patri.

PSALMUS 60.

EXAUDI, Domina, orationem meam: * supra firmam petram stabilias mentem meam.

Esto mihi turris fortitudinis: * me tuearis a facie crudelis vastatoris.

Ut castrorum acies sis illi terribilis; * et vivus corruat in profundum inferni.

Tu enim es rutilans, et decora: * nubes rorifera, et consurgens aurora.

Pulchra es et clara, ut luna plenissima: * tamquam sol refulget sacer aspectus tuus.

Gloria Patri.

PSALMUS 61.

NONNE, Domina, tibi subjecta erit anima mea: * quæ Salvatorem omnium genuisti?

Memento nostri, perditorum Salvatrix: * exaudi planctus et suspiria cordis nostri.

Infunde nobis gratiam de thesauris tuis; * et un-

Digitized by Google

guentis tui placa dolorem nostrum.

Da nobis gaudium, et lætitiam, * ut confundamus inimicos nostros.

Ablue omnia peccata nostra: * sana omnes infirmitates nostras.

Gloria Patri.

Ant. Esto mihi, Domina, turris fortitudinis a facie inimici.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.

℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

Pater noster.

AD LAUDES

Ant. Beata es.

Psalmus. Dominus regnavit. *pag. 11.*

Ant. Beata es, Virgo Maria, quæ omnium portasti Creatorem.

Ant. Genuisti.

PSALMUS 64.

TE decet hymnus, Domina nostra, in Sion:* laus et jubilatio in Jerusalem.

Benedictionem omnium gentium dedit tibi Dominus: * laudem et gloriam ante conspectum populorum.

Benedixit te Dominus in misericordia sua: * et thronum tuum constituit super omnes ordines Angelorum.

Gratiam, et decorem posuit in labiis tuis: * et pallio gloriæ induit corpus tuum.

Coronam radiantem posuit in capite tuo: * et virtutum monilibus te decenter ornavit.

Gloria Patri.

Ant. Genuisti, qui te fecit, et in æternum permanes Virgo.

Ant. Beatam me dicant.

Psalmus. Deus Deus meus etc. *pag. 12.*

Ant. Beatam me dicent omnes generationes, quia Ancillam humilem respexit Deus.

Ant. Fecit mihi magna.

CANTICUM

EXULTAVIT cor meum in Domino: * et exaltatum est cornu meum in Domina mea.

Quia fecit mihi magna, qui potens est, * per Mariam matrem ejus.

Non est sancta ut est Domina nostra, * quæ sola supergressa est universas.

Recedant ergo vetera

Digitized by Google

de ore nostro; * et linguis loquamur novis.

Exulta, et lauda Mariam, Sion, et Jerusalem: * quia maxima in dominabus Israel.

Ipsa pauperem facit, et ditat: * humiliat, et sublevat.

Altior cœlo, terra latior,*est hæc Domina nostra.

Gloria Patri.

Ant. Fecit mihi magna, qui potens est, et sanctum nomen ejus.

Ant. Sine tactu pudoris.

Psalmus. Laudate Dominam de cœlis. *pag. 13.*

Ant. Sine tactu pudoris inventa es Mater Salvatoris.

CAPITULUM. *Eccl. 24.*

Qui creavit me requievit in tabernaculo meo: et dixit mihi; in Jacob inhabita: et in electis meis mitte radices.

℟. Deo gratias.

HYMNUS

ex D. Petro Damiano.

MARIA Virgo Regia
David stirpe progenita,
Non tam paterna nobilis,
Quam dignitate sobolis.

Tu nos avulsos veteri,
Complanta novo germini:
Per te sit genus hominum,
Regale sacerdotium.

O Mater amantissima
Mulierum pulcherrima;
O sanctitatis anima
Accende cordis intima.

Sit tibi laus Altissime
Qui natus es de Virgine
Sit honor ineffabili
Patri, sanctoque Flamini.
Amen.

℣. Dignare me laudare te, Virgo sacrata.

℟. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

Ad Benedicta.

Ant. Germinavit.

Cantic. Benedicta sis. *pag. 14.*

Ant. Germinavit radix Jesse: orta est stella ex Jacob. Virgo peperit Salvatorem. Te laudamus Deus noster.

ORATIO

ex D. Petro Damiano.

CONCEDE, nos quæsumus, Omnipotens Deus, Bea-

Digitized by Google

tæ Mariæ semper Virginis precibus sublevari, per cujus ineffabilem partum procurasti salutis humanæ remedium. Per Dominum nostrum.

AD PRIMAM

Ant. Beata es, Virgo Maria, quæ omnium portasti Creatorem.

AD TERTIAM

Ant. Genuisti, qui te fecit, et in æternum permanes Virgo.

CAPITULUM. Qui creavit me, *ut supra.*

℟. *br.* Specie tua,* et pulchritudine tua.
Specie tua.

℣. Intende, prospere, procede, et regna. Et.

℣. Gloria Patri. Specie tua.

℣. Adjuvabit eam Deus vultu suo.

℟. Deus in medio ejus non commovebitur.

AD SEXTAM

Ant. Beatam me dicent omnes generationes, quia ancillam humilem respexit Deus.

CAPITULUM. *Eccl. 24.*

Quasi cedrus exaltata sum in Libano, et quasi cypressus in monte Sion: quasi oliva speciosa in campis, et quasi platanus exaltata sum juxta aquam in plateis.

℟. Deo Gratias.

℟. *br.* Adjuvabit eam; Deus vultu suo.
Adjuvabit.

℣. Deus in medio ejus non commovebitur.

Deus. Gloria Patri. Adjuvabit.

℣. Elegit eam Deus;* et præelegit eam.

℟. In tabernaculo suo habitare facit eam.

AD NONAM

Ant. Sine tactu pudoris inventa es mater Salvatoris.

CAPITULUM. *Eccl. 24.*

Ego mater pulchræ dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctæ spei.

℟. Deo gratias.

℟. *br.* Elegit eam Deus;* et præelegit eam.
Elegit.

℣. In tabernaculo suo habitare facit eam.

Et. Gloria Patri. Elegit.

℣. Diffusa est gratia in labis tuis.

℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

Digitized by Google

FERIA V.

AD MATUTINUM

Ave Maria etc.

Eja labia mea etc. *p. 3.*

HYMNUS

Ex D. Anselmo.

Nate summe Rex utero
Mariæ de Virgineo,
Emunda nos a vitiis,
Et orna sanctis meritis.
Dei Mater, o Domina,
Sublimis tanta gratia,
Tua fac exaltatio,
Sit nostra relevatio.
Jesu tibi sit gloria
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, et almo
Spiritu
In sempiterna sæcula.
Amen.

Ant. Benedicat etc.

PSALMUS 65.

Jubilate Dominæ nostræ, omnis terra, * psallite hymnum nomini ejus: date honorificentiam majestati ejus.

Benedictum sit cor tuum, Domina; * cum quo ardenter, et sinceriter filium Dei dilexisti.

Respice paupertatem meam, gloriosa Virgo: * miseriam, et angustiam meam ne tardes removere.

Aufer tribulationem meam: * dulcifica languorem meum.

Benedicat te omnis caro: * glorificet te omnis lingua.

Gloria Patri.

PSALMUS 67.

Exurgat Maria, et dissipentur inimici ejus: * conterantur omnes sub pedibus ejus.

Impetum inimicorum nostrorum dissipa: * destrue omnem malignitatem eorum.

Ad te, Domina, clamavi in tribulatione: * et serenasti conscientiam meam.

Non deficiat laus tua in ore nostro; * et amor tuus de visceribus nostris.

Pax multa diligentibus te, Domina: * anima eorum non videbit mortem in æternum.

Gloria Patri.

PSALMUS 68.

Salvum me fac, Domina: * quoniam intraverunt concupiscentiarum aquæ usque ad animam meam.

Infixus sum in limo peccati: * et aquæ voluptatis circumdederunt me.

Digitized by Google

Plorans ploravi in nocte: * et dies lætitiæ ortus est mihi.

Salva animam meam, Genitrix Salvatoris: * quia per te vera salus data est omni mundo.

Dum, nuntiante Angelo, fuisti obumbrata: * et Patris sapientia prægnans et gravidata.

Gloria Patri.

Ant. Benedicat te omnis caro, glorificet te omnis lingua.

Ant. Vide Domina.

PSALMUS 70.

IN te, Domina, speravi, non confundar in æternum: * in tua misericordia libera me et eripe me.

Propter multitudinem iniquitatum mearum, * oppressus sum vehementer.

Facti sunt hostes mei in capite meo: * subsannaverunt; et deriserunt me quotidie.

Vide, Domina, quoniam tribulor! * expande manus tuas, et succurre pereunti.

Ne moreris propter honorem nominis tui: * ut efficiaris mihi in gaudium, et salutem.

Gloria Patri.

PSALMUS 71.

DEUS judicium tuum regi da: * et misericordiam tuam reginæ matri ejus.

In manu tua, Domina, salus, et vita consistunt: * lætitia perpetua, et æternitas gloriosa.

Asperge cor meum dulcedine tua: * fac me oblivisci miserias hujus vitæ.

Trahe me post te vinculis misericordiæ tuæ; * et fomentis gratiæ, et pietatis tuæ sana dolorem meum.

Concupiscentias sempiternas excita in animam meam: * et gaudio paradisi inebria mentem meam.

Gloria Patri.

PSALMUS 72.

QUAM bonus Israel Deus, * his qui colunt matrem suam, et venerantur.

Ipsa est enim solatium nostrum, * et in laboribus subventio optima.

Obtexit caligine animam meam hostis: * in visceribus meis, Domina, lumen fac oriri.

Avertatur a me ira Dei per te; * placa eum meritis, et precibus tuis.

Digitized by Google

In judicio pro me assiste: * coram eo suscipe causam meam, et mea sis advocata.

Gloria Patri.

Ant. Vide, Domina, quoniam tribulor, et succurre pereunti.

Ant. Libera nos.

PSALMUS 73.

UT quid, Domina, repulisti nos; * nec subvenis in die tribulationis?

Ingrediatur oratio mea in conspectu tuo; * et voces gementium ne despexeris.

Tetendit arcum suum contra nos inimicus; * firmavit dexteram suam, et non est consolator.

Disrumpe in nobis vincula malitiarum suarum: * et libera nos dextera tua.

Repelle eum in locum perditionis: * sempiterna damnatio suscipiat eum.

Gloria Patri.

PSALMUS 74.

CONFITEBIMUR tibi, Domina, et laudabimus nomen tuum: * fac nos in tuis laudibus delectari.

Cantate ei, habitatores terræ; * et laudem ejus in populis nuntiate.

Confessio et magnificentia coram illa: * fortitudo, et exultatio in throno illius.

Adorate illam in decore illius * glorificate opificem pulchritudinis illius.

Recordamini in sempiternum misericordiæ illius: * retinete in mente virtutes, et mirabilia illius.

Gloria Patri.

PSALMUS 75.

NOTUS in Iudæa Deus: * in Israel honorificentia matris ejus.

Dulcis est memoria ejus super mel et favum, * et amor ejus super omnia aromata.

Salus et vita in domo illius: * et in tabernaculo ejus pax et gloria sempiterna.

Honorificate illam, cœli et terra: * quia summus artifex hanc mirabiliter honoravit.

Date illi omnes creaturæ laudem: * et stupendam misericordiam ejus extollite gratulanter.

Gloria Patri.

Ant. Libera nos, Domina, dextera tua.

Ant. Miserere mei.

Digitized by Google

PSALMUS 76.

VOCE mea ad Dominum clamavi: * et sua gratia intendit mihi.

Abstulit a corde meo mœstitiam, et mœrorem; * et suavitate sua cor meum dulcoravit.

Formidinem meam erexit in confidentiam bonam; * et suo aspectu mellifluo mentem meam serenavit.

Adjutorio sancto suo evasi pericula mortis; * et de manu crudeli subterfugi.

Gratias ago Deo et tibi, mater pia; * de omnibus, quæ assecutus sum de pietate, et misericordia tua.

Gloria Patri.

PSALMUS 77.

ATTENDITE, populе Dei, præcepta Dei; * et reginæ gratiæ nolite oblivisci.

Aperite cor ad investigandum eam: * et labia ad glorificandum illam.

Descendat amor ejus in cordibus vestris: * et concupiscite placere illi.

Pulchritudo ejus vincit solem et lunam: * compositio decoris ejus odoramenta virtutum.

Miserere mei, regina gloriæ et honoris; * et ab omni periculo custodi mentem meam.

Gloria Patri.

PSALMUS 78.

DOMINA, venerunt gentes in hæreditatem Dei, * quas tu meritis tuis Christo confœderasti.

Sit eloquium tuum dulce coram ipso; * et conjunge me illi qui me redemit.

Extende brachium tuum contra hostem crudelem; * et denuda mihi versutiam illius.

Vox tua dulcis super omnem melodiam: * harmonia Angelica ei non valet comparari.

Distilla mihi suavitatem gratiarum tuarum, * et tuorum charismatum fragrantiam, et odorem.

Gloria Patri.

Ant. Miserere mei, Domina; et ab omni periculo custodi animam meam.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.

℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

Pater noster.

Digitized by Google

AD LAUDES

Domina, in adjutorium etc.

Ant. Assumpta est.

Psalm. Dominus regnavit. *pag. 11.*

Ant. Assumpta est Maria in cœlum, gaudent Angeli; laudantes benedicunt Dominum.

Ant. Maria Virgo.

PSALMUS 89.

DOMINA, refugium facta es nobis, * in cunctis necessitatibus nostris.

Diffusio gratiæ tuæ producit operationes sanctas: * et stillicidium dulcoris tui affectiones facit castissimas.

Miserationum tuarum, Domina, recordabor; * sacrificium laudis, et carmen lætitiæ psallam tibi.

Qui honorant te coronam perennem pro cinere obtinebunt: * et pallium laudis pro spiritu mœroris.

Qui sperant in te amictu luminis induentur: * gaudium et perpetuam lætitiam sortientur.

Gloria Patri.

Ant. Maria Virgo Assumpta est ad æthereum thalamum, in quo Rex regum stellato sedet solio.

Ant. In odorem.

Psalmus. Deus Deus meus etc. *pag. 12.*

Ant. In odorem unguentorum tuorum currimus, adolescentulæ dilexerunt te nimis.

Ant. Benedicta filia.

CANTICUM

CANTEMUS Dominæ gloriosæ Virgini Mariæ: * in hymnis et confessionibus benedicamus eam.

Domina nostra omnipotens post Deum: * nomen ejus currus Pharaonis, et exercitum ejus projecit in mare.

Dextera tua, Domina, magnificata est in fortitudine; * quia in multitudine misericordiæ tuæ stravisti adversarios meos.

De ore leonis liberasti me, Domina; * et tamquam infantem genitum, mater, suscepisti me.

O Domina carissima mea, * velut gallina tege me mirabili possessione tua.

Tuus totus ego sum: * et omnia mea tua sunt, Virgo super omnia benedicta.

Ponam te sicut signa-

*

Digitized by Google

culum super cor meum:* quia fortis est, ut mors dilectio tua. Gloria Patri.

Ant. Benedicta filia tua Domino, quia per te fructum vitæ communicavimus.

Ant. Pulchra es.

Psalm. Laudate Dominam de cælis. *pag. 13.*

Ant. Pulchra es, et decora, filia Ierusalem: terribilis ut castrorum acies ordinata.

CAPITULUM. *Prov. 8.*

Ego diligentes me diligo; et qui mane vigilant ad me invenient me: in viis justitiæ ambulo, ut ditem diligentes me, qui operantur in me non peccabunt: qui elucidant me, vitam æternam habebunt.

℟. Deo gratias.

HYMNUS

ex D. Ambrosio.

FIT porta Christi pervia;
Referta plena gratia,
Transitque Rex, et permanet
Clausa, ut fuit per sæcula.
Honor Matris, et gaudium,
Immensa spes credentium.
Per atra mortis pocula,
Resolvit nostra crimina.
Creator cuncti generis,
Orbis quem totus non capit,
In tua, sancta Genitrix,
Sese reclusit viscera.
Quem Pater ante tempora,
Deus Deumque genuit,
Matris alma Virginitas
Cum tempore partum edidit.
Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito,
In sempiterna sæcula. Amen.

℣. Dignare me laudare te, Virgo sacrata.

℟. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

Ad Benedicta.

Ant. Benedicta es tu. *Canticum.* Benedicta sis etc. *pag. 14.*

Ant. Benedicta es tu, Virgo Maria, a Domino Deo excelso præ omnibus mulieribus super terram.

ORATIO

ex D. Petro Damiano.

DEUS, qui vitiatæ stirpis originem per virginalis uteri reparas di-

Digitized by Google

gnitatem: concede propitius, ut quos proprii reatus moles gravat, intercessio Beatæ Dei Genitricis attollat. Per Dominum.

AD PRIMAM

Ant. Assumpta est Maria in cœlum, gaudent Angeli, laudantes benedicunt Dominum.

AD TERTIAM

Ant. Maria Virgo assumpta est ad æthereum thalamum, in quo Rex regum stellato sedet solio.

CAPITULUM. Ego diligentes. *ut supra.*

℟. *br.* Specie tua; * et pulchritudine tua.

Specie tua.

℣. Intende, prospere, procede, et regna.

Et. Gloria Patri. Specie tua.

℣. Adjuvabit eam Deus vultu suo.

℟. Deus in medio ejus non commovebitur.

AD SEXTAM

Ant. In odorem unguentorum tuorum currimus, adolescentulæ dilexerunt te nimis.

CAPITULUM. *Prov. 8.*

Nunc ergo, filii, audite me: beati qui custodiunt vias meas. Audite disciplinam, et estote sapientes, et nolite abjicere eam.

℟. Deo gratias.

℟. *br.* Adjuvabit eam; Deus vultu suo.

Adjuvabit.

℣. Deus in medio ejus non commovebitur.

Deus. Gloria Patri. Adjuvabit.

℣. Elegit eam Deus, et præelegit eam.

℟. In tabernaculo suo habitare facit eam.

AD NONAM

Ant. Pulchra es, et decora, filia Jerusalem; terribilis ut castrorum acies ordinata.

CAPITULUM. *Prov. 8.*

Beatus homo, qui audit, et qui vigilat ad fores meas quotidie, et observat ad postes ostii mei. Qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino.

℟. Deo gratias.

℟. *br.* Elegit eam Deus, et præelegit eam.

Elegit.

Digitized by Google

℣. In tabernaculo suo habitare facit eam.

Et. Gloria Patri. Elegit.

℣. Diffusa etc.

FERIA VI.

AD MATUTINUM

Ave Maria etc.

℣. Eja, labia mea, etc. *ut pag. 3.*

HYMNUS

ex D. Anselmo.

FILI Mariæ Virginis
Da nobis ejus meritis
A peccatis resurgere,
Et ad vitam pertingere.
Cujus es factus filius,
Deus pro peccatoribus,
Hoc qui fide pronuntiant,
Fac, ut salutem sentiant.
Jesu tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, et almo Spiritu
In sempiterna sæcula. Amen.

Ant. Currite ad illam.

PSALMUS 79.

QUI regis Israel, intende ad me: * fac me digne matrem tuam collaudare.

Expergiscere de pulvere, anima mea: * perge in occursum reginæ cœli.

Solve vincula colli tui, paupercula anima mea; * et gloriosis laudibus excipe illam.

Odor vitæ de illa progreditur: * et omnis salus de corde illius scaturizat.

Charismatum suorum fragrantia suavi; * animæ mortuæ suscitantur.

Gloria Patri.

PSALMUS 80.

EXULTATE Dominæ adjutrici nostræ: * jubilate illi in lætitia cordis vestri.

Accendantur affectus vestri in illam: * et inimicos vestros induet confusione.

Imitemur humilitatem ejus, * obedientiam et mansuetudinem illius.

Omnes gratiæ radiant in illa: * capacissima enim fuit capacitas illius.

Currite ad illam cum devotione sancta: * et de bonis suis participabit vobis. Gloria Patri.

PSALMUS 81.

DEUS stetit in synaga Judæorum: * de

Digitized by Google

qua, ut rosa de sentibus, progressa est Mater Dei.

Terge fœditatem meam, Domina, * quæ semper rutilas puritate.

Fontem vitæ influe in os meum; * ex quo viventes aquæ profluunt, et emanant.

Omnes sitientes venite ad illam:* et de fonte suo gratanter vos potabit.

Qui hauserit ex illo, saliet in vitam æternam: * et qui biberit ex eo non sitiet unquam.

Gloria Patri.

Ant. Currite ad illam cum devotione sancta, et de bonis suis participabit vobis.

Ant. Vulnera.

PSALMUS 82.

DOMINA mea, quis similis erit tibi, * quæ gratia et gloria superemines universos?

Sicut exaltantur cœli a terra, * sic tu præcelsior cunctis et nimis exaltata.

Vulnera cor meum charitate tua: * fac me dignum gratia, et muneribus tuis.

Liquefiat anima mea amore tuo, * et concupiscentia tua cor meum inflammetur.

Fac me desiderare honorificentiam, et gloriam tuam; * ut per te recipiat ad pacem Jesu Christi. Gloria Patri.

PSALMUS 83.

QUAM dilecta tabernacula tua, Domina, virtutum! * quam amabilia tentoria requietionis tuæ!

Honorate illam, peccatores:* et impetrabit vobis gratiam, et salutem.

Super thus, et balsamum, orationis ejus incensum: * preces ejus non revertuntur vacuæ et inanes.

Intercede pro me, Domina, apud Christum Filium tuum; * et ne derelinquas me in vita, nec in morte.

Benignus est enim spiritus tuus: * gratia tua replet orbem terrarum.

Gloria Patri.

PSALMUS 84.

BENEDIXISTI, Domine, domum tuam: * consecrasti habitationem tuam.

Hæc est speciosa inter filias Jerusalem, * cujus

Digitized by Google

memoria est in benedictione.

Beatissimam prædicate illam, Angeli sancti: * glorificate illam, virtutes et dominationes.

Populi gentium, exquirite prudentiam ejus: * et investigate thesauros misericordiæ illius.

Sentite de illa in bonitate: * et in simplicitate cordis exquirite illam.

Gloria Patri.

Ant. Vulnera, Domina, cor meum charitate tua.

Ant. Converte.

PSALMUS 85.

INCLINA, Domina, aurem tuam, et exaudi me: * converte vultum tuum, et miserere mei.

Distillatio dulcoris tui oblectat animas sanctorum: * et infusio charitatis tuæ super mel dulcissimum.

Irradiatio gloriæ tuæ dilucidat intellectum; * et lux miserationum tuarum perducit ad salutem.

Fons bonitatis tuæ inebriat sitientes: * et aspectus faciei tuæ retrahit a peccato.

Scire et cognoscere te radix est immortalitatis: * et enarrare virtutes tuas salutis est via.

Gloria Patri.

PSALMUS 86.

FUNDAMENTA vitæ in anima justi, * perseverare in charitate tua, Domina benedicta, usque in finem.

Gratia tua relevat pauperem in adversitate: * et invocatio tui nominis immittit ei confidentiam bonam.

Miserationibus tuis repletur paradisus: * et a terrore tuo hostis confunditur infernalis.

Qui sperat in te inveniet thesauros pacis: * et qui te non invocat in hac vita, non perveniet ad regnum Dei.

Fac, Domina, ut vivamus in gratia Spiritus Sancti: * et perduc animas nostras ad beatum finem.

Gloria Patri.

PSALMUS 87.

DOMINA, auxiliatrix salutis meæ, * in die clamavi, et nocte coram te.

Ingrediatur oratio mea in conspectu tuo: * consolare cum facie tua mœstitiam meam.

Digitized by Google

Multiplicata sunt mala in anima mea: * expurga eam de sordibus et peccatis.

Virtus tua persequatur inimicos nostros; * ne nos impediant ad salutem.

Confer gratiam animæ ad resistendum eis: * conforta cor nostrum contra concupiscentias carnis.

Gloria Patri.

Ant. Converte, Domina, vultum tuum, et miserere mei.

Ant. Magnifica.

PSALMUS 93.

DEUS ultionum Dominus, * sed tu, Mater misericordiæ, ad miserandum inflectis eum.

Magnificentia tua, Domina, prædicatur in sæculum;* qui autem colunt te invenient viam pacis.

Servite illi reverenter exultantes; * et sanabit vos benedictus fructus castissimi ventris illius.

Respice, Domina, humilitatem servorum tuorum; * et laudabunt te in generationibus sæculorum.

Magnifica nomen tuum in multiplicatione gratiarum tuarum, * et ne sinas servos tuos subjacere periculis.

Gloria Patri.

PSALMUS 94.

VENITE, exultemus Dominæ nostræ: * jubilemus Virgini salvatrici nostræ.

Præoccupemus faciem ejus in jubilatione: * et in canticis collaudemus eam.

Venite, adoremus, et procidamus ante eam: * confiteamur illi cum fletibus peccata nostra.

Impetra nobis indulgentiam plenam, Domina: * siste pro nobis ante tribunal Dei.

Suscipe in fine animas nostras: * et introduc nos in requiem æternam.

Gloria Patri.

PSALMUS 95.

CANTATE plenæ gratiæ canticum novum: * cantate Mariæ, omnes terriginæ orbis.

Quoniam omnes Angelos sanctitate præcellit:* et natos mulierum virtutibus, mirabilibus, et signis.

Formositas et gloria in vultu illius; * et gratia in oculis ejus.

Digitized by Google

Afferte illi gloriam, patriæ gentium: * exultate in ea, omnes creaturæ Dei.

Admirabile commercium habetis per eam, * ex qua vocati estis filii Dei excelsi.

Gloria Patri.

Ant. Magnifica, Domina, nomen tuum in multiplicatione gratiarum tuarum.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.

℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

Pater noster.

AD LAUDES

Domina, in adjutorium etc.

Ant. Dum esset Rex, *Psalmus.* Dominus regnavit. *pag. 11.*

Ant. Dum esset Rex in accubito suo, nardus mea dedit odorem suavitatis.

Ant. Leva ejus.

PSALMUS 117.

CONFITEMINI Domino, quoniam bonus; * confitemini matri ejus, quoniam in sæculum misericordia ejus.

Amor illius expellit peccatum a corde; * et gratia illius expurgat conscientiam peccatoris.

Via veniendi ad Christum est appropinquare ad illam; * qui autem fugerit eam non inveniet viam pacis.

Qui obduratus est in peccatis sæpe invocet illam: * et lux in suis tenebris orietur.

Qui tristatur in corde suo clamet ad illam: * et dulcuranti stillicidio inebriabitur.

Gloria Patri.

Ant. Leva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me.

Ant. Nigra sum.

Psalmus. Deus Deus meus. *pag. 12.*

Ant. Nigra sum, sed formosa, filiæ Jerusalem; ideo dilexit me Rex, et introduxit me in cubiculum suum.

Ant. Jam hiems transiit.

CANTICUM

DOMINA, audivi auditionem tuam, et obstupui: * consideravi opera tua, et expavi.

Domina, opus tuum, * circa medium annorum vivificasti illud.

Confitebor tibi, Domi-

Digitized by Google

na, quia abscondisti hæc a sapientibus, * et revelasti ea parvulis.

Operuit cælos gloria tua: * et misericordia tua plena est terra.

Egressa es, Virgo, in salutem populi tui: * in salutem cum Christo tuo.

O benedicta, in manibus tuis est reposita nostra salus: * recordare, pia, paupertatis nostræ.

Quem vis, ipse salvus erit; * et a quo avertis vultum tuum, vadit in interitum.

Gloria Patri.

Ant. Jam hiems transiit, imber abiit, et recessit, surge amica mea, et veni.

Ant. Speciosa facta es.

Psalmus. Laudate Dominam. *pag. 13.*

Ant. Speciosa facta es, et suavis in deliciis tuis, sancta Dei Genitrix.

CAPITULUM. *Prov. 8.*

Dominus possedit me in initio viarum suarum antequam quidquam faceret a principio. Ab æterno ordinata sum, et ex antiquis antequam terra fieret. Nondum erant abyssi, et ego jam concepta eram.

℟. Deo gratias.

HYMNUS

V. H. Fortunati Epis. Pict.

O gloriosa Virginum
Sublimis inter sidera,
Qui te creavit, parvulum
Lactente nutris ubere.
Quod Eva tristis abstulit,
Tu reddis almo germine,
Intrent ut astra flebiles,
Cæli recludis cardines.
Tu regis alti janua,
Et aula lucis fulgida;
Vitam datam per Virginem
Gentes redemptæ plaudite.
Maria Mater gratiæ,
Mater misericordiæ,
Tu nos ab hoste protege,
Et mortis hora suscipe.
Jesu tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine
Cum Patre, et almo Spiritu,
In sempiterna sæcula.
Amen.

Digitized by Google

℣. Dignare me laudare te, Virgo sacrata.

℟. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

Ad Benedictâ.

Ant. In toto corde meo.

Canticum. Benedicta sis. *pag. 14.*

Ant. In toto corde meo exquisivi te, Domina, ne repellas me a mandatis tuis.

ORATIO

ex D. Petro Damiano.

DEUS, qui Filium tuum ad nos per Virginem dignatus es mittere: da nobis ad te, suffragantibus ejusdem Beatæ Mariæ precibus, jugiter festinare. Per eumdem Dominum.

AD PRIMAM

Ant. Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suavitatis.

AD TERTIAM

Ant. Leva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me.

Capitul. Dominus. *ut supra.*

℣. *br.* Specie tua; * et pulchritudine tua.

Specie tua.

℣. Intende, prospere, procede, et regna.

Et. Gloria Patri. Specie tua.

℣. Adjuvabit eam Deus vultu suo.

℟. Deus in medio ejus non commovebitur.

AD SEXTAM

Ant. Nigra sum, sed formosa, filiæ Jerusalem: ideo dilexit me Rex, et introduxit me in cubiculum suum.

CAPITULUM. *Prov. 8.*

Meum est consilium, et æquitas, mea est prudentia, mea est fortitudo. Per me reges regnant, et potentes decernunt justitiam.

℟. Deo gratias.

℟. *br.* Adjuvabit eam: * Deus vultu suo.

Adjuvabit.

℣. Deus in medio ejus non commovebitur.

Deus. Gloria Patri. Adjuvabit.

℣. Elegit eam Deus, et præelegit eam.

℟. In tabernaculo suo habitare facit eam.

Digitized by Google

AD NONAM

Ant. Speciosa facta es, et suavis in deliciis tuis, Sancta Dei Genitrix.

CAPITULUM. *Eccl. 24.*

In plateis sicut cinnamomum, et balsamum, aromatizans odorem dedi; quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris.

℟. Deo gratias.

℟. *br.* Elegit eam Deus: * et præelegit eam.

Elegit.

℣. In tabernaculo suo habitare facit eam.

Et. Gloria Patri. Elegit.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.

℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

SABBATO

AD MATUTINUM

Ave Maria etc.

℣. Eja, labia mea etc. *ut pag. 3.*

HYMNUS

Bedæ Presbyteri.

ADESTO, Christe, vocibus,
Inesto nostris mentibus,
Tua benignus dextera
Choros canentum protege.

Et tu beata præ omnibus,
Virgo Maria, fœminis,
Dei Genitrix inclyta,
Nostris aveto laudibus.

Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, et almo Spiritu,
In sempiterna sæcula. Amen.

Ant. Cantate.

PSALMUS 96.

DOMINUS regnavit: * exultet Maria in omni imperio dominationis ejus.

Adorate eam, cives cuiæ paradisi: * exaltate eam, virgines sponsæ filii ejus.

Quoniam elevata est super principatus, et dominationes: * exaltata est super Angelorum, et Archangelorum legiones.

Patriarchæ, et Prophetæ, concrepate illi laudem: * concentum illi facite, Apostoli, Martyresque Christi.

Confessores cum virginibus, de canticis Sion dicite canticum ei: * re-

Digitized by Google

gratiamini ei, monachi sancti, de acceptis triumphis.

Gloria Patri.

PSALMUS 97.

CANTATE Dominæ nostræ canticum novum: * quia mirabilia fecit.

In conspectu gentium revelavit misericordiam suam: * in extremis terræ auditum est nomen ejus.

Recordare, Domina, pauperum et miserorum: * et sustenta eos ope refrigerii sancti tui.

Tu autem, Domina, suavis, et verax; * patiens nimis, et miseratione plena.

Conculca hostes animarum nostrarum; * et contumaciam illorum elide brachio sancto tuo.

Gloria Patri.

PSALMUS 98.

DOMINUS regnavit, irascantur populi; * Maria, super Cherubim sedet a dextris ejus.

Magna est in Sion gloria tua, Domina; * et in Jerusalem magnificentia tua.

Cantate ante eam, chori virginales: * et adorate thronum ejus, quoniam sanctus est.

In dextera ejus ignea lex; * et in circuitu ejus sanctorum millia.

Laudatio Dei ante oculos ejus: * et justitiæ regula in corde illius.

Gloria Patri.

Ant. Cantate Dominæ nostræ canticum novum.

Ant. Conforta.

PSALMUS 100.

MISERICORDIAM, et judicium cantabo tibi, Domina: * psallam Tibi in exultatione cordis, cum lætificaveris animam meam.

Laudabo nomen tuum, et gloriam tuam: * et præstabis refrigerium animæ meæ.

Zelatus sum amorem tuum, et honorem: * ideo defendas causam meam ante judicem sæculorum.

Allectus sum gratia et bonitate tua: * oro ne fraudar a spe, et confidentia bona.

Conforta animam meam in novissimis: * et in carne ista fac me meum conspicere Salvatorem.

Gloria Patri.

Digitized by Google

PSALMUS 101.

DOMINA, exaudi orationem meam:* et clamor meus ad te veniat.

Non avertas sacrum aspectum tuum a me: * neque abomineris me propter immunditiam meam.

Non derelinquas me in cogitatu, et consilio inimicorum meorum, * et ne sinas me cadere in exprobrationem illorum pessimam.

Qui confidunt in te non timebunt colubrum tortuosum: * et qui exaltant te præconiis, evadent manus Acherontis.

Per virginalem conceptum tuum da mihi in te confidentiam bonam: * et per admirabilem partum tuum lætifica animam meam.

Gloria Patri.

PSALMUS 102.

BENEDIC, anima mea, matri Jesu Christi; * et omnia præcordia mea, glorificate nomen ejus.

Ne obliviscaris beneficia ejus: * nec gratias et consolationes ejus.

Gratia ejus peccata relaxantur: * et misericordia ejus ægritudines reparantur.

Benedicite ei, omnes virtutes cælorum: * glorificate eam, chori apostolorum, et prophetarum.

Benedicite ei, mare et insulæ gentium: * hymnum dicite ei, cæli et habitatores eorum.

Gloria Patri.

Ant. Conforta, Domina, animam meam in novissimis.

Ant. Jucunditatem.

PSALMUS 103.

BENEDIC, anima mea, Virgini Mariæ: * honor, et magnificentia ejus in perpetuum.

Formositatem et pulchritudinem induisti: * amicta es, Domina, fulgenti vestimento.

De te procedit peccatorum medela, * pacis disciplina ac fervor charitatis.

Imple nos servos tuos virtutibus sanctis: * et ira Dei non appropinquet nobis.

Jucunditatem æternam da servis tuis: * et noli eos oblivisci in certamine mortis.

Gloria Patri.

Digitized by Google

PSALMUS 104.

CONFITEMINI Dominæ nostræ, et invocate nomen ejus: * cantate ei gloriose, narrantes virtutes ejus.

Gaudete, et exultate, virgines filiæ Sion: * quia desponsabit vobis regem Angelorum.

Honorate reginam plenam omni gratia: * et contemplamini cum reverentia sanctissimum vultum ejus.

Salus sempiterna in manu tua, Domina: * qui te digne honorificaverint, suscipient illam.

Clementia tua non deficiet a sæculis æternis: * et misericordia tua a generatione in generationem.

Gloria Patri.

PSALMUS 105.

CONFITEMINI Dominæ nostræ, quoniam bonum est; * per cunctas tribus terræ enarrate misericordias ejus.

Longe est ab impiis conversatio ejus: * a via Altissimi non declinavit pes ejus.

Fons irrigantis gratia procedit de ore illius: * et de corde ipsius emanatio virginalis sanctificans animas castas.

Spes de gloria paradisi in corde illius: * qui devoto animo honorificaverit illam.

Miserere nostri, fulgentissima regina cæli: * et præsta nobis consolationem de gratia tua.

Gloria Patri.

Ant. Jucunditatem æternam da servis tuis, et noli oblivisci in certamine mortis.

Ant. Timor Dei.

PSALMUS 106.

CONFITEMINI Domino, quoniam bonus: * confitemini matri ejus, quoniam in sæculum misericordia ejus.

Innocentiam et viam prudentiæ ostende nobis, Domina; et semitam intelligentiæ indica servis tuis.

Timor Dei illustrat intellectum: * et amor tuus exhilarat illum.

Beatus vir, cujus obsequium est tibi gratum: * illius ossa impinguabuntur adipe et pinguedine gratiarum.

Eloquium tuum sustentat animam imbecillem: *

Digitized by Google

et labia tua esurientem animum refucillant.

Gloria Patri.

PSALMUS 107.

PARATUM cor meum, Domina, paratum cor meum, * laudes tibi psallere et cantare.

Major est charitas tua cunctis divitiis: * et gratia tua super aurum, et lapidem pretiosum.

Beatitudo, et justitia donantur a Deo: * qui autem de peccatis conversi fuerint ad te, pœnitentiæ remedium consequentur.

Emissiones tuæ gratia et pax; * qui autem tibi placuerit, procul fiet a perditione.

Esto umbraculum protectionis in tentationibus nostris: * expansio alarum tuarum defendat nos a devorante.

Gloria Patri.

PSALMUS 108.

DOMINA, laudem meam ne despexeris: * et hoc dedicatum tibi psalterium digneris acceptare.

Respice voluntatem cordis mei: * et affectionem meam fac tibi beneplacentem.

Propera ad visitandum servos tuos: * sub tegumento manus tuæ illæsi conserventur.

Illuminationem Spiritus Sancti per te suscipiant: * et refrigerium contra cupiditatis æstum.

Madere contritis corde, Domina: * et refove eos unguento pietatis.

Gloria Patri.

Ant. Timor Dei illustrat intellectum, et amor tuus exhilarat illum.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.

℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

Pater noster.

AD LAUDES.

Domina, in adjutorium etc.

Ant. Pulchra es.

Psalm. Dominus regnavit. *pag. 11.*

Ant. Pulchra es, et decora, filia Ierusalem, terribilis, ut castrorum acies ordinata.

Ant. Dilectus meus.

PSALMUS 91.

BONUM est confiteri Virgini Mariæ; * et psallere illi gloriam prosperitas est mentis.

Annuntiare merita ejus

Digitized by Google

lætificat intellectum;* et imitari opera ejus exhilarat Angelos Dei.

Qui acquirit gratiam ejus agnoscetur a civibus paradisi: * et qui habuerit characterem nominis ejus, annotabitur in libro vitæ.

Exurge, Domina, et judica causam nostram;* et ab insurgentibus in nos libera nos.

Ne retrahas a peccatore dexteram tuam: * et excipe gladio tuo jacula vastatoris. Gloria Patri.

Ant. Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia.

Ant. Quam pulchra es.

Psal. Deus Deus meus. *pag. 12.*

Ant. Quam pulchra es, amica mea, quam pulchra es.

Ant. Una est columba mea.

CANTICUM

Audite, cæli, quæ loquar de Maria: * audiat terra verba oris mei.

Magnificate ipsam mecum semper: * et exaltemus nomen ejus in sæculum sæculi.

Generatio prava, et perversa, * agnosce Dominam nostram, salvatricem tuam.

Numquid non ipsa est mater tua, quæ possedit te, * et in fide generavit te?

Si hanc dimittis non es amicus summi Cæsaris;* quoniam ipse sine ea non salvabit te.

Utinam saperes, et intelligeres, * ac novissima provideres.

Quemadmodum infans sine nutrice non potest vivere: * ita nec sine Domina nostra potes habere salutem.

Sitiat ergo anima tua ad ipsam: * tene eam, nec dimitte, donec benedixerit tibi.

Repleatur os tuum laude sua: * decanta tota die magnificentiam ejus.

Gloria Patri.

Ant. Una est columba mea, una est perfecta mea.

Ant. Viderunt eam.

Psalm. Laudate Dominam de cælis. *pag. 13.*

Ant. Viderunt eam, filiæ Sion, et beatissimam prædicaverunt.

CAPITULUM. *Eccl. 24.*

Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris, et flores mei fructus hō-

Digitized by Google

noris, et honestatis: in me gratia omnis viæ et veritatis, in me omnis spes vitæ et virtutis.

℟. Deo gratias.

HYMNUS

O Stella Jacob fulgida,
O solis instar splendida
Aurora, qua nihil purius
Refulget inter sidera.
Stolis amictæ candidis
Tibi catervæ cælitum
Plaudunt, sacræque Virgines
Laudes perennes concinunt.
Quin obsequentes offerunt
Ligustra, et alba lilia:
Candor, sed horum vincitur
Candore casti pectoris.
Nostra Angelorum laudibus
Abiecta tellus assonans
Ad astra voces efferat,
Et Virginis præconia.
Jesu tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine
Cum Patre, et Almo spiritu
In sempiterna sæcula.
Amen.

℣. Dignare me laudare te, Virgo sacrata.

℟. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

AD BENEDICTA

Ant. Nihil inquinatum.

Canticum. Benedicta sis. *pag. 14.*

Ant. Nihil inquinatum in eam incurrit: candor est lucis æternæ et speculum sine macula.

ORATIO

Da quæsumus, Omnipotens æterne Deus, ut purissimæ Virginis Mariæ integerrimam virginitatem commemoratione votiva venerantes, ejus intercessione, puritatem mentis, et corporis consequamur. Per Dominum.

AD PRIMAM

Ant. Pulchra es et decora, filia Jerusalem, terribilis ut castrorum acies ordinata.

AD TERTIAM

Ant. Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia.

CAPITULUM.

Ego quasi. *ut supra.*

℟. *br.* Specie tua, * et pulchritudine tua.

Specie tua.

℣. Intende, prospere, procede, et regna. Et.

Digitized by Google

℣. Gloria Patri. Specie tua.

℣. Adjuvabit eam Deus vultu suo.

℟. Deus in medio ejus non commovebitur.

AD SEXTAM

Ant. Quam pulchra es, amica mea, quam pulchra es.

CAPITULUM. *Eccl. 24.*

Spiritus meus super mel dulcis, et hæreditas mea super mel et favum. Memoria mea in generationes sæculorum.

℟. Deo gratias.

℟. *br.* Adjuvabit eam,* Deus vultu suo.

Adjuvabit.

℣. Deus in medio ejus non commovebitur.

Deus. Gloria Patri. Adjuvabit.

℣. Elegit eam Deus, et prælegit eam.

℟. In tabernaculo suo habitare facit eam.

AD NONAM

Ant. Viderunt eam filiæ Sion, et beatissimam prædicaverunt.

CAPITULUM. *Eccl. 24.*

Qui audit me, non confundetur, et qui operantur in me, non peccabunt. Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.

℟. Deo gratias.

℟. *br.* Elegit eam Deus,* et prælegit eam.

Elegit.

℣. In Tabernaculo suo habitare facit eam. Et.

Gloria Patri. Elegit.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.

℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

DOMINICA

AD VESPERAS

Ave Maria etc.

Domina, in adjutorium etc.

Ant. Surge amica mea.

PSALMUS 109.

DIXIT Dominus Domino nostræ: * sede, mater mea, a dextris meis.

Bonitas et Sanctitas placuerunt tibi: * ideo regnabis mecum in æternum.

Corona immortalitatis in capite sancto tuo: * cujus fulgor, et claritas non extinguetur.

Miserere nostri, Domina, mater luminis, et

Digitized by Google

splendoris:*illumina nos, Domina veritatis, et virtutis.

De thesauris tuis infunde nobis sapientiam Dei: * et intellectum prudentiæ, ac formam disciplinæ. Gloria Patri.

Ant. Surge amica mea, speciosa mea, et veni.

Ant. Ne dimittas eam.

PSALMUS 110.

CONFITEBOR tibi, Domina, in toto animo meo:* glorificabo te in tota mente mea.

Opera gratiæ tuæ commemorabuntur: * et testamentum misericordiæ tuæ ante thronum Dei.

Per te missa est redemptio a Deo: * populus pœnitens habebit spem salutis.

Intellectus bonus omnibus honorantibus te: * et sors illorum inter Angelos pacis.

Gloriosum, et admirabile est nomen tuum: * qui illud in corde retinent, non expavescent in puncto mortis.

Gloria Patri.

Ant. Ne dimittas eam, et custodiet te; dilige eam, et conservabit te.

Ant. Qui diligunt eam.

PSALMUS 111.

BEATUS vir, qui timet Dominam: * et beatum cor quod diligit illam.

Jucundus homo, qui non satiatur laude tua:* et a relatu virtutum tuarum non fatigatur.

Exortum est in corde illius lumen Dei: * Spiritus Sanctus illuminat intelligentiam ejus.

Disperge, Domina, gratiam tuam pauperibus tuis: * esurientes refice et egenos.

In memoria æterna fiant per te nomina nostra: * ab auditu terribili non trepidet cor nostrum.

Gloria Patri.

Ant. Qui diligunt eam, comedent fructus ejus.

Ant. Venite filii.

PSALMUS 112.

LAUDATE, pueri, Matrem Dei: * glorificate senes nomen ejus.

Benedicta sit Maria Mater Christi:* ipsa enim est via ad patriam sanctitatis.

Excelsus super Cherubim thronus ejus: * et sedes ejus super cardines cæli.

Super humiles vultus

Digitized by Google

ejus: * et super confidentes in ea aspectus illius.

Misericordia eius super omnem carnem: * et eleemosyna illius usque ad extremum terræ.

Gloria Patri.

Ant. Venite filii, audite me, timorem Domini docebo vos.

Ant. Benedicta tu.

PSALMUS 113.

IN exitu animæ meæ de hoc mundo; * occurre illi, Domina, et suscipe eam.

Consolare eam vultu sancto tuo: * aspectus Dæmonis non conturbet illam.

Esto illi scala ad regnum cælorum; * et iter rectum ad paradisum Dei.

Impetra ei a patre indulgentiam pacis; * et sedem lucis inter servos Dei.

Sustine devotos ante tribunal Christi: * suscipe causam eorum in manibus tuis.

Gloria Patri.

Ant. Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui.

CAPITULUM *Cant. 1.*

Oleum effusum nomen tuum, ideo adolescentulæ dilexerunt te. Trahe me post te: curremus in odorem unguentorum tuorum. ℟. Deo gratias.

HYMNUS.

AVE, Maris stella,
Dei Mater, alma,
Atque semper Virgo,
Felix cæli porta.
Sumens illud Ave,
Gabrielis ore;
Funda nos in pace,
Mutans Evæ nomen.
Solve vincla reis,
Profer lumen cæcis,
Mala nostra pelle,
Bona cuncta posce.
Monstra, te esse Matrem,
Sumat per te, preces,
Qui pro nobis natus
Tulit, esse tuus.
Virgo singularis,
Inter omnes mitis,
Nos, culpis solutos,
Mites fac et castos.
Vitam præsta puram,
Iter para tutum,
Ut videntes Jesum,
Semper collætemur.
Sit laus Deo Patri,
Summo Christo decus,
Spiritui Sancto,
Tribus honor Unus.
Amen.

Digitized by Google

℣. Dignare me, laudare te, Virgo sacrata.

℟. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

AD MAGNIFICAT

Ant. Gloriosum est nomen tuum.

CANTICUM *Luc. 1.*

MAGNIFICAT: * anima mea Dominum.

Et exultavit Spiritus meus: * in Deo salutari meo.

Quia respexit humilitatem ancillæ suæ:* ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Quia fecit mihi magna qui potens est: * et sanctum nomen ejus.

Et misericordia ejus a progenie in progenies: * timentibus eum.

Fecit potentiam in brachio suo: * dispersit superbos mente cordis sui.

Deposuit potentes de sede: * et exaltavit humiles.

Esurientes implevit bonis: * et divites dimisit inanes.

Suscepit Israel puerum suum: * recordatus misericordiæ suæ.

Sicut locutus est ad patres nostros: * Abraham, et semini ejus in sæcula.

Gloria Patri.

Ant. Gloriosum, et admirabile est nomen tuum: qui illud in corde retinent, non expavescent in puncto mortis.

ORATIO

DEUS, qui per beatæ Virginis Mariæ obumbrationem, universum mundum illuminare dignatus es: majestatem tuam supplices exoramus, ut quod nostris meritis obtinere non valemus, ejus precibus consequi mereamur. Per Dominum.

FERIA II.

AD VESPERAS.

Ave Maria etc.

Domina, in adjutorium. etc.

Ant. Fecit mihi magna.

PSALMUS 114.

DILEXI matrem Domini Dei mei: * et lux miserationum ejus infulsit mihi.

Circumdederunt me dolores mortis: * et visitatio Mariæ lætificavit me.

Digitized by Google

Dolorem et periculum incurri: * et recreatus sum gratia illius.

Nomen ejus, et memoriale illius sit in medio cordis nostri; * et non nocebit nobis ictus malignantis.

Convertere, anima mea, in laudem ipsius:* et invenies refrigerium in novissimis tuis.

Gloria Patri.

Ant. Fecit mihi magna, qui potens est, et sanctum nomen ejus.

Ant. In me gratia.

PSALMUS 115.

CREDIDI: propter quod locutus sum: * gloriam tuam, Domina, orbi terræ.

Compatere animæ meæ, et dirige illam: * dignare beneplacitum tuum insinuare illi.

Statue illi testamentum pacis, et dilectionis tuæ: * præbe illi jugem memoriam nominis tui.

De benedictione ventris tui da mihi sustentationem: * et de pinguedine gratiæ tuæ dulcora animam meam.

Disrumpe vincula peccatorum meorum: * et de virtutibus tuis exorna faciem animæ meæ.

Gloria Patri.

Ant. In me gratia, et omnis spes vitæ, et virtutis.

Ant. Qui me invenerit.

PSALMUS 116.

LAUDATE Dominam nostram, omnes gentes:* glorificate eam, omnes populi.

Quoniam confirmata est super nos gratia, et misericordia ejus: * et veritas illius permanet in æternum.

Qui digne coluerit illam, justificabitur: * qui autem neglexerit illam, morietur in peccatis suis.

Labia angelorum enarrabunt sapientiam ejus:* et omnes cives paradisi cantabunt ejus laudem.

Bono animo accedentes ad illam, * non capientur ab angelo devastante.

Gloria Patri.

Ant. Qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino.

Ant. Spiritus meus.

PSALMUS 119.

AD Dominam cum tribularer clamavi; * et exaudivit me.

Digitized by Google

Domina, libera nos ab omni malo, * cunctis diebus vitæ nostræ.

Contere caput inimicorum nostrorum * pede insuperabilis virtutis tuæ.

Ut exultavit spiritus tuus in Deo salutari tuo, * sic veram digneris infundere lætitiam cordi meo.

Ad Dominum accede, rogatura pro nobis, * ut per te nostra peccata deleantur.

Gloria Patri.

Ant. Spiritus meus super mel dulcis, et hæreditas mea super mel et favum.

Ant. Qui audit me.

PSALMUS 120.

LEVAVI oculos meos ad te, mater Christi, * per quam venit solatium omni carni.

Auxilium tuum, et gratiam tuam nobis impende, * in omni tribulatione nostra.

Custodi nos, Domina, Virgo Maria; * ne peccatorum laqueo capiamur.

Non dormitet, neque dormiat pupilla oculi tui, * ut tua semper custodia protegamur.

Angelorum, et hominum te laudet omnis lingua: * et ante te omnia genua incurventur.

Gloria Patri.

Ant. Qui audit me, non confundetur, et qui operantur in me non peccabunt.

CAPITULUM. *Eccl. 24.*

Ab initio, et ante sæcula creata sum, et usque ad futurum sæculum non desinam; et in habitatione sancta, coram ipso ministravi.

℟. Deo gratias.

HYMNUS

CÆLO Redemptor prætulit
Felicis alvum Virginis,
Ubi caduca membra
Mortale corpus induit.
Hæc Virgo nobis edidit
Nostræ salutis auspicem,
Qui nos redemit sanguine,
Pœnas, crucemque pertulit.
Spes læta nostro e pectore
Pellat timores anxios:
Hæc quippe nostras lacrymas,
Precesque defert Filio.

Digitized by Google

Voces Parentis excipit,
Votisque natus annuit:
Hanc quisque semper diligat
Rebusque in arctis invocet.
Sit Trinitati gloria,
Quæ Matris intactum sinum
Ditavit almo germine,
Laus sit per omne sæculum. Amen.

℣. Dignare me, laudare te, Virgo sacrata.
℟. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

AD MAGNIFICAT.

Ant. Auxilium tuum.
Cant. Magnificat etc. *pag. 71.*
Ant. Auxilium tuum et gratiam tuam, Virgo Maria, nobis impende in omni tribulatione nostra.

ORATIO

OMNIPOTENS sempiterne Deus, nos famulos tuos dextera potentiæ tuæ a cunctis defende periculis; et intercedente beata et gloriosa semper Virgine Maria, fac nos præsenti prosperitate gaudere pariter et futura. Per Dominum nostrum Jesum Christum etc.

FERIA III.

AD VESPERAS.

Ave Maria etc.
Domina, in adjutorium etc.
Ant. Sicut lilium.

PSALMUS 121.

LÆTATUS sum in te, Regina cæli,* quia, te duce, in domum Domini ibimus.

Jerusalem, cælestis civitas,* ad te, Maria previa, veniamus!

Pacem, et indulgentiam, Virgo, nobis impetra; * et palmam de hostibus, et triumphum.

Conforta, et consolare cor nostrum * tuæ dulcedine pietatis.

Sic, Domina, tuam nobis infunde clementiam,* ut devote in Domino moriamur.

Gloria Patri.
Ant. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.
Ant. Tota pulchra es.

PSALMUS 122.

AD te levavi oculos meos, * Regina benigna, quæ regnas in cælis.

Adjutorium nostrum in virtute sit nominis tui:*

Digitized by Google

per te omnia opera nostra dirigantur.

Benedicta sis in cælo et in terra, * in mari et in omnibus abyssis.

Benedicta sit fæcunditas tua: * benedicta sit virginitas, et munditia tua.

Benedictum sit corpus tuum sanctum: * benedicta sit anima tua sanctissima. Gloria Patri.

Ant. Tota pulchra es, Maria, et macula originalis non est in te.

Ant. Aquæ multæ.

PSALMUS 123.

Nisi quia Domina nostra erat in nobis: * invenissent nos pericula multa.

Esto, Virgo, defensatrix nostra, * et ante Deum advocata propitia.

Ostende nobis, Domina, misericordiam tuam; * et conforta nos in servitio tuo.

Benedicant te sancti Angeli in cælo: * benedicant te homines super terram.

Non tradas bestiis animas confitentes tibi: * ora te canentium non obturentur.

Gloria Patri.

Ant. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina peccatorum obruent eam. *Ant.* Vox tua.

PSALMUS 124.

Qui confidunt in te, Mater Dei; * non timebunt a facie inimici.

Gaudete, et exultate, omnes, qui diligitis eam: * quia adjuvabit vos in die tribulationis vestræ.

Reminiscere miserationum tuarum, Domina; * et releva peregrinationem incolatus nostri.

Converte amabilem vultum tuum super nos: * confunde, et destrue omnes inimicos nostros.

Benedicta sint omnia opera manuum tuarum Domina: * benedicta sint omnia sancta miracula tua. Gloria Patri.

Ant. Vox enim tua dulcis, et facies illa tua decora nimis.

Ant. Quæ est ista.

PSALMUS 125.

In convertendo faciem tuam serenissimam super nos, * lætificabis nos, virginea mater Dei.

Digitized by Google

Benedicta sis, o sacrarium Christi,* præ cunctis mulieribus super terram.

Benedictum sit gloriosum nomen tuum, * quod os Domini mirabiliter nominavit.

Non deficiat laus tua de labiis nostris; * nec charitas tua de præcordiis nostris.

Qui te diligunt benedicentur a Deo;* et qui te volunt diligere, non defraudabuntur a desiderio suo. Gloria Patri.

Ant. Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, et thuris?

CAPITULUM. *Cant. 1.*

Viderunt eam filiæ Sion, et beatissimam prædicaverunt, et Reginæ laudaverunt eam.

℟. Deo gratias.

HYMNUS.

ex D. Petro Damiano.

SYDUS Maria splendidum,
Te laudat omne sæculum,
Ex qua sub mundi vespere,
Sol ortus est justitiæ.

Da cor tenebris eripi,
Da vera luce perfrui:
Quæ noctem vitæ veteris
Novis illustret meritis.

Per te purgemur vitiis,
Solvamur culpæ vinculis,
Mens vulsis spinis eruta
Virtutum ferat germina.

Sit tibi laus Altissime,
Qui natus es de Virgine:
Sit honor ineffabili
Patri, Sanctoque Flamini. Amen.

℣. Dignare me etc.

AD MAGNIFICAT

Ant. Egressa es, Virgo Maria, in salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo.

Canticum. Magnificat *pag. 71.*

ORATIO

BEATÆ, et gloriosæ semper Virginis Mariæ, quæsumus Domine, nos merita prosequantur, et tuam nobis indulgentiam semper implorent. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit etc.

Digitized by Google

FERIA IV.

AD VESPERAS

Ave Maria etc.

Domina, in adjutorium etc.

Ant. Beata es.

PSALMUS 126.

NISI, Domina, edificaveris domum cordis nostri, * non permanebit ædificium ejus.

Ædifica nos gratia, et virtute tua, * ut maneamus firmi in perpetuum.

Benedictum sit eloquium tuum; * et benedicta sint omnia verba oris tui.

Benedicantur a Deo, qui te benedicunt; * et in justorum numero computentur.

Benedic, Domina, te benedicentes; * et ne unquam avertas ab eis gratiosum vultum tuum.

Gloria Patri

Ant. Beata es, Virgo Maria, quæ omnium portasti Creatorem.

Ant. Genuisti.

PSALMUS 127.

BEATI omnes qui timent Dominam nostram, * et beati omnes qui sciunt facere voluntatem tuam, et beneplacitum tuum.

Benedicti sint pater et mater qui te genuerunt: * quorum memoria permanet in sæculum.

Benedictus sit venter, qui te portavit: * et benedicta sint ubera, quæ te lactaverunt.

Converte misericordiam tuam super nos: * et deprecabilis esto super servos tuos.

Intuere et respice opprobrium nostrum: * aufer a nobis cunctas iniquitates nostras.

Gloria Patri.

Ant. Genuisti, qui te fecit, et in æternum permanes Virgo.

Ant. Beatam me dicent.

PSALMUS 128.

SÆPE expugnaverunt me a juventute mea inimici mei: * libera me, Domina, et vindica me ab ipsis.

Ne des illis potestatem in animam meam: * custodi omnia interiora et exteriora mea.

Obtine nobis veniam peccatorum: * per te Spiritus Sancti gratia nobis detur.

Digitized by Google

Fac nos digne et laudabiliter pœnitere; * ut beato fine ad Deum veniamus.

Placatum tunc, et serenissimum nobis:* ostende gloriosum fructum ventris tui. Gloria Patri.

Ant. Beatam me dicent omnes generationes, quia ancillam humilem respexit Deus.

Ant. Fecit mihi magna.

PSALMUS 129.

De profundis clamavi ad te, Domina: * Domina, exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes* in vocem laudis, et glorificationis tuæ.

Libera me de manu adversariorum meorum: * confunde ingenia et conatus eorum contra me.

Erue me in die mala:* et in die mortis ne oblivisearis animæ meæ.

Deduc me ad portum salutis: * inter justos scribatur nomen meum.

Gloria Patri.

Ant. Fecit mihi magna, qui potens est, et sanctum nomen ejus.

Ant. Sine tactu pudoris.

PSALMUS 130.

Domina, non est exaltatum cor meum;* neque sublimati sunt oculi mei.

Benedixit te Dominus in virtute sua; * qui per te ad nihilum redegit inimicos nostros.

Benedictus sit, qui te sanctificavit: * et mundam de matris utero te produxit.

Benedictus sit qui te obumbravit; * et sua gratia te fœcundavit.

Benedic nos, Domina, et conforta nos in gratia, * ut per te ante conspectum Domini præsentemur. Gloria Patri.

Ant. Sine tactu pudoris inventa es Mater Salvatoris.

CAPITULUM. *Eccl. 24.*

Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo: et dixit mihi: in Jacob inhabita, et in electis meis mitte radices.

℟. Deo gratias.

HYMNUS.

Te, Mater alma Numinis,

Oramus omnes supplices,

Digitized by Google

A fraude nos ut Dæmonis
Tua sub umbra protegas.
Ob perditum nostrum genus,
Primi parentis crimine,
Ad inclytum Matris decus
Te Rex supremus extulit.
Clementer ergo prospice
Lapsis Adami posteris:
A te rogatus Filius
Deponat iram vindicem.
Jesu tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre et almo Spiritu
In sempiterna sæcula.
Amen.

℟. Dignare me etc.

AD MAGNIFICAT.

Ant. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Canticum. Magnificat. *pag. 71.*

ORATIO

PORRIGE nobis, quæsumus Domine, dexteram tuam; et per intercessionem beatæ, et gloriosæ semper Virginis Mariæ, auxilium nobis supernæ virtutis impende. Per eumdem.

FERIA V.

AD VESPERAS.

Ave Maria etc.

Domina, in adjutorium etc.

Ant. Assumpta est.

PSALMUS 131.

MEMENTO, Domina, David, * et omnium invocantium nomen tuum.

Da nobis in nomine tuo fiduciam: * et confundantur adversarii nostri.

Consolare nos in terra peregrinationis nostræ;* et releva paupertatem nostram.

Da nobis panem lacrymarum, Virgo Sancta,* et dolorem paccatorum in terra incolatus nostri.

Redde nobis propitium benedictum fructum ventris tui:* ut Spiritus Sancti gratia repleamur.

Gloria Patri.

Ant. Assumpta est Maria in cælum, gaudent Angeli, laudantes benedicunt Dominum.

Ant. Maria Virgo.

Digitized by Google

PSALMUS 132.

ECCE quum bonum, et quam jucundum, Maria, * diligere nomen tuum!

Unguentum effusum, et aromaticum est * nomen tuum diligentibus ipsum.

Quoniam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domina, * quam præparasti diligentibus, et sperantibus in te.

Esto refugium pauperum in tribulatione, * quia tu es baculus pauperum, et miserorum.

Inveniant, quæso, gratiam apud Deum; * qui te in suis necessitatibus invocabunt.

Gloria Patri.

Ant. Maria Virgo assumpta est ad æthereum thalamum, in quo Rex regum stellato sedet solio.

Ant. In odorem.

PSALMUS 134.

LAUDATE nomen Domini: * benedicite nomen Mariæ matris ejus.

Mariæ precamina frequentate: * et suscitabit in vobis voluntates bonas.

In anima contrita veniamus ad illam, * et non stimulabit nos cupiditas peccati.

Qui cogitat de illa in tranquillitate mentis; * inveniet dulcorem, et requiem pacis.

Respiremus ad illam in finitione nostra; * et reserabit nobis atria triumphantium.

Gloria Patri.

Ant. In odorem unguentorum tuorum currimus, adolescentulæ dilexerunt te nimis.

Ant. Benedicta filia.

PSALMUS 135.

CONFITEMINI Domino quoniam bonus est; * quoniam per suam dulcissimam matrem virginem Mariam datur misericordia ejus.

Impetra nobis, Domina, amicitiam Jesu Christi: * et custodi nos, ne perdamus innocentiam nostram.

Comprime hostem nostrum imperio tuo, * ne feriat in nobis virtutem charitatis.

Bona naturalia conserva in nobis; * et bona gratiæ per te multiplicentur.

Illumina vias, et se-

Digitized by Google

mitas nostras,* ut noscamus quæ beneplacita sunt Deo. Gloria Patri.

Ant. Benedicta filia tu a Domino, quia per te fructum vitæ communicavimus.

Ant. Pulchra es.

PSALMUS 136.

SUPER flumina Babylonis fleverunt Hebræi:* nos vero super iniquitates nostras lugeamus.

Clamemus humiles ad puerperam Virginem:* afferamus ei planctus, et suspiria nostra.

Non invenitur propitiatio sine illa;* nec salus sine Fructu illius.

Per illam peccata purgantur:* et per Fructum illius animæ dealbantur.

Per illam fit satisfactio peccatis:* et per Fructum illius, sanitas animæ condonatur.

Gloria Patri.

Ant. Pulchra es, et decora, filia Jerusalem; terribilis ut castrorum acies ordinata.

CAPITULUM. *Prov. 8.*

Ego diligentes me diligo; et qui mane vigilant ad me, invenient me: in viis justitiæ ambulo, ut ditem diligentes me: qui operantur in me non peccabunt; qui elucidant me vitam æternam habebunt.

℟. Deo gratias.

HYMNUS

HYMNUM Mariæ Virginis
Decantemus cum Angelis,
Quam Christus Dei Filius
Sanctificavit utero.
Mater, quæ virum renuit,
Mater, quæ Christum meruit,
Virgo ante partum quæ fuit,
Virgo post partum claruit.
Nec fessum fregit Virginis,
Egressus, templum atriis,
Sed claustrum, quod invenerat,
Clausum reliquit Virginis.
O vere sacer alveus!
Cujus milesque gloriæ,
Quem cælum, terraque
non capit,
Virginis inclusit uterus.
Jesu tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine

Digitized by Google

Cum Patre, et almo Spiritu,
In sempiterna sæcula. Amen.

℣. Dignare me etc.

AD MAGNIFICAT

Ant. Beata es, Virgo Maria, Dei Genitrix, quæ credidisti Domino: perfecta sunt in te, quæ dicta sunt tibi: ecce exaltata es super choros Angelorum: intercede pro nobis ad Dominum Deum nostrum.

Canticum. Magnificat. *pag. 71.*

ORATIO

DEUS, qui per venerabilem, et gloriosam Virginem Mariam, ineffabile mysterium conjungere voluisti: petimus immensam clementiam tuam, ut quod in ejus veneratione deposcimus, te propitiante, consequi mereamur. Per eumdem.

FERIA VI.

AD VESPERAS

Ave Maria etc.

Domina, in adjutorium etc.

Ant. Dum esset Rex.

PSALMUS 137.

CONFITEBOR tibi, Domina, in toto corde meo:* quia per te expertus sum clementiam Jesu Christi.

Audi, Domina, verba mea, et preces meas;* et in conspectu Angelorum cantabo tibi laudes.

In quacumque die invocavero te exaudi me;* et multiplica virtutem in anima mea.

Confiteantur tibi omnes tribus, et linguæ;* quia per te salus restituta est nobis.

Ab omni perturbatione libera servos tuos;* et fac eos vivere sub pace, et protectione tua.

Gloria Patri.

Ant. Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suavitatis.

Ant. Leva ejus.

PSALMUS 138.

DOMINA, probasti me, et cognovisti me:* ruinam, et transgressionem meam.

Copiosa facta est super me misericordia tua:* et dilatata est super me clementia tua.

Imperfectum meum a-

Digitized by Google

spexit oculus tuus: * et palpebræ tuæ noverunt vias meas.

Affluentiam desiderii sancti habeamus a Spiritu Sancto: * et macula peccati non turpet conscientiam nostram.

Serenet corda nostra lux misericordiæ tuæ: * et recreet nos tuæ pacis dulcedo.

Gloria Patri.

Ant. Leva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me.

Ant. Nigra sum.

PSALMUS 139.

ERIPE me, Domina, ab homini malo: * et ab homine inferni defende me.

Contra me tetendit arcum suum: * et in fraude sua insidiatur mihi.

Confringe vires ejus malignas: * et destrue potenter astutias ejus.

Converte iniquitatem ipsius in verticem illius; * et in foveam quam fecit, cadat festinanter.

Nos autem exultemus in servitio tuo; * et in tuis laudibus gloriemur.

Gloria Patri.

Ant. Nigra sum, sed formosa filiæ Jerusalem: ideo dilexit me Rex, et introduxit me in cubiculum suum.

Ant. Jam hyems transiit.

PSALMUS 140.

DOMINA, clamavi ad te, exaudi me: * intende orationi et postulationi meæ.

Dirigatur obsecratio mea velut incensum coram facie tua: * in tempore serotini sacrificii et matutini.

Non declinet cor meum in verbis malignantibus; * et nequitiæ cogitatus non subvertant sensum meum.

Fac me assentiri beneplacito cordis; * et tuis actionibus conformari.

Gladio intelligentiæ reverbera cor meum; * et igniculo charitatis inflamma mentem meam.

Gloria Patri.

Ant. Jam hyems transiit, imber abiit, et recessit; surge, amica mea, et veni.

Ant. Speciosa facta es.

PSALMUS 141.

VOCE mea ad Dominam clamavi, * ipsamque humiliter deprecatus sum.

Digitized by Google

℣. Effudi in conspectu ejus lacrymam meam: * et dolorem meum ei exposui.

Insidiatur hostis calcaneo meo; * et extendit contra me rete suum.

Adjuvá me, Domina, ne corruam coram eo: * fac ut conteratur sub pedibus meis.

Educ de carcere animam meam ut confiteatur tibi, * et psallat Deo forti in perpetuum.

Gloria Patri.

Ant. Speciosa facta es, et suavis in delicis tuis, Sancta Dei Genitrix.

CAPITULUM. *Prov. 8.*

Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio. Ab æterno ordinata sum, et ex antiquis antequam terra fieret. Nondum erant abyssi, et ego jam concepta eram. ℟. Deo gratias.

HYMNUS

Præclara custos Virginum,
Intacta mater Numinis,
Cœlestis aulæ janua,
Spes nostra, Cœli gaudium.

Inter rubeta lilium,
Columba formosissima,
Virgo e radice germinans
Nostro medelam vulneri.

Turris draconi impervia,
Amica Stella naufragis,
Tuere nos a fraudibus,
Tuaque luce dirige.

Erroris umbras discute,
Syrtes dolosas amove,
Fluctus tot inter, devios
Tutam reclude semitam.

Jesu tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, et almo Spiritu
In sempiterna sæcula.
Amen.

℣. Dignare me etc.

AD MAGNIFICAT

Ant. Ponam te sicut signaculum super cor meum; quia fortis est, ut mors, dilectio tua.

Canticum. Magnificat. *pag. 71.*

ORATIO

ex D. Petro Damiano.

Quæsumus, omnipotens Deus, tua nos protectione custodi; et castimoniam mentibus et cor-

Digitized by Google

poribus nostris, intercedente beata Maria semper Virgine, propitiatus indulge, ut veniente Unigenito Filio tuo, ejus digni præstolemur occursum. Per eumdem.

SABBATO

AD VESPERAS

Ave Maria etc.

Domina, in adjutorium etc.

Ant. Pulchra es.

PSALMUS 143.

BENEDICTA sis, Domina, quæ instruis servos tuos ad prælium, * et eos roboras contra inimicum.

Fulgore, et coruscatione dissipa illum; * mitte jacula tua ut confodias illum.

Clarifica de alto manum tuam, * ut cantent servi tui laudem, et gloriam tuam.

Eleva de terrenis affectionem nostram: * de sempiternis deliciis reficе viscera nostra.

Concupiscentiam supernorum accende in cordibus nostris:* et de gaudiis Paradisi velis nos recreare. Gloria Patri.

Ant. Pulchra es, et decora, filia Jerusalem, terribilis ut castrorum acies ordinata.

Ant. Dilectus meus.

PSALMUS 144.

EXALTABO te, mater filii Dei: * et per singulos dies cantabo laudes tuas.

Generatio et populi laudabunt opera tua:* et misericordiam tuam insulæ expectabunt.

Abundantiam dulcoris tui Angeli eructabunt:* et suavitatem tuam sancti pronuntiabunt.

Oculi nostri sperant in te, Domina; * mitte nobis cibum et escam delectantem.

Laudationem tuam loquetur lingua mea; * et benedicam te in sæculum sæculi.

Gloria Patri.

Ant. Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia.

Ant. Quam pulchra es.

PSALMUS 145.

LAUDA, anima mea, Dominam: * glorificabo eam quamdiu vixero.

Nolite cessare a laudibus ejus; * et per sin-

Digitized by Google

gula momenta recogitate illam.

Cum exierit spiritus meus, Domina, sit tibi commendatus:* et in terra ignota præsta illi ducatum.

Non conturbent eum culpæ prius commissæ:* nec inquietent ipsum occursus malignantis.

Perduc eum ad portum salutarem, * ubi præstoletur secure adventum Redemptoris.

Gloria Patri.

Ant. Quam pulchra es, amica mea, quam pulchra es.

Ant. Una est columba mea.

PSALMUS 146.

LAUDATE Dominam, quoniam bonus est psalmus: * jucunda, et decora sit illi nostra laudatio.

Ipsa enim medetur contritis corde : * et refovet eos unguento pietatis.

Magna est virtus illius: * et clementia ejus nullum habebit finem.

Præcinite ei in jubilatione, * et in confessione psalmum canite illi.

Beneplacitum est ei super timentes Deum: * et in eis qui sperant in misericordia ejus.

Gloria Patri.

Ant. Una est columba mea, perfecta mea.

Ant. Viderunt eam,

PSALMUS 147.

LAUDA, Jerusalem, Dominam: * glorifica illam etiam, o Sion.

Ipsa enim construxit muros tuos: * et filios tuos benedixit.

Gratia sua te impinguat, * pacemque donat terminis tuis.

Emisit Verbum suum Altissimus: * et virtus ejus obumbravit illi.

Levemus corda nostra cum manibus ad illam;* ut suam influentiam sentiamus.

Gloria Patri.

Ant. Viderunt eam, filiæ Sion, et beatissimam prædicaverunt.

CAPITULUM. *Eccl. 24.*

Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris, et flores mei fructus honoris, et honestatis: in me gratia omnis viæ, et veritatis, in me omnis spes vitæ, et virtutis.

℟. Deo gratias.

Digitized by Google

HYMNUS

ex D. Petro Damiano

1. Gaudium mundi, nova stella cæli
Procreans Solem, pariens Parentem,
Da manu lapsis, fer opem caducis,
Virgo Maria.

3 Te beatorum chorus Angelorum,
Te sacri vates et Apostolorum
Ordo prælatam sibi cernit unam
Post Deitatem.

4 Aula cælestis speciosa Regis,
Fulta septenis Sophiæ columnis:
Quem nequit totus cohibere mundus
Claudis in alvo.

2 Te Deo factam liquet esse scalam,
Qua tenens summum, petit altus imum,
Nos ad excelsi remeare cæli
Culmina dona.

5 Quem tremunt cæli, metuunt abyssi,
Fluminum guttæ, maris et procellæ:
Laudat occasus, veneratur ortus,
Stringis in ulnis.

6 Lacte nutritur cibus Angelorum,
Fertur innuptæ gremio puellæ:
Qui sua late ditione terræ
Pondera librat.

7 Sit decus summo sine fine Christo,
Sancta quem Virgo genuit Maria:
Qui Patri compar, Flaminique sancto,
Regnat in ævum.
Amen.

℣. Dignare me laudare te etc.

AD MAGNIFICAT

Ant. Beata Dei Genitrix Maria, Virgo perpetua, templum Domini, Sacrarium Spiritus Sancti, sola sine exemplo placuisti Domino nostro Jesu Christo.

ORATIO

Fac nos, quæsumus Domine, beatæ Mariæ semper Virginis subsidiis attolli; ut dum ejus quotidie memoriam celebramus, ejus pariter ab omnibus adversis semper protegamur auxilio. Per Dominum nostrum Jesum Christum etc.

Digitized by Google

AD COMPLETORIUM

Ave Maria etc.

℣. Converte nos, Domina, ad Jesum filium tuum.

℟. Et sanctifica nos intercessione tua.

℣. Domina, in adjutorium meum intende.

℟. Domina, ad adjuvandum etc.

Ant. Miserere.

PSALMUS 4.

Cum invocarem, exaudisti me, Domina; * et e sublimi solio tuo mei dignata es recordari.

A rugientibus præparatis ad escam, * et de manibus quærentium me, liberabit me gratia tua.

Quoniam benigna est misericordia, et pietas tua: * in omnes qui invocant nomen sanctum tuum.

Benedicta sis Domina, in æternum: * et majestas tua in sæculum.

Glorificate eam, omnes gentes, in virtute vestra: * et cuncti populi terræ extollite magnificentiam ejus.

Gloria Patri.

PSALMUS 30.

In te, Domina, speravi, non confundar in æternum: * in gratia tua suscipe me.

Tu es fortitudo mea et refugium meum, * consolatio mea et protectio mea.

Ad te clamavi dum tribularetur cor meum; * et exaudisti me de vertice collium æternorum.

Educas me de laqueo quem absconderunt mihi: * quoniam tu es adjutrix mea.

In manus tuas, Domina, commendo spiritum meum; * totam vitam meam, et diem ultimum meum.

Gloria Patri.

PSALMUS 90.

Qui habitat in adjutorio matris Dei, * in protectione ipsius commorabitur.

Incursus hostis non nocebit ei: * sagitta volans non tanget eum.

Quoniam ipsa liberabit eum de laqueo insidiantis, * et sub pennis suis proteget eum.

Clamate ad illam in periculis vestris: * et fla-

Digitized by Google

gellum non appropinquabit tabernaculo vestro.

Fructus gratiæ inveniet qui speraverit in illa: * porta paradisi reserabitur ei.

Gloria Patri.

PSALMUS 133.

Ecce nunc benedicite Dominam, * omnes qui speratis in nomine sancto ejus.

Gaudete gaudio magno, qui exaltatis, et glorificatis eam; * quia lætabimini ab ubertate consolationis ejus.

Ecce nunc inundantem ubertatem: * declinabit in vos ad consolandum, et lætificandum corda vestra.

Benedicite illam, omnes servi ejus; * et memoriale sit in desiderio animæ vestræ.

Benedicite illam, omnes Angeli et Sancti Dei: * laudate in sæcula mirabilia ejus. Gloria Patri.

PSALMUS 142.

Domina, exaudi orationem meam: * percipe tuis auribus supplicationem meam.

Persecutus est malignus vitam meam: * deposuit in terra conversationem meam.

Denigravit me caligine sua; * et anxiatus est nimis spiritus meus.

Ne avertas faciem tuam a me, * ut non coruam cum descendentibus in lacum.

Emitte lucem tuam, et gratiam tuam; * et repara denuo vitam meam, et conscientiam meam.

Gloria Patri.

Ant. Miserere mei, Domina, et ab omni periculo custodi animam meam.

HYMNUS

ex D. Anselmo.

De casta nobis oriens,
Matre dies indesinens
Jugi nos fove lumine,
Culpæque noctem e-
move.

Mater diei perpetis,
Obsiste nostris tene-
bris,
Ne lucem nobis dissi-
pent,
Et nos delictis impli-
cent.

Jesu tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, et almo
Spiritu
In sempiterna sæcula.
Amen.

Digitized by Google

CAPITULUM. *Cant. 2.*

Tu autem, Domina, ostende mihi faciem tuam: sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, et facies tua decora.

℟. Deo gratias.

℟. *br.* In manus tuas, Domina:* commendo Spiritum meum. In manus.

℣. Per accerbissimos tuos dolores. Commendo. Gloria Patri. In manus.

℣. Ora pro nobis peccatoribus.

℟. Nunc et in hora mortis nostræ.

Ant. Sub tuum præsidium.

CANTICUM

BENEDICTA, sis Domina, in æternum; * et majestas tua in sæculum sæculi.

Benedictus sit qui te sanctificavit; * et mundam de matris utero te produxit.

Benedictus sit qui te obumbravit,* et sua gratia te foecundavit.

Benedictus sit mundissimus conceptus tuus: * et partus tuus virgineus.

Benedicta sint ubera tua: * quibus lacte deifico Salvatorem enutristi.

Benedictum sit gloriosum nomen tuum: * quod os Domini mirabiliter nominavit.

Benedicta sis super omnes mulieres: * et pro nobis assiste ante thronum Dei. Gloria Patri.

Ant. Sub tuum præsidium confugimus, sancta Dei Genitrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris, et a periculis cunctis libera nos semper, Virgo gloriosa et benedicta.

ORATIO

DEUS, qui illuminas noctem, et lumen post tenebras facis: concede nobis, quæsumus, ut, intercedente beata et gloriosa semper Virgine Maria, hanc noctem sine peccato transeamus, et ad veram lucem, quæ Christus est nos pervenire valeamus. Per eumdem.

A Vesperis Sabbati ante Dominicam primam Adventus usque ad Nativitatem exclusive. Antiph.

ALMA Redemptoris Mater, quæ pervia Cæli Porta manes, et stella

maris, succurre cadenti, - Surgere, qui curat populo: tu quæ genuisti, - Natura mirante, tuum sanctum Genitorem, - Virgo prius ac posterius Gabrielis ab ore - Sumens illud Ave, peccatorum miserere.

℣. Angelus Domini nuntiavit Mariæ.

℟. Et concepit de Spiritus Sancto.

ORATIO

GRATIAM tuam, quæsumus Domine, mentibus nostris infunde; ut qui Angelo nuntiante, Christi Filii tui incarnationem cognovimus, per passionem ejus et crucem ad resurrectionis gloriam perducamur. Per eumdem.

A primis Vesperis Nativitatis, et deinceps. Ant.

GAUDE Dei Genitrix, Virgo immaculata, - Gaude, quæ gaudium ab Angelo suscepisti. - Gaude, quæ genuisti æterni luminis claritatem, - Gaude Mater pietatis, et misericordiæ. - Gaude Sancta Dei Genitrix Virgo, - Tu sola Mater innupta, - Te laudat omnis factura, - Genitricem lucis, - Sis pro nobis quæsumus pia interventrix.

℣. Post partum, Virgo inviolata permansisti.

℟. Dei Genitrix intercede pro nobis.

ORATIO

DEUS, qui salutis æternæ, beatæ Mariæ Virginitate fœcunda, humano generi præmia præstitisti: tribue quæsumus; ut ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus auctorem vitæ suscipere, Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum.

℟. Amen.

In fine Completorii diei Purificationis Beatæ Mariæ Virginis secundæ Februarii usque ad Feriam quintam in Cœna Domini. Antiph.

AVE Regina cælorum, - Ave Domina Angelorum: - Salve radix salve porta, - Ex qua mundo lux est orta: Gaude Virgo gloriosa, - Super omnes speciosa, - Vale o valde decora, - Et pro nobis Christum exora.

℣. Dignare me laudare te, Virgo sacrata.

℟. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

Digitized by Google

ORATIO

CONCEDE, misericors Deus, fragilitati nostræ præsidium: ut qui sanctæ Dei genitricis memoriam agimus, intercessionis ejus auxilio, a nostris iniquitatibus resurgamus. Per eumdem.

A completorio Sabbati Sancti usque ad Nonam Sabbati post Pentecostem inclusive Antiph.

REGINA cæli laetare, alleluja. - Quia quem meruisti portare, alleluja. - Resurrexit, sicut dixit, alleluja. - Ora pro nobis Deum, alleluja.

℣. Gaude, et lætare virgo Maria, alleluja.

℟. Quia surrexit Dominus vere, alleluja.

ORATIO

DEUS qui per resurrectionem Filii tui Domini nostri Jesu Christi mundum lætificare dignatus es, præsta quæsumus, ut per ejus genitricem virginem Mariam perpetuæ capiamus gaudia vitæ. Per eumdem.

A primis Vesperis Festi SS. Trinitatis usque ad Nonam Sabbati ante Adventum Antiph.

SALVE Regina, mater misericordiae, vita, dulcedo, et spes nostra, salve. Ad te clamamus exules filii Hevæ. Ad te suspiramus gementes, et flentes in hac lacrymarum valle. Eja ergo advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte. Et Jesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende. O clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria.

℣. Ora pro nobis Sancta Dei Genitrix.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

ORATIO

OMNIPOTENS, sempiterne Deus, qui gloriosæ Virginis Matris Mariæ corpus et animam ut dignum filii tui habitaculum effici mereretur, Spiritu Sancto cooperante, præparasti: da, ut cujus commemoratione lætamur, ejus pia intercessione, ab instantibus malis, et a morte perpetua liberemur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

℣. Divinum auxilium maneat semper nobiscum. ℟. Amen.

Digitized by Google

ABSOLUTIONES ET BENEDICTIONES

DICENDAE ANTE LECTIONES

AD MATUTINUM

Pro Dominica, Feria II. et V.

ABSOLUTIO

Precibus, et meritis Beatæ Mariæ semper Virginis, et omnium Sanctorum, perducat nos Dominus ad regna cælorum. ℟. Amen.

BENEDICTIONES

Jube Domne benedicere.

1. Nos cum prole pia benedicat Virgo Maria. ℟. Amen.

2. Ipsa Virgo Virginum intercedat pro nobis ad Dominum. ℟. Amen.

3. Per Virginem Matrem, concedat nobis Dominus salutem et pacem. ℟. Amen.

Pro Feria III. et VI.

ABSOLUTIO

Sancta Maria, et omnes Sancti intercedant pro nobis ad Dominum, ut nos mereamur ab eo adjuvari, et salvari, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

BENEDICTIONES

Jube Domne benedicere.

1. Genitrix Dei Filii, sit nobis pia, clemens, et dulcissima Mater. ℟. Amen.

2. Ignem divini Amoris accendat Maria in cordibus nostris. ℟. Amen.

3. Per intercessionem Deiparæ, sit Deus noster amor, et præmium æternum. ℟. Amen.

Pro Feria IV. et Sabbato.

ABSOLUTIO

Per merita matris nostræ Mariæ, a vinculis peccatorum nostrorum absolvat nos Omnipotens, et Misericors Dominus. ℟. Amen.

BENEDICTIONES

Jube Domne Benedicere.

1. Per Virginem Matrem, ille nos benedicat,

Digitized by Google

qui sine fine vivit, et regnat.

℟. Amen.

2. Cujus laudes canimus, ipsa interoedat pro nobis ad Dominum.

℟. Amen.

3. In præconiis Mariæ, ait Deo semper honor, et gloria. ℟. Amen.

I.

Sermo Sancti Bernardi Abbatis.

Sermo de xii. Stellis.

Lectio I.

VEHEMENTER quidem nobis, dilectissimi, vir unus, et mulier una nocuere: sed gratias Deo, per unum nihilo minus virum, et mulierem unam omnia restaurantur; nec sine magno fœnore gratiarum. Neque enim sicut delictum, ita et donum: sed excedit damni æstimationem beneficii magnitudo. Sic nimirum prudentissimus, et clementissimus artifex, quod quassatum fuerat, non confregit, sed utilius omnino refecit, ut videlicet nobis novum formaret Adam ex veteri, et Evam transfunderet in Mariam. Et quidem sufficere poterat Christus: siquidem et nunc omnis sufficientia nostra ex eo est: sed nobis bonum non erat esse hominem solum. Congruum magis, ut adesset nostræ reparationis sexus uterque, quorum corruptioni neuter defuit.

℟. Benedicta, et venerabilis es, Virgo Maria: *quæ sine tactu pudoris inventa es Mater Salvatoris.

℣. Virgo Dei Genitrix, quem totus non capit orbis, in tua se clausit viscera factus homo. Quæ.

Lectio II.

JAM itaque nec ipsa mulier benedicta in mulieribus videbitur otiosa: inveniretur equidem locus ejus in hac reconciliatione. Opus est enim mediatore ad Mediatorem istum: nec alter nobis utilior, quam Maria. Crudelis nimium mediatrix Eva, per quam serpens antiquus pestiferum etiam ipsi viro virus infudit: sed fidelis Maria, quæ salutis antidotum et viris, et mulieribus propinavit. Illa enim ministra seductionis, hæc pro-

Digitized by Google

pitiationis: illa suggessit prævaricationem, hæc ingessit redemptionem. Quid ad Mariam accedere trepidat humana fragilitas? Nihil austerum in ea, nihil terribile: tota suavis est, omnibus offerens lac et lanam.

℟. Per te Dei Genitrix nobis est vita perdita data: Quæ de cælo suscepisti prolem, et mundo genuisti Salvatorem.

℣. Recordare, Virgo Maria, in conspectu Dei, ut loquaris pro nobis bona, et ut avertat indignationem suam a nobis. Quæ. Gloria Patri. Quæ.

Lectio III.

Quod si, ut vere sunt, plena magis omnia pietatis, et gratiæ, plena mansuetudinis, et misericordiæ, quæ ad eam, pertinent, inveneris: age gratias ei, qui talem tibi mediatricem benignissima miseratione providit, in qua nihil possit esse suspectum. Denique omnibus omnia facta est, sapientibus et insipientibus copiosissima charitate debitricem se fecit: Omnibus misericordiæ sinum aperit, ut de plenitudine ejus accipiant universi, captivus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, justus gratiam, Angelus lætitiam: denique tota Trinitas gloriam, Filii persona carnis humanæ substantiam, ut non sit qui se abscondat a calore ejus.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

II.

Sermo Sancti Laurentii Justiniani.

Sermo in Purificatione B. M. Virginis.

Lectio I.

Tales prorsus divinæ gratiæ sunt profectus, ut de imis elevent ad summa, et de claritate in claritatem transforment. Beata plane mens Virginis, quæ per inhabitantem Spiritum, ac magisterium, Verbi Dei semper in omnibus parebat imperio. Non sensu proprio, non suo ducebatur arbitrio: sed quod intus sapientia innuebat ad fidem, foris hoc corporis ministerio peragebat. Decebat utique divinam sapientiam, quæ si-

Digitized by Google

bi ad habitandam domum ædificabat Ecclesiæ, ut de legis custodia, de purificatione mentis, de humilitatis norma, et de spirituali oblatione Mariæ sanctissimæ medio uteretur. Erat profecto ipsa talis et tanta, ut illi minime reperiretur similis.

℟. Ornatam monilibus filiam Jerusalem Dominus concupivit; et videntes eam filiæ Sion, beatissimam prædicaverunt dicentes:* Unguentum effusum nomen tuum.

℣. Astitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate. Unguentum.

Lectio II.

Erat, inquam, Maria corpore Virgo, carne incorrupta, prole fœcunda, virtute perfecta, moribus composita, santitate redimita, honestate conspicua, mente pura, corde ignita, animo suspensa, gratia plena, sapientia perfusa, Deo conjuncta, Verbo propinqua, mysteriis divinis imbuta, Angelorum consortio custodita, et a Spiritu Sancto absque temporis intervallo possessa. Sibi namque ipsam in sponsam delegerat, Sapientia in Matrem, in suam interventricem mundus, Angeli in Dominam, et æternus Pater in Filiam. O honor fæminæ! O excellentia Mariæ! cujus meritorum celsitudine, et gratiarum opulentia stupet cælum, natura miratur, et Sancta beatorum spirituum venerantur agmina.

℟. Congratulamini mihi omnes, qui diligitis Dominum, quia cum essem parvula placui Altissimo;* Et de meis visceribus, genui Deum et hominem.

℣. Beatam me dicent omnes generationes, quia ancillam humilem respexit Deus. Et. Gloria Patri. Et.

Lectio. III.

Non enim capit polus, non concludit orbis, neque attingit creatura, quod Maria suscepit mente, concepit in corpore gestavit in utero, nutrivit lacte, portavit brachiis, fovit in gremio, et est amplexata in carne. Super Angelorum.

Digitized by Google

Archangelorumque transcendit gratiam, quod de Mariæ carne Verbum factum est caro: quod, integritate custodita, Virgo generat, fœcundat Spiritus, Deum parit fœmina: quod, si mater et filia, ancilla et Domina, supra legem, et sub lege. Nempe supra legem illam fecerat gratia: sed sub lege humilitas.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

III.

Sermo Sancti Andreæ Cretensis Archiepiscopi.

Oratio in Annuntiatione SS. Dominæ nostræ Dei Genitricis.

Lectio I.

Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. Et merito benedicta: benedixit enim te Deus tabernaculum suum, quando paterna gloria plenum, Christum Jesum hominem eumdem et Deum, ex quibus, et in quibus perfectus naturis constat, admirabili ratione in utero tuo gestasti. Benedicta tu in mulieribus, quae cælestem thesaurum, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, et scientiæ Dei absconditi, in sacro virginitatis tuæ sinu sine angustia comprehendisti. Tu vere benedicta es, cujus uterus areæ cumulus est: quia benedictionis fructum, immortalitatis spicam Christum sine semine, ac sine cultoris labore multiplice frugum innumerabilium messe, nostræ salutis agricola produxisti.

℟. Regina mundi, dignissima Maria, Virgo perpetua: Intercede pro nostra pace et salute.

℣. Quæ genuisti Christum Dominum, Salvatorem omnium. Intercede.

Lectio II.

Tu vere benedicta, quæ sola ex omnibus matribus creatori tuo mater electa es, et, quod est matrum omnium proprium ignorasti: cujus quoque excellentia virginitatis maternis doloribus corrupta non est, virginali germine tuo signacula tuæ castitatis integra conservante. Tu vere benedicta, quæ sola sine viri conjunctione filium genuisti, qui cælos condidit, et terram vir-

Digitized by Google

ginitatis tuæ cælum fecit. Benedicta tu in mulieribus, quæ sola benedictionem suscepisti, quam Deus per Abraham gentibus omnibus promiserat. Benedicta tu in mulieribus, quam beatam dicunt omnes generationes: quam Reges honorant, Principes venerant, divites populi obsecrant, virgines, quæ vel præcesserunt, vel sequuntur, in templum Regis comitantur.

℟. Beata es, Virgo Maria, quæ Dominum portasti Creatorem mundi: * Genuisti, qui te fecit, et in æternum permanes Virgo.

℣. Ave Maria gratia plena, Dominus tecum. Genuisti. Gloria Patri. Genuisti.

Lectio III.

BENEDICTA tu in mulieribus, quæ sola benedicti filii Jesu Christi, et Salvatoris nostri declarata es mater, per quam clamant gentes: Benedictus, qui venit in nomine Domini; et benedictum nomen gloriæ ejus in sæcula; et replebitur gloria ejus omnis terra, fiat, fiat. Benedicta tu in mulieribus, quam Isaias oculis propheticis adspiciens, prophetissam, et virginem, et laterem, et locum, et caput libri obsignatum arcana ratione nominavit. Benedicta tu vere, quam Ezechiel auroram, et portam clausam, per quam solus Deus ingressus est, et rursum clausam appellavit. Tu sola vere benedicta, quam vir desideriorum Daniel montem vidit: et Habacuc admirabilis montem opacum. Montem quoque Dei, montem pinguem, montem coagulatum, montem, in quo beneplacitum est Deo inhabitare.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

IV.

Sermo Sancti Bernardi Abbatis.

Sermo super Ave Maria.

Lectio I.

BEATA Virgo Maria a natura reverenter conservata, et a lege diligenter venerata, a gratia clementer est præelecta: quia sic præfatis sua jura singillatim reddidit, reddendo sibi sub-

Digitized by Google

didit, ut honoris vicem omnibus impenderet, et insuper momenti quiddam superadderet. Natura siquidem illi summæ virginitatis florem: lex soli virgineæ fœcunditatis honorem: gratia divinæ maternitatis præ cæteris decorem, ac spiritualis matrimonii divinissimum reservavit odorem. Natura quod suum est, illibatam Virginem servando; lex reverenter eam ab aliis distinguendo; gratia virginitatem sine semine fœcundando.

℟. Beatam me dicent omnes generationes: * Quia fecit mihi magna, qui potens est, et sanctum nomen ejus.

℣. Et misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum. Quia.

Lectio II.

NATURA rebus loquendo, non verbis, dum in ea integritatem servaret, et de ea Deus naturæ intonaret, dicens ad serpentem: Inimicitias ponam inter te, et mulierem, et semen tuum, et semen illius. Lex, dum eam ab aliis distinguendo clamaret: Mulier, quæ susceptо semine peperit, immunda erit septem diebus. Gratia, in eo, quod dictum est: Ave gratia plena, dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. Natura huic detulit, dum terra sine germine pararet in principio: lex, dum rubus arderet sine incendio: Gratia, dum sine semine pareret Virgo.

℟. Felix namque es, Sacra Virgo Maria, et omni laude dignissima: * Quia ex te ortus est sol justitiæ, * Christus Deus noster.

℣. Ora pro populo, interveni pro Clero, intercede pro devoto femineo sexu: sentiant omnes tuum juvamen quicumque celebrant tuam sanctam commemorationem. Quia. Gloria Patri. Christus.

Lectio III.

IN hac enim habitavit Pater et Filius, ut Creator in mundo, Imperator in regno, Paterfamilias in domo, Pontifex in templo, sponsus in tha-

*

lamo. Prius enim Altissimus sibi eam quasi mundum specialissimum creavit, quam in justitia et sanctitate coram ipso fundaret, et fluentis sapientiæ irrigaret, et cælestibus desideriis, instar scilicet aëris, sublimaret, et igne dilectionis, accendendo illustraret. Hinc in ejus mente, tamquam in quodam firmamento, solem posuit rationis, et lunam scientiæ, et virtutes tamquam stellas speciei omnimodæ solem, qui lucem divinæ cognitionis faceret: lunam, quæ cum stellis noctem actionis splendidam redderet.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

V.

Sermo Sancti Ephræm Syri.

Sermone de laud. SS. Dei Genitricis Mariæ.

Lectio I.

Immaculata et intemerata, incorrupta et prorsus pudica, atque ab omni sorde ac labe peccati alienissima, Virgo Dei Sponsa ac Domina nostra; quæ Deum et hominem mundo mirifica ac gloriosa conceptione tua peperisti, Deumque Verbum hominibus miro modo conciliasti: et rebellem humani generis nostri naturam cælestibus consociasti: unica spes desperantium, oppressorum auxilium, et ad te recurrentium præsentaneum sublevamen, omniumque denique Christianorum firmum præsidium. Ave præclarum, et electum vas Dei; Domina Maria, gratia plena, inter mulieres Virgo beatissima; stella fulgidissima, ex qua Christus processit.

℟. Beatissima Virgo Maria, Regina Angelorum, Domina mundi, per quam Deus descendit ad terras: * Ut homines ascendere mereantur ad cælos.

℣. Ad te clamamus exules filii Evæ: recordare nostri, sanctissima Virgo. Ut.

Lectio II.

Ave lux splendidissima, Mater et Virgo; quæ admirabiliter Regem omnium peperisti: per quam clarissimus Sol justitiæ nobis illuxit. Ave Regina

Digitized by Google

ac Domina, cunctis sublimior; canticum Cherubim ac Seraphim, et hymnodia Angelorum; pax, gaudium, consolatio, et salus mundi. Ave humani generis lætitia, Patrum præconium et decus Prophetarum, pulchritudo Martyrum, et Sanctorum corona. Ave piorum gloria, et laus in solitudine degentium; præclarissimum cælestis hierarchiæ ornamentum, et præstantissimum universi orbis terræ miraculum. Ave paradise deliciarum, totiusque amænitatis, et immortalitatis; lignum vitæ, gaudium et voluptas.

℟. Beata Dei Genitrix Maria, templum Domini, Sacrarium Spiritus Sancti: * Sola sine exemplo placuisti Domino nostro Jesu Christo.

℣. Genuisti qui te fecit, et in æternum permanes Virgo. Sola. Gloria Patri. Sola.

Lectio III.

Ave lilium convallium et vallis fidelium, mundique salus; portus tranquillissime, et a fluctibus procellisque agitatorum liberatrix desideratissima. Ave porta cælorum et scala, ascensusque omnium, portarum cælestis Paradisi reseramentum; regina supernorum civium, et Domina Angelorum. Ave nostra consolatrix, quæ mærores sedasti, et oppressorum molestias lenisti, cunctasque oppressiones sustulisti. Ave clavis regni cælestis, portus tutissime in hac vita navigantium, animæ nostræ spes fida et optima, firma salus universorum Christianorum, ad te sincere ac vere recurrentium. Ave mater alma Christi filii Dei vivi, quem nullo spatio comprehensum, tuo sinu ac ulnis comprehendisti.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

VI.

Sermo Sancti Augustini Episcopi.

Sermo 15. de Tempore.

Lectio I.

Quoniam diabolus per serpentem Evæ locutus, per Evæ aures mundo intulit mortem; Deus per Angelum ad Mariam protulit verbum, et cun-

Digitized by Google

ctis sæculis vitam effudit. Angelus sermonem ejecit, et Christum Virgo concepit. Nulla fieri potuit gravedo concipienti, nulla tristitia parturienti. Qui enim venerat triste lætificare sæculum, ventris non contristavit hospitium. De cælis medicus transiens per Virginem, post transitum suum illæsam fecit virginem permanere. Qui enim disrupta corporum membra in aliis poterat redintegrare tangendo, quanto magis in sua matre, quod invenit integrum, potuit non violare nascendo?

℟. Benedicta filia tu a Domino, quia per te fructum vitæ communicavimus: * Sola sine exemplo placuisti Domino nostro Jesu Christo.

℣. Nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris, et a periculis cunctis libera nos, sancta Dei Genitrix. Sola.

Lectio. II.

CREVIT enim in ejus partu integritas corporis, potius quam decrevit, et virginitas ampliata est potius quam fugata. In angusti corporis membro sustinuit quidquid sustinent cæli. Plena sunt viscera ejus, et nullum novit Virginis conscientia. Cum esset gravida, salubri levitate plaudebat; lumen enim quod intra se habebat, pondus habere non poterat. Facta est Maria fenestra cæli, quia per ipsam Deus verum fudit sæculis lumen. Facta est Maria scala cælestis, quia per ipsam Deus descendit ad terras, ut per ipsam homines adscendere mereantur ad cælos: ipsis enim licebit adscendere illuc, qui Deum crediderint ad terras per Virginem Mariam descendisse.

℟. Sancta, et immaculata virginitas, quibus te laudibus efferam nescio: * Quia quem cæli capere non poterant, tuo gremio contulisti.

℣. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. Quia. Gloria Patri. Quia.

Lectio III.

FACTA est Maria, restauratio fœminarum, quia per ipsam a ruina

Digitized by Google

primæ maledictionis probantur esse subtractæ. Sicuti Evæ cum dictum sit: In doloribus, et in tristitia paries, et ad virum conversio tua, et ipse dominabitur tui, tribus malis subjecta fuit: Maria autem e contrario quam præclarissimis tribus bonis sublimetur ausculta; salutationis angelicæ, benedictionis divinæ, et plenitudinis gratiæ. Cum enim dixisset Angelus: Ave, salutationem illi cælestem exhibuit. Cum dixit: Gratia plena, ostendit ex integro iram exclusam primæ sententiæ, et plenam benedictionis gratiam restitutam. Cum dixit: Benedicta tu inter mulieres, maledicta enim Eva fuerat, quam nunc credimus per Mariam ad benedictionis gloriam remeasse.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

VII.

Sermo Sancti Bernardi Abbatis.

In Homilia I de laud. Virg. Matr.

Lectio I.

MARIA matrem se agnoscens, majestatem illam, cui angeli cum reverentia serviunt, cum fiducia suum nuncupat filium. Nec dedignatur nuncupari Deus quid esse dignatus est. Deus hominibus, Deus, inquam, cui Angeli subditi sunt, cui Principatus, et Potestates obediunt, subditus erat Mariæ. Mirare ergo utrumlibet, et elige quid amplius mireris, sive Filii benignissimam dignationem, sive Matris excellentissimam dignitatem. Utrique stupor, utrique miraculum. Et quod Deus fœminæ obtemperet, humilitas absque exemplo: et quod Deo fœmina præcipiat, sublimitas sine socio. In laudibus virginum singulariter canitur, quod sequuntur agnum quocumque ierit.

℟. Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui:* Propterea benedixit te Deus in æternum.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis: Intercede pro nobis ad Dominum Deum nostrum. Propterea.

Lectio II.

QUIBUS ergo laudibus judicas dignam, quæ

Digitized by Google

etiam præit? Sed felix Maria, cui nec humilitas defuit, nec virginitas. Et quidem singularis virginitas, quam non temeravit, sed honoravit fæcunditas: et nihilominus specialis humilitas, quam non abstulit, sed extulit fæcunda virginitas: et incomparabilis prorsus fæcunditas, quam virginitas simul comitatur et humilitas. Quid horum non mirabile. Quid non incomparabile! Quid non singulare? Mirum vero, si non hæsitas in eorum ponderatione, quid tua judices dignius admiratione, utrum videlicet potius stupenda sit fæcunditas in virgine, an in matre integritas: sublimitas in prole, an cum tanta sublimitate humilitas.

℟. Sicut cedrus exaltata sum in Libano, et sicut cypressus in monte Sion: quasi myrrha electa, * dedi suavitatem odoris.

℣. Et sicut cinnamomum, et balsamum aromatizans.

Dedi.

Gloria Patri.

Dedi.

Lectio III.

Nisi quod indubitanter horum singulis præferenda sunt simul cuncta, et incomparabiliter excellentius est atque felicius, omnia percepisse, quam aliqua. Et quid mirum, si Deus, qui mirabilis legitur, et cernitur in sanctis suis, mirabiliorem se exhibuit in matre sua? Veneramini ergo, conjuges, in carne corruptibili carnis integritatem: miramini etiam vos, sacræ virgines, in virgine fæcunditatem; imitamini, omnes homines, Dei Matris humilitatem. Honorate, Sancti Angeli, vestri Regis Matrem, qui nostræ adoratis Virginis Prolem, ipsum utique nostrum pariter ac vestrum regem, nostri generis Reparatorem, vestræ civitatis instauratorem.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

VIII.

Sermo Sancti Ildefonsi Archiepiscopi Toletani.

Ex lib. de Virginit. B. Mariæ.

Lectio I.

Domina mea, atque dominatrix mea, domi-

Digitized by Google

nans mihi, Mater Domini mei, ancilla filii tui, genitrix factoris mundi, te rogo, te oro, te quæso, ut habeam spiritum Domini tui, spiritumque filii tui, nec non et spiritum Redemptoris mei, ut de te vera, et digna sapiam, vera et digna loquar, vera et digna quæcumque sunt, diligam. Tu enim es electa a Deo, assumpta a Deo, advocata a Deo; proxima Deo, adherens Deo, conjuncta Deo: visitata ab Angelo, salutata ab Angelo, benedicta ab Angelo, beatificata ab Angelo: turbata in sermone, attonita in cogitatione, stupefacta in salutatione, admirata in dictorum annuntiatione. Invenisse te apud Deum gratiam audis, et ne timeas juberis.

℟. Quæ est ista, quæ processit sicut Sol et formosa tamquam Ierusalem? * Viderunt eam filiæ Sion, et beatam dixerunt, et Reginæ laudaverunt eam.

℣. Et sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum et lilia convallium. Viderunt.

Lectio II.

Unde et tu fiducia roboraris, cognitione miraculorum instrueris, ad novitatem inauditæ gloriæ proveheris. De prole ab Angelo nuntiata es; et post fætum integra, et pudica manes. Certa virginitas nobis proponitur, et nasciturum ex te sanctum Dei Filium, tibi ab Angelo evangelizatur: et quæ sit nascentis Regis potentia, mirabiliter intimatur. Quomodo fiat, quæris, de origine interrogas, de ratione perscrutaris, de experientia requiris, de ordine scitaris. Audi inauditum oraculum, considera inusitatum opus, animadverte incognitum arcanum, attende invisum factum: Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.

℟. Ego diligentes me diligo: * Et qui mane vigilant ad me, invenient me.

℣. Mecum sunt divitiæ et gloria, opus superbæ et justitia. Et. Gloria Patri. Et.

Lectio III.

Tota invisibiliter Trinitas conceptionem ope-

Digitized by Google

rabitur in te: sola persona Filii Dei in corpore tuo nascitura carnem assumet de te. Ideoque quod concipietur ex te, quod nascetur ex te, quod prodiet ex te, quod germinabitur ex te, quod parturietur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. Erit enim hic magnus, hic Deus virtutum, hic Rex omnium sæculorum, hic factor omnium rerum. Ecce beata tu inter mulieres, integra inter puerperas, Domina inter ancillas, Regina inter sorores. Ecce ex hoc beatam te dicent omnes generationes, beatam te noverunt omnes cælestes Virtutes, beatam te prædicant omnes Vates, beatam te celebrant omnes Nationes. Beata tu fidei nostræ, beata tu animæ nostræ, beata dilectioni nostræ, beata præconiis, et prædicationibus meis.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

IX.

Sermo Sancti Bernardi Abbatis.

De Sermone Panigyrico.

Lectio I.

QUANDO placuit gratiæ supernæ, ut habitaret in nobis, a quibus diu elongata fuerat, tu sola, Domina, inventa es digna, ut in tua virginali aula Rex Regum, et Dominus Dominantium a regalibus sedibus veniens, primam sibi mansionem inter filios hominum eligeret. Vere beneplacitum fuit Deo habitare in te, quando ex ipsa illibata carnis tuæ substantia, quasi de lignis libani, architectura ineffabili, domum sibi ædificavit Dei sapientia: suffulsit eam septem columnis argenteis, ac reclinatorium aureum in ea collocavit. Hi sunt septem Spiritus Dei: et hæc est unica illa Salvatoris fœmina, in qua sola quæsitam in omnibus requiem invenit, atque in ejus sinum omnes thesauros absque mensura transfudit.

℟. Diffusa est gratia in labiis tuis: * Propterea benedixit te Deus in æternum.

℣. Myrrha et gutta, et casia a vestimentis tuis, a Domibus eburneis, ex quibus te delectaverunt filiæ regum in honore tuo. Propterea.

Digitized by Google

Lectio II.

BENE Spiritui Sancto in te complacuit, o Maria, cum divinis adeo mysteriis uterum tuum consecrare dignatus est. Ipse est enim ignis consumens, qui sanctissimam animam tuam totam inflammavit seipso, atque splendore divinæ majestatis implevit; tuumque uterum ineffabili modo fœcundavit, fecitque, ut Deum et hominem clausa conciperes, clausa pareres, et post partum Virgo permaneres. Jam ergo uterum tuum, Domina, velut sacratissimum Dei vivi templum totus mundus veneratur; quia in eo salus mundi initiata est: ibi ruptus est paries inimiciarum, quem inter cælum et terram protoplastorum inobedientia construxerat: ibi magnus Eliseus in mensuram suscitandi pueri se se contraxit.

℟. Beata es, Virgo Maria, Dei Genitrix, quæ credidisti Domino: perfecta sunt in te, quæ dicta sunt tibi: * Intercede pro nobis ad Dominum Deum nostrum.

℣. Ave Maria gratia plena, Dominus tecum.
Intercede.
Gloria Patri.
Intercede.

Lectio III.

IBI confœderata sunt terrenis cælestia, et obiaverunt sibi in osculo pacis, quando in unam, eamdemque personam concurrerunt divinitas, et humanitas: factumque est novum illud super terram, ut esset Deus homo, et homo Deus: ibi antiquus dierum præelecto Filio suo tunicam induit polymitam: ibi Rebecca, futurorum præscia, magnificandi filii manibus pelliculas hædorum circumdedit, et colli nuda protexit: ibi enim, cooperante gratia Spiritus Sancti, Filius a Deo Patre hæreditandus in omnibus gentibus, divinæ majestatis potentiam similitudine carnis peccati cooperuit; et quasi absconditus est vultus ejus in infirmitate; unde nec reputavimus eum.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

Digitized by Google

X.

Ex libro Sancti Anselmi Episcopi.

Orat. inter Mantissa Meditat.

Lectio I.

DULCIS es, Virgo Maria, in ore te laudantium, in corde te diligentium, in memoria te deprecantium. Magnifica es in omni sexu, in omni ætate, in omni conditione, in tribubus, populis, et linguis. Tu es luna in medio firmamenti; candelabrum in medio mundi, lignum vitæ in medio paradisi. Tu es myrrha electa; piscina in Esebon, virgula fumi ex aromatibus, fasciculus myrrhæ et thuris inter ubera sponsi. Tu Virgo sancta, Virgo sobria, Virgo devota singulari integritate. Tu flos florum, virgo virginum, sponsa corona virginum es prolata: Terebinthus extendens ramos gratiæ et salutis. Inter benedicta, superbenedicta es, superelecta es, superspeciosa, supergratiosa, supergloriosa, Mater illius, qui gratiam, et gloriam, et honorem, et æternitatem præstat.

℟. Ego Mater pulchræ dilectionis, et timoris et agnitionis, et sanctæ spei:* In me gratia omnis viæ, et veritatis: in me omnis spes vitæ, et virtutis.

℣. Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, et a generationis meis implemini. In me.

Lectio II.

BENEDICTA es enim, Maria, quæ Dominum omnium portasti creatorem sæculorum. Genuisti qui te fecit, et in æternum permanes Virgo. Beata viscera quæ portaverunt æterni Patris filium. Beata ubera tua, quæ lactaverunt Christum Dominum. Beata, et venerabilis es, Virgo Maria, omnium bonorum beatitudine plena. Beata Mater, quæ sola sine dolore genuisti, quia tu sola peperisti Virgo. Beata, et benedicta inter mulieres, quia natus ex te Virgine Christus Deus noster, sua sanctissima nativitate primi parentis, et primæ mulieris in dolore pænaliter parturientis, solvendo maledictionem, dedit per

Digitized by Google

te sine dolore parturientem, dimissa veteri culpa, novæ gratiæ, et salutis æternæ mellifluam benedictionem.

℟. Spiritus meus super mel dulcis, et hæreditas mea super mel et favum: qui audit me non confundetur,* Et qui operantur in me non peccabunt.

℣. Qui elucidant me, vitam æternam habebunt. Et. Gloria Patri. Et.

Oratio inter alloquia cœlestia.

Lectio III.

Sicut enim Deus genuit illum, in quo omnia vivunt, sic, o tu flos virginitatis, genuisti eum per quem mortua revivunt. Et sicut Deus per filium suum beatos angelos a peccato servavit, ita tu, decus puritatis, per filium tuum miseros homines ex peccato salvabis. Quemadmodum enim Dei filius est beatitudo justorum, sic, o tu salus fœcunditatis, filius tuus est reconciliatio peccatorum. Non enim est reconciliatio, nisi quam tu casta concepisti. Non est justificatio, nisi quam tu integra in utero fovisti; non est salus, nisi quam, tu Virgo peperisti. Ergo, Domina, mater es justificationis et justificatorum, genitrix es reconciliationis et reconciliatorum, parens es salutis et salvatorum.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag.* 9.

XI.

Sermo Sancti Ambrosii Episcopi.

Comment. in Luc. Lib. 2. Cap. 2.

Lectio I.

Novit sermonem suum Spiritus Sanctus, nec unquam obliviscitur. Et prophetia non solum rerum completur miraculis, sed etiam proprietate verborum. Quis est iste fructus ventris, nisi ille de quo dictum est: Ecce hæreditas Domini, filii merces fructus ventris? Hoc est, hæreditas Domini filii sunt, qui merces sunt fructus illius, qui de Mariæ ventre processit. Ipse fructus ventris est, flos radicis, de quo bene prophetavit Isaias dicens: Exiit virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet. Ra-

Digitized by Google

dix enim est familia Judæorum, virga Maria, flos Mariæ Christus, qui velut bonæ arboris fructus pro nostræ virtutis processu, nunc floret, nunc fructificat in nobis, nunc rediviva corporis resurrectione reparatur.

℟. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem. * Neque flumina obruent eam.

℣. Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam. Neque.

Lectio II.

Sit in singulis Mariæ anima, ut magnificet Dominum: sit in singulis spiritus Mariæ, ut exultet in Deo. Nam etsi secundum carnem una mater est Christi, secundum fidem tamen omnium fructus est Christus. Omnis enim anima concipit Dei verbum, si tamen immaculata, et immunis a vitiis, et intemerato castimoniam pudore custodiat. Quæcumque igitur talis esse potuerit anima, magnificat Dominum, sicut anima Mariæ magnificavit Dominum, et exultavit spiritus ejus in Deo salutari suo. Non quod Domino aliquid humana voce possit adjungi, sed quia magnificatur in nobis. Imago enim Dei Christus est: et ideo si quid justum religiosumque fecerit anima, illam imaginem Dei ad cujus est similitudinem creata, magnificat.

℟. Beatus homo, qui audit me, et qui vigilat ad fores meas quotidie, et observat ad postes hostii mei: * Qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino.

℣. Qui autem in me peccaverit, lædet animam suam: omnes qui me oderunt, diligunt mortem. Qui. Gloria Patri. Qui.

Lectio III.

Magnificat autem anima Mariæ Dominum, et exultat spiritus ejus in Deo: eo quod et anima et spiritu patri filioque devota, unum Deum ex quo omnia, et unum Dominum per quem omnia, pio veneretur affectu. Sequitur Mariæ, quo persona melior, eo pro-

Digitized by Google

phetia planior. Nec otiosum videtur quod et ante Joannem Elisabeth prophetavit, et Maria ante Domini ortum: serpunt enim jam tentamenta salutis humanæ. Nam sicut peccatum a mulieribus cæpit: ita etiam bonum a mulieribus inchoatur, ut fæminæ quoque muliebria opera deponentes, infirmitati renuntient: et anima quæ non habet sexum, ut Maria quæ nescit errorem, religioso imitetur studio castitatem.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

XII.

Sermo Sancti Sophronii Episcopi.

Homil. in Deiparæ Annunt.

Lectio I.

Quid missus beatus ille Angelus ad Virginem integerrimam dicit? Aut quomodo faustissimum hoc nuntium ipsi defert? Ave gratia plena, Dominus tecum. A gaudio incipit eam alloqui ille gaudii nuntius. Noverat enim, et plane sciebat, nuntium illud suum universis hominibus atque omnibus pariter creaturis gaudium parare, et quoslibet a quibuscumque dolores expellere: noverat, ex divina hujus mysterii cognitione mundum lumine collustrari: noverat erroris disjici caliginem: noverat, retundi mortis aculeum: noverat, vim corruptionis infringi: noverat, inferno victoriam auferri: noverat, salutem perdito affulgere homini, qui horum malorum jugo jamdiu premebatur.

℟. Sine tactu pudoris inventa es Mater Salvatoris: * Qui cælum, terramque regit, in tua se clausit viscera factus homo.

℣. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. Qui.

Lectio II.

Propterea legationis suæ exordium a gaudio ducit; propterea sermonibus suis gaudii voces præmittit: propterea fausti hisce nuntiis gaudium antecedit, utpote quæ omnibus credentibus gaudio futura erant. Et sane par omnino erat, ut divina gaudii denuntiatio

Digitized by Google

a sermonibus verbisque gaudium elicientibus sumeret initium. Propterea enim et Angelus gaudium ante omnia renuntiat, quia faustæ legationis suæ non ignorat exitum, ac probe novit· colloquium quod habebatur in totius mundi gaudium manifeste esse cessurum. Et profecto quodnam gaudium, aut quænam reperiri potest jucunditas, quam non longe excedat alloquium ad Virginem illam beatam, ac gaudii parentem habitum?

℟. Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu vero supergressa es universas: * Speciosa facta es, et suavis in deliciis tuis, Sancta dei Genitrix.

℣. Sentiant omnes tuum juvamen quicumque celebrant tuam sanctam commemorationem. Speciosa. Gloria Patri. Speciosa.

Lectio III.

GAUDE, o supercælestis gaudii Genitrix. Gaude, o sublimissimi gaudii nutrix. Gaude, o salutaris gaudii sedes princeps. Gaude, o immortalis gaudii auctrix. Gaude, o ineffabilis gaudii mysticum diversorium. Gaude, o indeficientis gaudii fons beatissime. Gaude, o gaudii æterni deiferum cimelium. Gaude, o vivificantis gaudii arbor virentissima. Gaude, o innupta Dei mater. Gaude, o Virgo post partum integerrima. Gaude, o spectaculum præ mirabilibus omnibus summe admirandum. Gaude, o Trinitatis triclinium, æterni verbi palatium, felix cæli porta. Gaude, o rosa placentior, lignum vitæ, lilium paradisi. Gaude, o sceptrum æquitatis, gaudium animæ, tripudium, et lætitia cordis. Gaude, o splendor in tenebris, fundamentum fidei, et causa nostræ salvationis.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

XIII.

Sermo Sancti Maximi Episcopi.

In Sermone de Beata Virgine.

Lectio I.

QUID primum, charissimi, quidve potissimum, de tantis nobis est virtutibus decerpendum; quandoquidem nihil exi-

Digitized by Google

le, sed totum summum est quod dicatur? Quæ enim huic beatæ Virgini virtus deesse potuit, quando gratiarum omnium charismatibus plena fuit? Sic namque inusitato antea modo summo salutata est ab Angelo: Ave, gratia plena, Dominus tecum. Quid, rogo, justitiæ, quid sanctitatis Virgo hæc indigere potuit, quæ efficaci misericordia gratiæ plenitudinem accepit? Aut quid potuit in ejus animo, vel corpore locus esse vitiorum, quando ad cæli vicem continentis omnia Domini effecta est templum?

℟. Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, et a generationibus meis implemini: * Spiritus enim meus super mel dulcis, et hæreditas mea super mel et favum.

℣. Qui audit me, non confundetur, et qui elucidant me, vitam æternam habebunt. Spiritus enim.

Lectio II.

Hæc revera est illa domus, de qua per Salomonem dicitur: Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem. Septem namque virginalis hæc domus columnis suffulta est, quia hæc veneranda Mater Domini septem Spiritus Sancti donis, idest, sapientiæ et intellectus, consilii et fortitudinis, scientiæ et pietatis, atque timoris Domini ditata fuit. Quam talem utique divina Sapientia effecit, quæ digna omnino esset, ex qua ipse carnem assumeret, inæstimabile scilicet pretium salutis humanæ. Oportebat quidem prius ædificari domum, in qua descendens cælestis Rex habere dignaretur hospitium. Necesse, inquam, erat prius erigi thalamum, qui venientem ad nuptias sanctæ Ecclesiæ susciperet sponsum.

℟. Meum est consilium et æquitas, mea est prudentia, mea est fortitudo: * Per me reges regnant, per me principes imperant, et potentes decernunt justitiam.

℣. Ego diligentes me diligo, et qui mane vigilant ad me, invenient me. Per me. Gloria Patri Per me.

Digitized by Google

Lectio III.

Quid, fratres, dignius hac virgine, quid sanctius in humani generis serie potuit exoriri, cui nullus Patriarcharum, nullus antiquorum, nullus sequentium patrum, nullus prorsus hominum poterit comparari? Nam quomodo huic quisquam æstimabitur conferendus, quando præter virginitatis excellentiam, tantæ sublimitatis supereminet fructus? Nec mirum, si hæc tam mirabilis virgo omnium sanctorum celsitudinem transcendat mortalium. Cum in hac parte etiam beatorum excellat meritum Angelorum. De hoc fructu Deus Pater ad David loquitur inquiens: Patriarcham de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag.* 9.

XIV.

Sermo Sancti Therasii Episcopi.

Homil. in Præsent. Deiparæ.

Lectio I.

O Maria, puella immaculata; o Virgo impolluta; o mulierum ornamentum, filiarum auctor! O Mater Virgo Sancta, tu benedicta inter mulieres; tu celebrata propter innocentiam; tu obsignata virginitate. Tu Adami maledicti expiatio: tu debiti Evæ solutio. Tu Abelis purissima oblatio; primogenitorum delectus, immaculatum sacrificium. Tu Enos in Deum spes non pudore suffusa: tu Enoch inita gratia, et in securam vitam migratio. Tu Noe arca, et secundæ regenerationis apud Deum conciliatio. Tu regni et Sacerdotii Melchisedech perillustris splendor: tu Abrahami firma fiducia, et promissionis futuræ posteritatis obsequens fides. Tu Isaac novum sacrificium, et rationale holocaustum.

℟. Benedicta, et venerabilis es, Virgo Maria: * Quæ sine tactu pudoris inventa es Mater Salvatoris.

℣. Virgo Dei Genitrix, quem totus non capit orbis, in tua se clausit viscera factus homo. Quæ.

Lectio. II.

Tu Jacob in scalam adscensus causa, et fa-

cunditatis in duodecim tribus permanentis expressio nobilissima. Tu Judæ apparuisti secundum stirpem filia: Tu Josephi pudicitia et veteris Ægypti, nimirum Synagogæ Judeorum eversio, o Immaculata! Tu Moysis ejusdemque Legislatoris liber divinitus concinnatus, in quo scriptum est Sacramentum regenerationis, et divinis digitis insculpta in tabulis lex est tamquam in monte Syna, ubi novus Israel ab intelligibilium Ægyptiorum servitute vindicabitur, quemadmodum antiquus populus in solitudine manna et aqua de petra satiatus est, petra autem erat Christus e tuo gremio producturus tamquam Sponsus de thalamo. Tu Aaronis virga florescens.

℟. Per te Dei Genitrix nobis est vita perdita data: * Quæ de cælo suscepisti prolem, et mundo genuisti Salvatorem.

℣. Recordare, Virgo Maria, in conspectu Dei, ut loquaris pro nobis bona, et ut avertat indignationem suam a nobis. Quæ. Gloria Patri. Quæ.

Lectio III.

Tu es Davidis filia fimbriis aureis circumvestita vario ornatu nitescens. Tu es Prophetarum speculum, et rerum ab illis prænuntiatarum exitus. Te enixe Ezechiel vaticinans appellavit portam clausam, per quam nemo hominum unquam transibit nisi Dominus Deus solus, et portam clausam conservabit. Te Isaias ille in primis grandiloquus prænuntiat virgam Jesse, ex quo flos Christus orietur, et fruticibus vitiorum extirpatis radicitus, plantas divinæ cognitionis in agro inseret. Te Jeremias præmonstravit inquiens: Ecce dies venient, dicit Dominus, et feriam domus Israel, et domui Judæ fœdus novum, quod constitui cum patribus eorum, ita significans adventum, ortumque filii tui, et populum gentium vocans ad Deum adorandum inde usque a finibus terræ.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

Digitized by Google

XV.

Sermo Sancti Bernardi Abbatis.

Ex homil. 2. de Laud. Virg. Matris.

Lectio I.

MARIA aptissime sideri comparatur: quia sicut sine sui corruptione sidus suum emittit radium, sic absque sui lesione Virgo parturit filium. Nec sideri radius suam minuit claritatem, nec Virginis Filius suam integritatem. Ipsa est igitur nobilis illa stella ex Jacob orta, cujus radius universum orbem illuminat, cujus splendor et præfulget in supernis, et inferos penetrat; terras etiam perlustrans, et calefaciens magis mentes, quam corpora, fovet virtutes, excoquit vitia. Ipsa, inquam, est præclara, et eximia stella super hoc mare magnum et spatiosum necessario sublevata, micans meritis, illustrans exemplis.

℟. Ornatam monilibus filiam Jerusalem Dominus concupivit: et videntes eam filiæ Sion beatissimam prædicaverunt dicentes: * Unguentum effusum nomen tuum.

℣. Astitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate. Unguentum.

Lectio II.

O quisquis te intelligis in hujus sæculi profluvio magis inter procellas et tempestates fluctuare, quam per terram ambulare; ne avertas oculos a fulgore hujus sideris, si non vis obrui procellis. Si insurgant venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum: respice stellam, voca Mariam. Si jactaris superbiæ undis, si ambitionis, si detractionis, si æmulationis; respice stellam, voca Mariam. Si iracundia, aut avaritia, aut carnis illecebra naviculam concusserit mentis; respice ad Mariam. Si criminum immanitate turbatus, conscientiæ fœditate confusus, judicii horrore perterritus, barathro incipias absorberi tristitiæ, desperationis abysso; cogita Mariam.

℟. Congratulamini mihi omnes, qui diligitis Dominum, quia cum es-

Digitized by Google

sem parvula placui Altissimo, * Et de meis visceribus genui Deum et hominem.

℣. Beatam me dicent omnes generationes, quia ancillam humilem respexit Deus. Et. Gloria Patri. Et.

Lectio III.

In periculis, in angustiis, in rebus dubiis, Mariam cogita, Mariam invoca. Non recedat ab ore, non recedat a corde; et ut impetres ejus orationis suffragium, non deseras conversationis exemplum. Ipsam sequens non devias: ipsam rogans non desperas: ipsam cogitans non erras. Ipsa tenente non corruis, ipsa protegente non metuis, ipsa duce non fatigaris, ipsa propitia pervenis: et sic in temetipso experiris, quam merito dictum sit: Et nomen Virginis Maria. Sed jam modice pensandum est, ne et nos in transitu claritatem tanti luminis intueamur. Ut enim verbis apostolicis utar: Bonum est nos hic esse.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag.* 9.

XVI.

Sermo Sancti Petri Chrysologi Episcopi

Sermo 142. in Annunt. Virg. Mariæ.

Lectio I.

Quis præter naturam naturæ suscepit incrementum? Beata ergo, et vere beata Maria, quæ præter generandi curas, præter materni doloris fastidia, tantam germinis pervenit ad gloriam: beata, quæ divinum pignus sinu suo suscepit, et servavit in pectore, ut illud tota corporis externa nesciret: beata, quæ, quod de supernis, Angelo referente, susceperat, sic menti suæ solæ commisit, et credidit. Intra domum Virginis negotium cæleste sic geritur, ut manentibus claustris ipsa domus septa non sentiant. Qui ingreditur, et egreditur, et introitus sui, et exitus nulla vestigia reliquit, divinus habitator est, non humanus: et qui conceptu suo virginem servat, et ortu suo reliquit virginem, non terrenus homo est, sed cælestis.

℟. Regina mundi, dignissima Maria, virgo

Digitized by Google

perpetua: *Intercede pro nostra pace, et salute.

℣. Quæ genuisti Christum Dominum, Salvatorem omnium. Intercede.

Lectio. II.

VIRGO, te gratia matrem præstitit, non natura: genitricem te dici pietas voluit, quam non sinebat integritas: in tuo conceptu, in tuo partu crevit pudor; aucta est castitas; integritas roborata est; est solidata virginitas; omnes perseveravere virtutes. Virgo, si tibi salva sunt omnia, quid dedisti! Si virgo, quomodo mater? Si sponsa, genitrix quomodo? Ille, quo tibi aucta sunt omnia, nihil minuit Virgo. Virgo, concipitur ex te auctor tuus: tua ex te oritur origo, in tuo germine est genitor tuus; in tua carne est Deus tuus; et ipse lucem mundo per te cæpit, qui lucem mundo dedit. Ille ex te assumet, et faciet virum, qui in principio te fecit, et assumet ex viro.

℟. Beata es, Virgo Maria, quæ Dominum portasti creatorem mundi: * Genuisti qui te fecit, et in æternum permanes Virgo.

℣. Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum. Genuisti. Gloria Patri. Genuisti.

De sermone S. Augustini.

Lectio III.

ERAT cum Virgine, qui ad Virginem miserat. Præcessit nuntium suum Deus, sed a Deo non recessit: teneri loco non potest, qui omnibus habetur in locis; et totus ubique est sine quo nihil est totum. Benedicta tu inter mulieres. Vere benedicta Virgo, quæ et virginitatis possidet decus, et matris pertulit dignitatem. Vere benedicta; quæ et superni conceptus meruit gratiam, et sustulit integritatis coronam. Vere benedicta, quæ et divini germinis suscepit gloriam, et regina totius extitit castitatis. Vere benedicta, quæ fuit major cælo, fortior terra, orbe latior: nam Deum quem mundus non capit, sola cæpit. Portavit eum, qui portat orbem: genuit ge-

Digitized by Google

nitorem suum; nutrivit omnium viventium nutritorem.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

XVII.

Sermo Sancti Bernardi Abbatis.

Sermo 3. super Salve Regina.

Lectio I.

OMNIBUS firmamentis firmius firmamentum es tu, Domina, quæ eum, quem cæli cælorum capere non poterant, cepisti et concepisti; portasti et non defecisti; genuisti, aluisti, pavisti et educasti. Tu in medio aquarum dividisti aquas ab aquis, affectus scilicet æternorum ab affectibus temporalium. Tuam enim animam pertransivit gladius, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes. Posuit in hoc firmamento Deus solem, et lunam, Christum et Ecclesiam, et stellas, prærogativas gratiarum multas. Laudamus Dominum in sanctis ejus: firmitas, robur, et constantia, et fortitudo mentis ejus, quia mundi contempsit gloriam, carnis calcavit illecebras.

℟. Beatam me dicent omnes generationes: * Quia fecit mihi magna, qui potens est, et sanctum nomen ejus.

℣. Et misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum. Quia.

Lectio II.

NON solum autem cælum et firmamentum, Domina rerum intelligitur, sed aliis nominibus convenienter appellatur, et rerum vocabulis designatur. Ipsa tabernaculum Dei, ipsa templum, ipsa domus, ipsa atrium, ipsa cubiculum, ipsa thalamus, ipsa sponsa, ipsa filia, ipsa arca diluvii, arca testamenti, urna aurea, ipsa manna, virga Aaron, vellus Gedeonis, porta Ezechielis, civitas Dei, ipsa cælum, ipsa terra, ipsa sol, ipsa luna, et stella matutina, aurora ipsa et lucerna, tuba et mons, fons quoque hortorum, et lilium convallium: desertum ipsa, et terra repromissionis lacte et melle manans, stella maris, navis quoque, via in mari, vinea, ager, aula, turris,

Digitized by Google

castra, populus, regnum, sacerdotium.

℟. Felix namque es, sacra Virgo Maria, et omni laude dignissima:* Quia ex te ortus est sol justitiæ, * Christus Deus noster.

℣. Ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto fæmineo sexu: sentiant omnes tuum juvamen quicúmque celebrant tuam sanctam commerationem Quia. Gloria Patri. Christus.

Lectio III.

Ipsa ovis est, pascua est, paradisus est, palma est, rosa est, fluvius est, columba est, vestis est, potus est, margarita est, candelabrum est, mensa est, corona est, sceptrum est, panis est, oleum est, vinum est, arbor est, virga est, cedrus est, cypressus est, platanus est, cinnamomum est, balsamum est, myrrha est, thus est, oliva est, nardus est, soror et mater est. Et ut breviter concludam, de hac, et ob hanc, et propter hanc omnis scriptura facta est, propter hanc totus mundus factus est, hæc gratia Dei plena est, et per hanc homo redemptus est, Verbum Dei caro factum est, Deus humilis et homo sublimis.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

XVIII.

Sermo Sancti Andreæ Cretensis Archiepiscopi.

Orat. in Annunt. SS. Dominæ nostræ Dei Genitricis.

Lectio I.

Quid majore dignum admiratione, quam Deum sub hominis forma a propria divinitate non deficientem intueri? et humanam cernere naturam, totam omnino cum suo creatore conjunctam, ut totus homo Deus evadat? Non fuit satis gaudium indicasse, nisi ipsum gaudii auctorem inesse Virgini significaret. Illud enim Dominus tecum, perspicue Regis præsentiam declarat, qui sic ex ipsa corpus assumit humanum, ut a propria gloria non recedat. Ave gratia plena, Dominus tecum. Gaude, lætitiæ instrumentum, per quod tristis execrationis

Digitized by Google

sententia in lætum gaudii judicium commutatur. Gaude, vere benedicta, et virgo præclarissima. Gaude, ornatissimum divinæ gloriæ templum.

℟. Beatissima Virgo Maria, Regina Angelorum, Domina mundi, per quam Deus descendit ad terras: * Ut homines ascendere mereantur ad cælos.

℣. Ad te clamamus exules filiæ Evæ; recordare nostri, Sanctissima Virgo. Ut.

Lectio II.

GAUDE, sacrosanctum Regis palatium. Gaude, thalame, in quo sibi Christus humanitatem sponsam adjunxit. Gaude, electa a Deo, antequam genita. Gaude, divinum inter Deum, atque homines conciliationis perfugium. Gaude, thesaure vitæ immortalis. Gaude, cælum, in quo Sol gloriæ splendet, domicilium cælo præstantius. Gaude, Sancta, terra virginalis, ex qua novus Adam formatur, qui veterem Adam servet. Gaude, fermentum sanctum, ac Deo gratum, ex quo totius generis humani massa fermantatur, et in unius corporis Christi panem evadit, et admirabili ratione coagmentatur. Ave gratia plena, Dominus tecum, qui dixit: fiat lux, et facta est lux; fiat firmamentum, et factum est: cujus denique amplitudinis opera sunt omnia, quæ facta sunt.

℟. Beata Dei Genitrix Maria, templum Domini, sacrarium Spiritus Sancti: * Sola sine exemplo placuisti Domino nostro Jesu Christo.

℣. Genuisti qui te fecit, et in æternum permanes Virgo, Sola. Gloria Patri. Sola.

Lectio III.

GAUDE, gaudii mater sempiterni. Gaude, nova Dei arca, in qua Dei Spiritus conquiescit: arca, in qua noster Noe Christus humanitatem servavit: arca, in qua novæ gloriæ santificatio, et qui natura sanctus est, in virginali naturæ officina corpus sibi ratione mirabili fabricatus est; non deponens id, quod erat (est enim im-

Digitized by Google

mutabilis) sed assumens id, quod non erat (est enim benignus, et hominum amantissimus). Gaude, urna aurea, quæ continens illum, qui dulce manna, et mel e petra ingrato populo subministravit. Salve spiritale præcognitionis perspicuæ speculum, per quod Prophetæ infinitam erga nos Dei submissionem mystice vaticinati sunt. Salve Prophetarum, et Patriarcharum omnium Deus, et Clarissima arcanæ præcognitionis humanæ tuba.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

XIX.

Sermo Sancti Bernardi Abbatis.

De Sermone Panegyrico.

Lectio I.

HORTUS conclusus tu es, Dei Genitrix, ad quem deflorandum manus peccatoris numquam introivit. Hortus deliciarum nobis est sacratissimus tuus uterus; quia ex eo multiplices gaudii flores colligimus, quoties mente recólimus, quam magna multitudo dulcedinis toti orbi inde effulsit. Tu sanctorum aureola aromatum a cælesti consita pigmentario, virtutum omnium speciosis floribus delectabiliter vernas: inter quorum pulcherrimos trium in te miramur excellentiam. Hi sunt quorum odore suavissimo totam domum domini reples, o Maria, viola humilitatis, lilium castitatis, rosa charitatis. Merito de Dei aureola flos ille speciosus præ filiis paradisi electus est super quem requievit Spiritus Domini.

℟. Benedicta filia tu a Domino, quia per te fructum vitæ communicavimus: * Sola sine exemplo placuisti Domino nostro Jesu Christo.

℣. Nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris, et a periculis cunctis libera nos, Sancta Dei Genitrix. Sola.

Lectio II.

ET cui te assimilabimus, Mater pulchritudinis? Vere paradisus Dei tu es, quia lignum vitæ mundo protulisti, de quo, qui manducaverit, vivet in æternum. Fons vitæ,

Digitized by Google

qui ex ore Altissimi prodiit, de medio ventris tui exilivit, atque in re in te quatuor capita sese dispergens ad irrigandam faciem arentis mundi emanavit, lætificans civitatem Dei. Omnis qui biberit ex eo, non sitiet in æternum, et erit plusquam paradisus hic, de cujus aqua si quis biberit, sitiet iterum. O quanta mundo contulisti, quæ tam salubris aquæ ductus esse meruisti! O lampas loculentissima, quantos lætificasti, quando splendore Dei illustrata desideratum illud lumen, quo inventa est dragma decima, sedentibus in tenebris, et umbra mortis protulisti!

℟. Sancta, et immaculata virginitas, quibus te laudibus efferam nescio: * Quia quem cæli capere non poterant, tuo gremio protulisti.

℣. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. Quia Gloria Patri. Quia.

Lectio III.

Te nimirum ille divini epithalamii præcentor a longe intuitus est, cum in admirationis voce ita prorupit: Quæ est ista, quæ progreditur, quasi aurora consurgens: pulchra ut luna: electa ut Sol: terribilis ut castrorum acies ordinata? Sicut aurora valde rutilans in mundo progressa es, o Maria, quando veri Solis splendorem tantæ sanctitatis jubare præcucurristi, ut vere diem salutis, diem propitiationis, diem, quem fecit Dominus, a tua claritate initiari dignum fuerit. Felix aurora felicis diei nuntia extitisti: talis dies talem auroram dici decuit. Et recte quidem auroræ implesti officium.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

XX.

Ex Libro Sancti Laurentii Justiniani,

De casto connubio Verbi et Animæ. Cap. 9.

Lectio I.

Verbum sponsus, caro sponsa. Virginalis uterus thalamus, in quo factum est, et de quo expressum est, ut habitaret in nobis. Merito talis eligitur thalamus, in quo divina celebreu-

Digitized by Google

tur mysteria. Erat quidem beata Virgo thalamus puritate nitidus, moribus ornatus, et omni præditus sanctitate, floribus aspersus, virtutibus decoratus, fragrans castitatis odore, charitate fervens, virginitate redolens, pollens humilitate. Ipsa est gloriosa Domina, et beata fœmina, innupta et fœcunda, mater et virgo, ancilla et genitrix, quæ culpam abstulit et dedit gratiam, quæ contulit mundo pacem, hominibus Deum, finem vitiis, vitæ ordinem, moribus disciplinam.

℟. Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui: * Propterea benedixit te Deus in æternum.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis, intercede pro nobis ad Dominum Deum nostrum. Propterea.

Lectio II.

Ipsa est, quæ suscepit Verbum, concepit filium, et peperit Christum. Ipsa effecta est porta cœli, paradisi janua, stella maris, solatium mundi, peccanti refugium, naufraganti portus, auxilium periclitanti, erranti via, desperanti salus, mundi interventrix, interemptrix peccati, diaboli terror et spiritualibus nequitiis pavor. Ipsa est tabernaculum Testamenti, arca fœderis, templi propitiatorium, thronus Dei, virga florida, nubecula levis, hortus conclusus, signatus fons, porta clausa, columba immaculata, rosa redolens, lilium candens, flos nitens, virgula fumans, oliva virens, vitis fructificans, cupressus se attollens, palma frondens, terebinthus se expandens, campus germinans, terra pullulans.

℟. Sicut cedrus exaltata sum in Libano, et sicut cypressus in monte Sion: quasi myrrha electa: * Dedi suavitatem odoris.

℣. Et sicut cinnamomum, et balsamum aromatizans. Dedi. Gloria Patri. Dedi.

Lectio III.

Est etiam ipsa Dei Genitrix gloriosa, aurora surgens, lucifer muti-

Digitized by Google

lans, luna pulchrior, Sole splendidior, auro purior, gemmis pretiosior, balsamo suavior, margaritis charior, nectare dulcior, omni harmonia delectabilior. Hæc est Virgo pudicissima; quæ chirographum obolevit decreti, et protoparentum abstulit opprobrium, quærenti sæculo stillicidia gratiæ irroravit, et ipsum fæcunda ditavit fruge. Hæc nempe est Virgo sanctissima, quæ virtutum omnium ornata decore, et gratiarum plenitudine, atque donorum cælestium irradiata fulgore, cælorum Regem suo ad se traxit odore. Nimio namque innocentiæ ac virginitatis respersa candore, tamquam præ cæteris sanctior Dei Mater efficitur.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

XXI.

Sermo Sancti Ephrem Syri.

Serm. de Laud. SS. Dei Gen. Mariæ.

Lectio I.

INVIOLATA, integra, plene que pura ac casta Virgo Dei Genitrix Maria, Regina omnium, spes desperantium, domina nostra gloriosissima, eademque optima ac præcellentissima: sublimior cælitibus, candidior solis radiis atque fulgoribus: honoratior Cherubim, et multis oculis claris spiritibus perspicacior. Sanctior Seraphim, et incomparabiliter reliquis omnibus supernis exercitibus gloriosior. Unica spes Patrum, gloria Prophetarum, præconium Apostolorum, honor Martyrum, lætitia Sanctorum, et lumen probatissimum Abraham, Isaac, et Jacob: decus Aaron, splendor Moysis, et Gedeonis vellus: cætus Hierarcharum, omniumque Sanctorum, ac Virginum corona.

℟. Quæ est ista, quæ processit sicut Sol, et formosa tamquam Jerusalem? * Viderunt eam filiæ Sion, et beatam dixerunt, et Reginæ laudaverunt eam.

℣. Et sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum, et lilia convallium.

Viderunt.

Digitized by Google

Lectio II.

THURIBULUM aureum tu es, gloriosissima Domina; lucerna clarissima, urna pulcherrima cæli manna gestans: tabula scriptam legem mortalibus adferens, arca vera, charta divinissima, princeps omnium prudentissima ac sagacissima, et lucifera Virgo et consolatrix sanctissima, et dux universorum, sacratissima puella. O rube ardens incombuste, et prædium patens, viridansque Aaronis virga. Virga enim vere extitisti; et flos filius tuus. E radice quippe David, ac Salomonis germinavit Christus creator noster, Deus et Dominus omnipotens, ut solus Altissimus. Tu Deum genuisti et hominem, Virgo ante partum, Virgo in partu, et Virgo post partum. Tu portus naufragantium tutissimus, et mundi solatium.

℟. Ego diligentes me diligo: * Et qui mane vigilant ad me, invenient me.

℣. Mecum sunt divitiæ et gloria, opus superbæ et justitia. Et. Gloria Patri. Et.

Lectio III.

CLAVES illas portæ orientalis semper clausæ non excussit Deus creator tuus, in virginali tuo utero sine semine carnem indutus; teque, o clarissima, talem præservans, qualis ante partum fueras. Per te, Domina, reconciliati sumus Christo Deo nostro Filio tuo dulcissimo, Tu peccatorum, et auxilio destitutorum unica advocata es, atque adjutrix. Tu orphanorum susceptio, captivorum redemptio ac liberatio: tu ægrotantium exultatio, mæstorumque consolatio, et omnium salus. Tu Monachorum ac Solitariorum stabilimentum et spes sæcularium. Tu virginum gloria, corona ac gaudium, Tu mundi lætitia, Domina princeps, atque Regina præstantissima, et per quem benedicta, puella honoratissima, et dominarum Domina purissima, atque castissima.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

Digitized by Google

XXII.

Sermo Sancti Bernardi Abbatis.

Ex homil. 2. de laud. B. M. Virginis.

Lectio I.

Virgo regia gemmis ornata virtutum, geminoque mentis pariter et corporis decore præfulgida, specie sua, et pulchritudine sua in cælestibus cognita, cæli civium in se provocavit aspectus, ita ut et Regis animum in sui concupiscentiam inclinaret, et cælestem nuntium ad se de supernis educeret. Et hoc est, quod nobis hic Evangelista commendat cum Angelum perhibet a Deo destinatum ad Virginem: A Deo, inquit, ad Virginem, idest, a celso ad humilem, a Domino ad ancillam, a Creatorem ad creaturam. Quanta dignatio Dei! Quanta Virginis excellentia! Currite matres, currite filiæ, currite omnes. Audite virginalem thalamum, ingredimini, si potestis, pudicum sororis vestræ cubiculum.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis: * Propterea benedixit te Deus in æternum.

℣. Myrrha, et gutta, et casia a vestimentis tuis, a domibus eburneis, ex quibus te delectaverunt filiæ regum in honore tuo. Propterea.

Lectio II.

Quam tibi aliam prædixisse Deus videtur, quando ad serpentem ait: Inimicitias ponam inter te et mulierem? Et si adhuc dubitas quod de Maria non dixerit, audi quod sequitur: Ipsa conteret caput tuum. Cui hæc servata est victoria, nisi Mariæ? Ipsa proculdubio caput contrivit venenatum, quæ omnimodam maligni suggestionem tam de carnis illecebra, quam de mentis superbia deduxit ad nihilum. Quam vero aliam Salomon requirebat, cum dicebat: Mulierem fortem quis inveniet? Noverat quippe vir sapiens hujus sexus infirmitatem, fragile corpus, lubricam mentem. Quia tamen et Deum legerat promisisse, et ita videbat congruere, ut qui vice-

Digitized by Google

rat per fœminam, vinceretur per ipsam.

℟. Beata Virgo Maria Dei Genitrix, quæ credidisti Domino; perfecta sunt in te, quæ dicta sunt tibi: * Intercede pro nobis ad Dominum Deum nostrum.

℣. Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum. Intercede. Gloria Patri. Intercede.

Lectio III.

VEHEMENTER Salomon admirans ajebat; Mulierem fortem quis inveniet? Quod est dicere: Si ita de manu fœminæ pendet et nostra omnium salus, et innocentiæ restitutio, et de hoste victoria, fortis omnino necesse est ut provideatur quæ ad tantum opus possit esse idonea. Sed mulierem fortem quis inveniet? At ne hoc quæsisse putetur desperando, subdit prophetando: procul et de ultimis finibus pretium ejus, hoc est non vile, non parvum, non mediocre, non denique de terra; sed de cælo, nec de cælo proximo terris pretium fortis hujus mulieris, sed a summo cælo egressio ejus. Hujus magni miraculi majus mysterium Isaias edisserit, dicens: Egredietur Virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet: Virgam, Virginem; florem, Virginis partum intelligens.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag.* 9.

XXIII.

Sermo Sancti Hieronymi Presbyteri.

Lectio I.

QUALIS et quanta esset beata, et gloriosa semper Virgo Maria, ab Angelo divinitus declaratur, cum dicitur: Ave gratia plena; Dominus tecum; Benedicta tu in mulieribus. Talibus namque decebat Virginem oppignorari muneribus, ut esset gratia plena, quæ dedit cælis gloriam, terris Dominum, pacemque refudit, fidem gentibus, finem vitiis, vitæ ordinem, moribus disciplinam. Et bene plena, quia cæteris per partes præstatur: Mariæ vero simul se tota infudit plenitudo gratiæ. Vere plena, quia etsi in sanctis Patribus, et Pro-

Digitized by Google

phetis gratia fuisse creditur, non tamen eatenus plena: in Maria vero totius gratiæ, quæ in Christo est, plenitudo venit, quamquam aliter.

℟. Ego mater pulchræ dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctæ spei, in me gratia omnis viæ et veritatis: * In me omnis spes vitæ et virtutis.

℣. Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, et a generationibus meis implemini. In me.

Lectio II.
Cap. 2. et 4.

De ipsa Salomon in Canticis, quasi in laudem ejus: Veni, inquit, columba mea, immaculata mea. Jam enim hiems transiit, imber abiit, et recessit. Ac deinde inquit: Veni de Libano, veni coronaberis. Non immerito igitur venire de Libano jubetur, quia Libanus candidatio interpretatur. Erat enim candidata multis meritorum virtutibus, et dealbata nive candidior: Spiritus Sancti muneribus, simplicitatem columbæ in omnibus repræsentans, quoniam quidquid in ea gestum est, totum puritas et simplicitas, totum veritas et gratia fuit, totum misericordia et justitia, quæ de cælo prospexit: et ideo immaculata, quia in nullo corrupta.

℟. Spiritus meus super mel dulcis, et hæreditas mea super mel, et favum: qui audit me non confundetur: * Et qui operantur in me non peccabunt.

℣. Qui elucidant me, vitam æternam habebunt. Et. Gloria Patri. Et qui

Lectio III.

Circumdedit enim virum in utero, sicut Jeremias sanctus testatur, et non aliunde accepit. Faciet, inquit, Dominus novum super terram, et mulier circumdabit virum. Vere novum, et omnium novitatum supereminens novitas virtutum, quando Deus (quem ferre non potest mundus, neque videre aliquis, ut vivere possit) sic ingressus est hospitium ventris, ut corporis claustrum ne-

Digitized by Google

sciret: sicque gestatus, ut totus Deus in eo esset: et sic exivit inde, ut esset (sicut Ezechiel fatetur) porta omnino clausa. Unde canitur in eisdem Canticis de ea: Hortus conclusus, fons signatus, emissiones tuæ paradisus. Vere hortus deliciarum, in quo consita sunt universa florum genera, et odoramenta virtutum: sicque conclusus, ut nesciat violari, neque corrumpi ullis insidiarum fraudibus. Fons itaque signatus sigillo totius Trinitatis.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

XXIV.

Sermo Sancti Augustini Episcopi.

De Sermone 35. de Sanctis.

Lectio I.

MARIA est quæ sola meruit mater et sponsa vocari: hæc primæ matris damna resolvit, hæc homini perdito redemptionem adduxit. Mater enim generis nostri pœnam intulit mundo, Genitrix Domini nostri salutem edidit mundo: auctrix peccati Eva, auctrix meriti Maria: Eva occidendo obfuit, Maria vivificando profuit: illa percussit, ista sanavit. Hæc enim mirabili, atque inæstimabili modo omnium rerum, et suum peperit Salvatorem. Quæ enim est hæc Virgo tam sancta, ad quam venire dignaretur Spiritus Sanctus? Quæ tam speciosa, ut eam sibi Deus eligeret in sponsam? Quæ tam casta, ut esse posset Virgo post partum?

℟. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem: * Neque flumina obruent eam.

℣. Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam. Neque.

Lectio II.

HÆC est Dei templum, fons ille signatus, et porta in domo Domini clausa. Ad hanc namque Spiritus Sanctus descendit, hanc virtus Altissimi obumbravit. Hæc est immaculata concubitu, fœcunda partu, Virgo et casta perpetuo, Angelorum et hominum cibum nutriens. Hæc concepit non viro, sed spiritu.

Digitized by Google

Hæc peperit non dolore, sed gaudio. Hæc est sponsa Christi, et Gentium magistra, quæ se plenam miratur, et fœtam lætatur. Eratque ei proprium privilegium, quod nulla mulierum nec ante, nec deinceps meruit obtinere, quod erat simul mater et virgo, singulis titulis insignita. Merito itaque beata singulari a nobis præconio extollitur, quæ singulare commercium mundo præbuit.

℟. Beatus homo, qui audit me, et qui vigilat ad fores meas quotidie, et observat ad postes ostii mei: * Qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino.

℣. Qui autem in me peccaverit, lædet animam suam; omnes qui me oderunt, diligunt mortem. Qui. Gloria Patri. Qui.

Lectio III.

Sed quid dicam pauper ingenio, cum de te, Virgo, quidquid dixero, minor laus est, quam dignitas tua meretur? Si cœlum te vocem, altior es: si matrem gentium dicam, præcedis: si formam Dei appellem, digna extitisti: si Dominam Angelorum vocitem, per omnia te esse probaris. O felix Maria, et omni laude dignissima! O Virgo Dei Genitrix gloriosa, cujus visceribus Auctor cœli, terræque committitur! O felix puerperium, lætabile Angelis, optabile sanctis, necessarium perditis, congruum profligatis! O felicia oscula lactentis labiis impressa, cum inter crebra indicia reptantis infantiæ, utpote verus ex te Filius tibi matri alluderet, cum verus ex Patre Dominus imperaret! Nam Auctorem tuum ipsa concipiens edidisti in tempore puberem, quem habebat ante tempora conditorem.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

XXV.

Sermo Sancti Bernardi Abbatis.

De sermone super Ave Maria.

Lectio I.

Arca Noe significavit arcam gratiæ, excellentiam scilicet Mariæ. Sicut enim per illam o-

Digitized by Google

mnes evaserunt diluvium; sic per istam peccati naufragium. Illam Noe, ut diluvium evaderet, fabricavit: istam Christus, qui est pax nostra et requies, ut humanum genus redimeret, sibi præparavit. Per illam octo animæ tantum salvantur; per istam omnes ad æternam vitam vocantur. Per illam paucorum facta est liberatio: per istam totius humani generis salvatio. Illa centum annorum fabricata est spatio: in ista omnium virtutum fuit perfectio. Illa facta est de lignis levigatis; ista de virtutibus ædificata est consummatis. Illa superferebatur aquis diluvii; ista non sensit naufragium ullius vitii.

℟. Sine tactu pudoris inventa es Mater Salvatoris: * Qui cælum, terramque régit, in tua se clausit viscera factus homo.

℣. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui.

Qui.

Lectio II.

ARCA quoque testamenti typum tenet Sanctæ Dei Genitricis. Bezeleel cum socio Oliab arcam testamenti fabricavit; Sancta quoque Trinitas Virginem sibi sanctificavit, ac templum sanctissimum consecravit, hospitiumque mundissimum sibi præparavit, thalamum quoque de quo sponsus præ filiis hominum speciosus ad publicum procederet, decenter præornavit. Neque enim Pater abesse potuit, ubi Spiritum et Filium cooperari voluit. Quæcumque enim Pater facit, hæc eadem similiter et Filius facit. Neque enim Filius potest a se facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem. De Spiritu quoque legitur: Verbo Domini cæli firmati sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.

℟. Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu vero supergressa es universas: * Speciosa facta es, et suavis in deliciis tuis, Sancta Dei Genitrix.

℣. Sentiant omnes tuum juvamen quicumque celebrant tuam sanctam commemorationem.

Digitized by Google

Speciosa. Gloria Patri. Speciosa.

Lectio III.

PATER ergo in consecratione Virginis exhibuit claritatem, Filius humilitatem, Spiritus Sanctus charitatem. Pater lumen exhibuit rationis, Filius cinerem humiliationis, Spiritus Sanctus oleum dilectionis. Pater exhibuit potentiam, Filius sapientiam, Spiritus Sanctus omnium virtutum gratiam. Pater auctoritatem contra peccatum, Filius humilitatem contra mundum, Spiritus Sanctus charitatem erga Deum et proximum. Filius carnis mortificationem, Spiritus Sanctus compunctionem, Pater cælestium contemplationem. Filius docuit eam divina operari, Spiritus Sanctus amare et amari, Pater cælestia contemplari. Filius eam erudit, Spiritus Sanctus eam provehit, Pater eam perficit. Filius eam purificat, Spiritus Sanctus eam pacificat, Pater eam honorificat.

Hymnus. Te Matrem Dei, *pag. 9.*

XXVI.

Sermo Sancti Epiphanii Episcopi.

Oratio de laudibus Sanctæ Mariæ.

Lectio I.

QUID dicam, aut quid proloquar de præclara et sancta Virgine? Solo enim Deo excepto, cunctis superior existit: natura formosior est ipsis Cherubim et Seraphim, et omni exercitu Angelico: cui prædicandæ cælestis ac terrena lingua minime sufficit, imo vero nec Angelorum. O beata Virgo, columba pura et Sponsa cælestis Maria, cælum, templum, et thronus Divinitatis, quæ coruscantem in cælo et in terra solem habes Christum! Nubes lucida, quæ fulgur de cælo lucidissimum ad illuminandum mundum deduxisti Christum. Ave gratia plena, Porta Cælorum, de qua in Canticis propheta in decursu orationis plane et aperte proloquitur inclamans: Hortus conclusus, soror mea Sponsa, hortus conclusus, fons signatus.

℟. Transite ad me omnes, qui concupiscitis

me, et a generationibus meis implemini: * Spiritus enim meus super mel dulcis, et hæreditas mea super mel et favum.

℣. Qui audit me, non confundetur, et qui elucidant me, vitam æternam habebunt. Spiritus.

Lectio II.

VIRGO et lilium immaculatum, quæ rosam immarcescibilem genuit Christum. O Sancta Deipara, Ovis immaculata, quæ Verbum ex te incarnatum Agnum Christum peperisti! O Virgo sanctissima, quæ exercitus Angelorum in stuporem deduxisti! Stupendum est miraculum in cælis, mulier amicta sole, gestans lucem in ulnis: stupendum miraculum in cælis thalamus Virginis habens Filium Dei: stupendum miraculum in cælis, Dominus Angelorum infans Virginis effectus est. Angeli accusabant Evam, nunc vero Mariam gloria prosequuntur, quæ lapsam Evam erexit, et Adamum e paradiso dejectum in cælos misit. Ipsa enim est cæli et terræ mediatrix, quæ unionem naturaliter peregit.

℟. Meum est consilium et æquitas, mea est prudentia, mea est fortitudo: * Per me reges regnant, per me principes imperant, et potentes decernunt justitiam.

℣. Ego diligentes me diligo, et qui mane vigilant ad me, invenient me. Per me. Gloria Patri. Per me.

Lectio III.

GRATIA sanctæ Virginis est immensa. Hinc Gabriel in primis salutat Virginem, dicens; Ave, gratia plena, quæ es splendidum cælum. Ave, gratia plena, multis virtutibus exornata Virgo. Ave, gratia plena, quæ es urna aurea continens manna cæleste. Ave, gratia plena, quæ sitientes perennis fontis dulcedine satias. Ave, Sanctissima Mater immaculata, quæ genuisti Christum, qui est ante te. Ave, purpura regia, quæ cæli terræque Regem induisti. Ave, liber incomprehensus, quæ Verbum, et Filium Patris

Digitized by Google

mundo legendum exhibuisti.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

XXVII.

Sermo Sancti Bernardi Abbatis.

Sermo I. in Assumpt. B. Mariæ.

Lectio I.

MARIA unica Virgo Mater est, quæ se Patris unicum Filium genuisse gloriatur, eumdem unicum suum in omnibus membris ejus amplectitur: omniumque in quibus Christum suum formatum agnoscit, vel formari cognoscit, matrem se vocari non confunditur. Eva vetus illa, non tam mater, quam noverca, quæ filiis ante propinavit præjudicium mortis, quam initium lucis, dicta est quidem mater cunctorum viventium; sed (inventa est verius interfectrix viventium, seu genitrix morientium, cum suum generare nihil aliud sit, quam mortem ingenerare. Et quia illa non potuit fideliter interpretari nomen suum, ista implevit mysterium; quæ et ipsa, sicut Ecclesia, cujus forma est, mater est omnium ad vitam renascentium.

℟. Benedicta, et venerabilis es, Virgo Maria:* Quæ sine tactu pudoris inventa es Mater Salvatoris.

℣. Virgo Dei Genitrix, quem totus non capit orbis in tua se clausit viscera factus homo. Quæ.

Lectio II.

MATER siquidem est Vitæ, qua vivunt universi: quam dum ex se genuit, nimirum omnes, qui ex ea victuri sunt, quodammodo regeneravit. Porro beata Mater illa Christi, quia se matrem Christianorum cognoscit ratione mysterii, cura quoque se matrem eis præstat et affectu pietatis. Neque enim duratur ad filios, quasi non sint sui, cujus viscera semel quidem fæta, sed numquam effæta, numquam desinunt fructum parturire pietatis. Benedictus siquidem fructus ventris tui gravidam te, o pia Mater, inexhausta pietate reliquit: ex te quidem semel nascens, sed in te semper manens et

Digitized by Google

affluens, et in horto concluso castitatis fontem signatum charitatis semper abundare faciens.

℟. Per te, Dei Genitrix, nobis est vita perdita data: * Quæ de cælo suscepisti prolem, et mundo genuisti Salvatorem.

℣. Recordare, Virgo Maria, in conspectu Dei, ut loquaris pro nobis bona, et avertat indignationem suam a nobis. Quæ. Gloria Patri. Quæ.

Lectio III.

VIDE autem si non et filii Matrem videntur agnoscere, dictante utique ipsis veluti quadam naturali pietate fidei, ut ad invocationem nominis ejus, primo vel maxime refugiant in omnibus necessitatibus et periculis, tamquam parvuli ad sinum matris. Et nunc siquidem habitamus in adjutorio Matris Altissimi, in protectione ipsius commoramur, tamquam sub umbra alarum ejus; et postmodum in consortio gloriæ ipsius, tamquam in sinu ipsius confovebimur. Tunc erit vox una lætantium, et gratulantium Matri: Sicut lætantium omnium nostrum habitatio est in te, Sancta Dei Genitrix. Nullatenus autem credideris majoris esse felicitatis, et gloriæ habitare in sinu Abrahæ, quam in sinu Mariæ: cum thronum suum in ea posuerit Rex gloriæ.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

XXVIII.

Ex libro Sancti Ambrosii Episcopi,

Lib. 2. de Virginibus.

Lectio I.

SIT vobis tamquam in imagine descripta virginitas, vitaque beatæ Mariæ: de qua velut in speculo, refulget species castitatis, et forma virtutis. Hinc sumatis licet exempla vivendi, ubi tamquam in exemplari magisteria expressa probitatis, quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeatis, ostendunt. Quid nobilius Dei matre? Quid splendidius ea, quam splendor elegit? Quid castius ea, quæ corpus sine corporis contagione generavit? Virgo erat non solum corpore, sed etiam mente, quæ nullo do-

Digitized by Google

li ambitu sincerum adulteraret affectum: corde humilis, verbis gravis, animi prudens, loquendi parcior, non in incerto divitiarum, sed in prece pauperum spem reponens, intenta operi, verecunda sermone, arbitrum mentis solita non hominem, sed Deum quærere.

℟. Ornatam monilibus filiam Jerusalem, Dominus concupivit, et videntes eam filiæ Sion, beatissimam prædicaverunt, dicentes: * Unguentum effusum nomen tuum.

℣. Astitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate. Unguentum.

Lectio II.

Nullum lædere, bono velle omnibus, assurgere majoribus natu, æqualibus non invidere, fugere jactantiam, rationem sequi, amare virtutem. Nihil torvum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inverecundum. Domestico operosa secreto, nullo meliore tamen sui custode quam seipsa, quæ incessu, affatuque venerabilis, non tam vestigium pedis tollere, quam gradum virtutis attollere; ut tamen alios habeat Virgo membrorum custodes suorum, morum autem suorum se habeat ipsa custodem. Plures erunt de quibus discat, si ipsa se doceat, quæ virtutes magistras habet; quia quidquid egerit, disciplina est. Sic Maria intendebat omnibus, quasi a pluribus moneretur: sic implebat omnia virtutis officia, ut non tam disceret, quam doceret. Talem hanc Evangelista monstravit, talem Angelus reperit: talem Spiritus Sanctus elegit.

℟. Congratulamini mihi omnes, qui diligitis Dominum, quia cum essem parvula placui Altissimo: * Et de meis visceribus genui Deum et hominem.

℣. Beatam me dicent omnes generationes, quia ancillam humilem respexit Deus. Et. Gloria Patri. Et.

Lectio III.

Quid enim in singulis morer, ut eam parentes dilexerint, extranei

Digitized by Google

prædicaverint, quæ digna fuit ex qua Dei filius nasceretur? Hæc ad ipsos ingressus Angeli inventa domi in penetralibus sine comite, ne quis intentionem obrumperet, ne quis obstreperet: neque enim comites fœminas desiderabat, quæ bonas comites cogitationes habebat. Quin etiam, tum sibi minus sola videbatur, cum sola esset. Nam quemadmodum sola cui tot libri adessent, tot Archangeli, tot Prophetæ? Denique et Gabriel eam ubi revisere solebat invenit; et Angelum Maria, quasi viri specie mota, trepidavit, quasi non incognitum audito nomine recognovit. Salutata obmutuit, et appellata respondit; sed quæ primo turbaverat aspectu, postea promisit obsequium.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

XXIX.

Sermo Sancti Bernardi Abbatis.

In Nativitate B. V. Mariæ.

Lectio I.

INTUERE, o homo, consilium Dei, agnosce consilium Sapientiæ, consilium pietatis. Cælesti rire aream rogaturus, totum vellus prius infudit: redempturus humanum genus, pretium universum contulit in Mariam. Altius ergo intueamini, quanto devotionis affectu a nobis eam voluerit honorari, qui totius boni plenitudinem posuit in Maria; ut proinde, si quid spei in nobis est, si quid gratiæ, si quid salutis, ab ea noverimus redundare, quæ ascendit deliciis affluens. Hortus plane deliciarum, quæ non modo afflaverit veniens, sed et perflaverit superveniens auster ille divinus, ut undique fluant et effluant aromata ejus, charismata scilicet gratiarum. Tolle corpus hoc solare, quod illuminat mundum; ubi dies? Tolle Mariam hanc maris stellam: quid nisi densissimæ tenebræ relinquuntur?

℟. Regina mundi dignissima Maria, Virgo perpetua: * Intercede pro nostra pace, et salute.

℣. Quæ genuisti Christum Dominum, Salvatorem omnium. Intercede.

Digitized by Google

Lectio II.

Totis ergo medullis cordium, totis præcordiorum affectibus et votis omnibus Mariam hanc veneremur; quia sic est voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam. Hæc, inquam, voluntas ejus est, sed pro nobis. In omnibus siquidem, et per omnia providens miseris, trepidationem nostram solatur, fidem excitat, spem roborat, diffidentiam abigit, erigit pusillanimitatem. Ad Patrem verebaris accedere, solo auditu territus, ad folia fugiebas: Jesum tibi dedit mediatorem. Quid non apud talem Patrem Filius talis obtineat? Exauditur utique pro reverentia sua: Pater enim diligit filium. An vero trepidas et ad ipsum? Frater tuus est, et caro tua, tentatus per omnia absque peccato, ut misericors fieret. Hunc tibi fratrem Maria dedit. Sed forsitan et in ipso majestatem vereatur divinam, quod, licet factus sit homo, manserit tamen Deus. Advocatum habere vis et ad ipsum? Ad Mariam recurre.

℟. Beata es, Virgo Maria, quæ Dominum portasti creatorem mundi:* Genuisti qui te fecit, et in æternum permanes Virgo.

℣. Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum.

Genuisti. Gloria Patri. Genuisti.

Lectio III.

Pura siquidem humanitas in Maria, non modo pura ab omni contaminatione; sed et pura singularitate naturæ. Nec dubius dixerim exaudietur et ipsa pro reverentia sua. Exaudiet utique Matrem Filius, et exaudiet Filium Pater. Filioli, hæc peccatorum scala, hæc mea maxima fiducia est, hæc tota ratio spei meæ. Quid enim? Potest ne Filius aut repellere, aut sustinere repulsam? Non audire, aut non audiri Filius potest? Neutrum plane. Invenisti, ait Angelus, gratiam apud Deum. Feliciter. Semper hæc inveniet gratiam, et sola est gratia qua egemus. Prudens Virgo, non sapientiam, sicut Salomon, non divitias, non honores, non

Digitized by Google

potentiam, sed gratiam requirebat. Nimirum sola est gratia, qua salvamur.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

XXX.

Sermo Sancti Sophronii Episcopi.

Homil. in Deiparæ Annunt.

Lectio I.

Quisnam tuum, Domina, eloqui splendorem poterit? Quisnam portentum, quod ipsa es enarrare verbis audeat? Quisnam magnificentiam tuam effari se posse confidet? Tu hominum exornasti naturam: tu Angelorum ordines superasti; tu fulgores Archangelorum obtenebrasti; tu sublimes Thronorum sedes infra te ostendisti: tu altitudinem Dominationum depressisti; tu Principatuum ducatibus præcurristi: tu enervasti fortitudinem Potestatum: tu ipsis Virtutibus potentior virtus prodiisti: tu Cherubim oculatissimum visum terrestribus oculis vicisti.

℟. Beatam me dicent omnes generationes: * Quia fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen ejus.

℣. Et misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum. Quia.

Lectio II.

Tu Seraphim sex alas habentium volatus animæ pennis divinitus agitatis transvolasti; tu denique omnem creaturam longe transgressa es: quippe quæ præ omni creatura enituisti puritate; et omnium creaturarum Conditorem in te excepisti; ipsumque et sinu tuo gestasti et genuisti; et sola ex omnibus creaturis Dei mater effecta es. Vere benedicta tu in mulieribus, quoniam Evæ maledictionem in benedictionem commutasti; quoniam Adam, qui prius jacebat execratione perculsus, ut per te benediceretur effecisti. Vere benedicta tu in mulieribus, quoniam benedictio Patris per te affulsit hominibus, eosque a veteri maledicto liberavit.

℟. Felix namque es, sacra Virgo Maria, et omni laude dignissima:* Quia ex te ortus est sol justitiæ, * Christus Deus noster.

Digitized by Google

℣. Ora pro populo, interveni pro Clero, intercede pro devoto fæmineo sexu: sentiant omnes tuum juvamen quicumque celebrant tuam sanctam commemorationem.

Quia. Gloria Patri.

Christus.

Lectio III.

VERE benedicta tu in mulieribus, quia per te progenitores tui salutem inveniunt: tu siquidem genitura es Servatorem, qui divinam ipsis salutem comparabit. Vere benedicta tu in mulieribus, quoniam sine semine eum protulisti fructum, qui benedictionem terrarum orbi elargitur, ipsumque a maledictione spinas germinante redimit. Vere benedicta tu in mulieribus, quia mulier naturali conditione cum sis, Dei tamen Genitrix reipsa fies. Etenim si quis ex te nasciturus est secundum veritatem Deus est incarnatus, ipsa jure, meritoque diceris Deipara, quippe quæ Deum verissime paris.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

XXXI.

Sermo Sancti Bernardi Abbatis.

De Sermone 2. in Adventu Domini.

Lectio I.

QUÆNAM sit Virga de radice Jesse procedens, quis vero Flos super quem requiescit Spiritus Sanctus, manifestum jam arbitror. Quoniam Virgo Dei Genitrix virga est, flos Filius ejus. Flos utique Filius Virginis, flos candidus et rubicundus, electus ex millibus; flos in quem prospicere desiderant Angeli, flos ad cujus odorem reviviscunt mortui: et sicut ipse testatur, flos campi est, et non horti. Campus enim sine omni humano floret adminiculo, non seminatus ab aliquo, non defossus sarculo, non impinguatus fimo. Sic omnino, sic Virginis alvus floruit, sic inviolata, integra, et casta Mariæ viscera, tamquam pascua æterni viroris florem protulere; cujus pulchritudo non videat corruptionem, cujus gloria in perpetuum non marcescat.

℟. Beatissima Virgo Maria, Regina Angelo-

Digitized by Google

rum, Domina mundi, per quam Deus descendit ad terras: * Ut homines ascendere mereantur ad cælos.

℣. Ad te clamamus exules filii Evæ; recordare nostri, Sanctissima Virgo. Ut homines.

Lectio II.

O Virgo, virga sublimis, in quam sublime verticem sanctum erigis! Usque ad sedentem in throno, usque ad Dominum majestatis. Neque enim id mirum, quoniam in altum mittis radices humilitatis. O vere cælestis planta, pretiosior cunctis, sanctior universis! O vere lignum vitæ, quod solum fuit dignum portare fructum salutis! Deprehensa est, maligne serpens, versutia tua, nudata est plane falsitas tua. Duo imposueras Creatori: mendacii et invidiæ infamaveras eum: sed in utroque convictus es esse mentitus. Siquidem et ab initio moritur, cui dixeras: Nequaquam morieris: et veritas Domini manet in æternum. Sed et nunc responde, si potes, quam ei arborem, cujus arboris fructum invidere potuit, qui ne hanc quidem virgam electam, et fructum sublimem negavit? Etenim qui proprio Filio non pepercit, quomodo non omnia simul cum illo donavit?

℟. Beata Dei Genitrix Maria, templum Domini, Sacrarium Spiritus Sancti: * Sola sine exemplo placuisti Domino nostro Jesu Christo.

℣. Genuisti, qui te fecit, et in æternum permanes virgo. Sola. Gloria Patri. Sola.

Lectio III.

Sed jam advertistis, ni fallor, quoniam Virgo regia ipsa est via, per quam Salvator advenit, procedens ex ipsius utero, tamquam sponsus de thalamo suo. Tenentes ergo viam, quam priore, si meministis, cæpimus investigare sermone: Studeamus et nos, dilectissimi, ad ipsum per eam ascendere, qui per ipsam ad nos descendit: per eam venire in gratiam ipsius, qui per eam in nostram miseriam venit. Per te accessum habeamus ad Filium, o be-

Digitized by Google

nedicta inventrix gratiæ, genitrix vitæ, mater salutis; ut per te nos suscipiat, qui per te datus est nobis. Excuset apud ipsum integritas tua culpam nostræ corruptionis, et humilitas Deo grata nostræ veniam impetret vanitati.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

XXXII.

Ex libro Sancti Anselmi Episcopi.

Orat. inter Alloquia cælestia.

Lectio I.

MIRA res, in quam sublimi contemplor Mariam locatam! Omnis natura a Deo est creata, et omnis Dei natura ex Maria est nata. Deus omnia creavit, et Maria Deum genuit. Deus qui omnia fecit, vel creavit, ipse se ex Maria fecit; et sic omnia, quæ fecerat, refecit. Qui potuit omnia de nihilo facere, noluit ea violata sine Maria reficere. Deus igitur est pater rerum creatarum, et Maria Mater rerum recreatarum. Deus est pater constitutionis omnium, et Maria est mater restitutionis omnium. Deus enim genuit illum, per quem omnia sunt facta, et Maria peperit illum per quem omnia sunt salvata. Deus genuit illum sine quo penitus nihil est, et Maria peperit illum, sine quo omnino nihil bene est.

℟. Benedicta filia tu a Domino, quia per te fructum vitæ communicavimus: * Sola sine exemplo placuisti Domino nostro Jesu Christo.

℣. Nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris, et a periculis cunctis libera nos, sancta Dei Genitrix, Sola.

Lectio II.

O AULA universalis propitiationis, causa generalis reconciliationis, vas et templum vitæ et salutis universorum! Tu namque Domina admirabilis singulari virginitate, amabilis salutari fœcunditate, venerabilis inæstimabili sanctitate; tu ostendisti mundo Dominum suum, et Deum suum, quem nesciebat; tu visibilem exhibuisti mundo creatorem sui, quem prius non videbat; tu ge-

Digitized by Google

nuisti mundo restauratorem, quo perditus indigebat: tu peperisti mundo reconciliatorem, quem reus non habebat. Per fæcunditatem tuam, Domina, mundus peccator est justificatus, damnatus salvatus, exul reductus. Partus tuus, Domina, mundum captivum redemit, ægrum sanavit, mortuum resuscitavit.

℟. Sancta et immaculata virginitas, quibus te laudibus efferam nescio;* Quia quem cæli capere non poterant, tuo gremio contulisti.

℣. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. Quia. Gloria Patri. Quia.

Lectio III.

Sed cur solum loquor, Domina, beneficiis tuis plenum esse mundum? Inferna penetrant, cælos superant. Per plenitudinem enim gratiæ tuæ, et quæ in inferno erant, se lætantur liberata, et quæ supra mundum sunt, se gaudent restaurata. Per eumdem quippe gloriosum Filium gloriosæ virginitatis tuæ, omnes justi, qui obierunt ante vitalem ejus mortem, exultant diruptione captivitatis suæ: et Angeli gratulantur restauratione semirutæ civitatis suæ. O fœmina mirabiliter singularis, et singulariter mirabilis, per quam elementa renovantur, inferna remediantur, homines salvantur, Angeli redintegrantur! O Virgo benedicta, per cujus benedictionem benedicitur omnis natura, non sólum creata a Creatore, sed et Creator a creatura!

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

XXXIII.

Sermo Sancti Bernardi Abbatis.

Ex homil. 1. de laud. V. Matris.

Lectio I.

Quæ est illa Virgo tam venerabilis, ut salutetur ab Angelo? tam humilis ut desponsata sit fabro? Pulchra permixtio virginitatis et humilitatis: nec mediocriter placet Deo illa anima, in qua et humilitas commendat virginitatem, et virginitas exornat humilitatem. Sed quanta putas veneratione digna est, in qua humilitatem exal-

Digitized by Google

tat fæcunditas, et partus consecrat virginitatem? Audis Virginem, audis humilem: si non potes virginitatem humilis, imitare humilitatem Virginis. Laudabilis virtus virginitas, sed magis necessaria humilitas. Illa consulitur, ista præcipitur. Ad illam invitaris, ad istam cogeris. De illa dicitur: Qui potest capere, capiat: de ista dicitur: Nisi quis efficiatur sicut parvulus iste, non intrabit in regnum cælorum. Illa ergo remuneratur, ista exigitur.

℟. Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui:* Propterea benedixit te Deus in æternum.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis; intercede pro nobis ad Dominum Deum nostrum. Propterea.

Lectio II.

POTES denique sine virginitate salvari: sine humilitate non potes. Potest, inquam, placere humilitas, quæ virginitatem deplorat amissam; sine humilitate autem (audeo dicere) nec virginitas Mariæ placuisset. Super quem, inquit, requiescet Spiritus meus, nisi super humilem, et quietum? Super humilem, dixit, non super virginem. Si igitur Maria humilis non esset, super eam Spiritus Sanctus non requievisset. Si super eam non requievisset, nec imprægnasset. Quomodo enim de ipso sine ipso conciperet? Patet itaque, quia ut de Spiritu Sancto conciperet, sicut ipsa perhibet, respexit humilitatem ancillæ suæ Deus, potius quam virginitatem. Et si placuit ex virginitate, tamen ex humilitate concepit. Unde constat, quia, etiam ut placeret virginitas, humilitas procul dubio fecit.

℟. Sicut cedrus exaltata sum in Libano, et sicut cypressus in monte Sion; quasi myrrha electa, * Dedi suavitatem odoris.

℣. Et Sicut cinnamomum, et balsamum aromatizans. Dedi. Gloria Patri. Dedi.

Lectio III.

EST tamen majus aliquid quod mireris in

Digitized by Google

Maria: scilicet cum virginitate fæcunditas. A sæculo enim non est auditum, ut aliqua simul mater esset et virgo. O si et cujus est mater attendas! Quo te tua super ejus mirabili celsitudine ducet admiratio? Nonne ad hoc, ut te videas nec satis posse mirari? Nonne tuo, imo veritatis judicio, illa quæ Deum habuit filium, super omnes etiam choros exaltabitur Angelorum? An non Deum et Dominum Angelorum Maria suum audacter appellat filium, dicens: Fili, quid fecisti nobis sic? Quis hoc audeat Angelorum? Sufficit eis, et pro magno habent, quod cum fiant spiritus ex conditione, ex gratia facti sunt, et vocati Angeli.

Hymnus. Te Matrem Dei *pag. 9.*

XXXIV.

Ex Libro Sancti Ephræm Syri.

Oratio ad Dei Matrem.

Lectio I.

VIRGO Domina Dei Genitrix, quæ unigenitum Dei Verbum, omnis visibilis, atque intelligibilis creaturæ factorem, et Dominum, unum Trinitatis Deum, Deum pariter et hominem, supra naturam, et supra captum genuisti: habitaculum divinitatis, totius sanctitatis et gratiæ receptaculum, in quo plenitudo divinitatis corporaliter habitavit, ex Dei beneplacito, atque operatione Sancti Spiritus: quæ supra omnem creaturam regali, et prope divina dignitate collocata es, et supereminens, gloria et oblectatio, et inexplicabilis lætitia Angelorum: Regia Apostolorum ac Prophetarum corona: egregia atque admirabilis Martyrum fortitudo: certaminum ipsorum, et victoriæ causa.

℟. Quæ est ista, quæ processit sicut Sol, et formosa tamquam Jerusalem? * Viderunt eam filiæ Sion, et beatam dixerunt, et Reginæ laudaverunt eam.

℣. Et sicut dies verni circundabunt eam flores rosarum, et lilia convallium. Viderunt.

Lectio II.

GAUDE purissima gratia plena; Gaude imma-

culata Dei Genitrix Virgo: Gaude, Virgo hominum gloria: Gaude, omnium Prophetarum implementum: Gaude perfectio omnium congregationum Domini: Gaude ipsius Testamenti sigillum: Gaude meta consiliorum illius: Gaude manifestatio mysteriorum ejus: Gaude lumen in tenebris positorum: Gaude renovatio senascentium: Gaude propitiatio aberrantium ac liberatio: Gaude, lux errantibus viam demonstrans; Gaude portus ac protectio navigantium: Gaude Patrona et munitio in necessitatibus: Gaude Salus secura fidelium: Gaude nova maxime ac divina largitio: Gaude mortalium omnium Domina: Gaude lætitia et gloria Angelorum.

℟. Ego diligentes me diligo:* Et qui mane vigilant ad me invenient me.

℣. Mecum sunt divitiæ et gloria, opus superbæ et justitia. Et qui. Gloria Patri. Et qui.

Lectio III.

GAUDE benedictissima in sæculum sæculi: Gaude lignum opacum Virgo puella, ex quo omnes fructum decerpimus, quem comedentes exhilarantur, non moriuntur: Gaude Maria Virgo Mater, Mater sponsa: Gaude ornamentum mundi muliebris: Gaude filia David splendide ornata: Gaude Mensa mysticarum gratiarum: Gaude Regisque, Deique mei Victoria: Gaude tum Patriarcharum, tum Vincentium exultatio: Gaude murus invocantium te, defensio simul et firma protectio: Gaude omnino immaculata Dei divina sedes: Gaude splendida Dei Mater sola: Gaude Salomonis lectus sanctissimus: Gaude spiritualibus mentibus honorabilior: Gaude meorum delictorum solutio, et Regina generis Adamitici.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

XXXV.

Sermo Sancti Bernardi Abbatis

De Sermone Panegyrico.

Lectio I.

SOL justitiæ de te, Domina, processurus ortum suum quadam matutina irradiatione præ-

*

veniens, in te lucis suæ radios copiose transfudit, quibus potestates tenebrarum, quas Eva produxerat, in fugam convertisti: atque ita desideratum cunctis gentibus Solem mundo invexisti. Tu pulchra ut Luna diceris, eique non immerito compararis. Illa enim omnium astrorum sola Solis simillima, et candore venusta argenteo cæteris in cælo præmicat sideribus: tu vero Solis imago expressissima, inter millia astrorum Deo assistentium virginali puritate in cœlo gloriosa præfulges. Illa enim transfusio in se solari lumine noctem nostram illuminat: tu virtutum tibi a Deo inditarum magnificis exemplis ad imitationem tui nos provocas, sicque noctem nostram illuminas.

℟. Diffusa est gratia in labiis tuis:* Propterea benedixit te Deus in æternum.

℣. Myrrha, et guttha, et casia a vestimentis tuis, a domibus eburneis, ex quibus te delectaverunt filiæ regum in honore tuo. Propterea.

Lectio II.

Tu ergo pulchra es ut luna; imo et pulchior luna; quia tota pulchra es, et macula non est in te, neque vicissitudinis obumbratio. Tu electa es ut sol, ille, inquam, Sol solis conditor. Ille enim electus est ex millibus virorum: tu electa es ex millibus fœminarum. Ille electus ex omnibus quæ sunt; tu electa ex omnibus quæ per illum sunt. Tu terribilis ut castrorum acies ordinata. Quid enim? An non horruerunt principes tenebrarum, quando viderunt præter morem armatura omni fortiore instructam contra se procedere fœminam, fœminam fortem, et ad bella doctissimam, cujus ensis super femur suum propter timores nocturnos. In circuitu ejus acies validas spiritualium virtutum suo se invicem ordine tuentium.

℟. Beata es, Virgo Maria, Dei Genitrix, quæ credidisti Domino; perfecta sunt in te, quæ dicta sunt tibi:* Intercede pro nobis ad Dominum Deum nostrum.

Digitized by Google

℣. Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum. Intercede. Gloria Patri. Intercede.

Lectio III.

TIMOR et tremor venerunt super eos, ita ut dicerent: Ecce plusquam Eva hæc. Castra Dei sunt hæc, fugiamus Israelem. Tu ergo, bellatrix egregia, primo eum, qui primus omnia supplantavit, expugnare viriliter aggressa es. Tu et spiritum elationis Evæ vertice humilitatis complosisti: quam in te ita respexit Dominus, ut ipsius merito super omnes choros Angelorum te sublimari dignam æstimaverit. Numquam enim super omnes Angelos glorificata ascendisses, nisi prius infra omnes homines humiliata descendisses. Tu et ardorem vetitæ concupiscentiæ virtute castitatis, in tua carne virginea eatenus extinxisti; ut is, in cujus conspectu nec astra munda sunt, tantæ munditiæ carnem tuam judicaverit, ut etiam suæ divinæ puritati agglutinari non despexerit.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

XXXVI.

Sermo Sancti Augustini Episcopi.

In Sermone 18 de Sanctis.

Lectio I.

EXULTAT Maria, et Matrem se læta miratur, et de Spiritu Sancto se peperisse gaudet, nec quia peperit, innupta terretur, sed quia genuerit, cum exultatione miratur. Promittitur ei filius per visitationem Sancti Spiritus. Hæc illa audiens gaudet, cupitque effici mater. Quid igitur mirum, si sine corruptione nascitur, qui de sanctificatione concipitur? Non enim decebat, ut ille, qui nobis afferebat salutem, matri præriperet integritatis dignitatem. Nam qui terra, mari, cæloque non capitur, intra unius corpusculi membra suscipitur. Hæc est illa novitas Jeremiæ Prophetæ vaticinio prænuntiata: Faciet, inquit, Dominus novum super terram, fœmina circumdabit virum.

℟. Ego Mater pulchræ dilectionis, et timoris, et agnitionis, et Sanctæ spei: in me gratia omnis

Digitized by Google

viæ et veritatis:* In me omnis spes vitæ et virtutis.

℣. Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, et a generationibus meis implemini. In me.

Lectio II.

O FÆMINA super fæminas benedicta, quæ virum omnino non novit, et virum suo utero circumdedit! Circumdat virum Maria Angelo fidem dando, quia Eva perdidit virum serpenti consentiendo: salutat Angelus puellam viri salutationis ignaram, terretur virgo novitate verborum. O felix obedientia, o insignis gratia, quæ dum fidem dedit, humiliter cæli in se opificem corporavit! Implevit in ea Dominus, quod dudum predixerat: Obedientiam, inquit, malo quam sacrificium, et scientiam Dei plusquam holocausta. Hæc fuit vera obedientia, omnique sacrificio gratior, hæc voluntas cunctis hostiis acceptior, hinc promeruit gloriam, quam ipsa postmodum lausit: Ecce, ait, ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

℟. Spiritus meus super mel dulcis, et hæreditas mea super mel et favum: qui audit me non confundetur:* Et qui operantur in me non peccabunt.

℣. Qui elucidant me, vitam æternam habebunt. Et. Gloria Patri. Et.

Lectio III.

O BEATA Maria, quis tibi digne valeat jura gratiarum, ac laudum præconia impendere, quæ singulari tuo assensu mundo succurristi perdito? Quas tibi laudes fragilitas humani generis persolvat, quæ sola tuo commercio recuperandi aditum invenit? Accipe itaque quascumque exiles, quascumque meritis tuis impares gratiarum actiones, et cum susceperis vota, culpas nostras orando excusa. Admitte nostras præces intra sacrarium exauditionis, et reporta nobis antidotum reconciliationis. Accipe quod offerimus, redona quod rogamus, excusa quod timemus, quia tu es spes unica peccatorum, per te

Digitized by Google

speramus veniam delictorum, et in te beatissima nostrorum est expectatio præmiorum.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

XXXVII.

Sermo Sancti Bernardi Abbatis.

De Serm. I. in Annunt. Dominica.

Lectio I.

MARIA siquidem et ipsa candidior nive, rubicundior ebore antiquo, cui scilicet incomparabilem et castitas candorem, et charitas seu martyrium rutilantem præ antiquis electis noscitur contulisse ruborem. Nam et suam ipsius animam pertransivit gladius, ut Mater summi Virginis et Martyris esset et virgo ipsa et martyr, candida et rubicunda, quemadmodum dilectus ejus candidus et rubicundus. Denique sicut Salomon in omnibus thesauris suis et opibus tantis nihil habuit tam pretiosum, quod in opus illud, magnificum thronum scilicet gloriæ suæ, judicaret ebori præferendum: sic Maria singularem præ omnibus Electis Angelorum et hominum invenit gratiam apud Deum, ut videlicet Dei conciperet et pareret Filium, atque ex ebore corporis ejus thronum sibi virtus Altissimi sine manibus excideret gloriosum.

℟. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem: * Neque flumina obruent eam.

℣. Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam. Neque.

Lectio II.

GLORIOSUS prorsus ille thronus ac mirabilis, de quo Scriptura perhibet: Quia non est factum tale opus in universis regnis: quod facile testimoniis probaretur Angelorum, qui semper et insatiabiliter in gloriam et decorem Dominici corporis prospicere concupiscunt. Quia enim in universis regnis non est tale opus factum, quidquid factum est, flectat ei genu in omnibus regnis, cælestium, terrestrium, et infernorum. Quam beatus igitur ille venter eburneus, unde

Digitized by Google

caro eburnea sumpta est Redemptoris, prætium animarum, miraculum Angelorum, solium summæ majestatis, thronusque potestatis, cibus vitæ immortalis, medicina peccati, restitutio sanitatis. Quotquot, inquit, tangebant eum, sanabantur a languoribus suis: nam virtus de illo exiebat, et sanabat omnes.

℟. Beatus homo, qui audit me, et qui vigilat ad fores meas quotidie, et observat ad postes hostii mei: * Qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino.

℣. Qui autem in me peccaverit, lædet animam suam; omnes qui me oderunt, diligunt mortem. Qui me. Gloria Patri. Qui me.

Lectio. III.

Felix castitas uteri virginalis, quæ huic operi materiam ministravit! Felix prorsus, Fratres mei, nitor illius eboris, idest, candor castitatis: cui nec aurum mundanæ sapientiæ, nec argentum eloquentiæ, nec gemmam alicujus excellentis gratiæ, nostri præfert electio Salomonis; si modo tamen castitas humilitate commendetur, quia humilitatem ancillæ suæ respexit Dominus. Sic etiam devotos, frequentius vos sua visitatione dignetur, et dicat: Ibo mihi ad montem myrrhæ et ad collem thuris: montem non modo mirrhæ et thuris: sed et omnium aromatum: dico autem Virginem virginum, omnium plenam gratiarum, inter quas tamen præcipue, ni fallor, redolebat sponso myrrha castitatis, et thus pietatis.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

XXXVIII.

Sermo Sancti Andreæ Cretensis Archiepiscopi.

Ex hom. 2. De Dormitione SS. Dominæ nostræ Deiparæ.

Lectio I.

Produxit natura liberum arbitrium spinis obseptum: Maria contra produxit eum, qui impleret paternam voluntatem. Peperit natura ex inobedientia mortem voluntariam: ipsa contra peperit eum, qui mortem sustulit per obedientiam.

Digitized by Google

Sola enim, sola præter naturam fuit electa ad naturam renovandam: sola serviit opifici universæ naturæ. O filia Adam, et mater Dei! O mater sine viro, et Virgo quæ filium paris! O opus ejus, qui in te factus est temporaliter, et non excessit a sua æternitate! Tu es res illa magna venerandæ œconomiæ, quam cupiunt prospicere Angeli: Tu es divinæ dimissionis pulchrum habitaculum: tu es thesaurus absconsi ante sæcula mysterii.

℟. Sine tactu pudoris inventa es Mater Salvatoris: * Qui cælum, terramque regit, in tua se clausit viscera factus homo.

℣. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventri tui. Qui.

Lectio II.

Tu terra es vere desiderabilis; Rex enim desideravit gloriam tuæ pulchritudinis, et amavit divitias tuæ virginitatis, et in te habitavit, et inter nos fixit tabernacula, et per te Deo Patri nos reconciliavit. Tu es liber vere vivus ejus, qui in te tacite fuit inscriptus, vivifico calamo Spiritus Sancti. Tu sola vere es novi testamenti volumen a Deo scriptum, quod ipse Deus antea fecit cum hominibus. Tu es ille decem mille millibus multiplicatus Dei currus, quæ millia locupletum adduxisti ad eum carne tectum. Tu es mons Sion, mons coagulatus, mons pinguis, in quo beneplacuit Deo habitare. Ex quo in carnem concretus, quæ sicut nos, est intelligenter animata, is fuit coagulatus, qui est superessentialis.

℟. Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu vero supergressa es universas: * Speciosa facta es, et suavis in deliciis tuis, Sancta Dei Genitrix.

℣. Sentiant omnes tuum juvamen quicumque celebrant tuam sanctam commemorationem. Speciosa. Gloria Patri. Speciosa.

Lectio III.

O DIVINUM Templum et homo terrene!

Digitized by Google

O columna mortua, et columna vivifica, non carnalem per lucem deducens Israelem, qui fugatur; sed spiritalem, qui deducitur ad inerrantem lucem cognitionis, divinis illuminans facibus! O nubes tota lucida, et mons umbrosus, non adumbrans ingratum populum Judæorum, sed electum Dei populum, gentem sanctam maternis tuis facibus illustrans! O quovis auro purior, et quavis sensili et immateriali natura! O terra virginalis, ex qua secundus, et vetere antiquior processit Adam! Tu vere es enim illa pulchra, et macula non est in te. Parvum quid tibi quoque accinat divinissimus Salomon: Formosa ut Jerusalem, et odor vestimentorum tuorum, tamquam odor thuris.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

XXXIX.

Sermo Sancti Bernardi Abbatis.

In Sermone de 12. *Stellis.*

Lectio I.

QUID sidereum micat in generatione Mariæ? Plane quod ex regibus orta, quod ex semine Abrahæ, quod generosa ex stirpe David. Si id parum videtur, adde quod generationi illi, ob singulare privilegium sanctitatis, divinitus noscitur esse concessa: quod longe ante eisdem Patribus cælitus repromissa: quod mysticis præfigurata miraculis: quod oraculis prænuntiata propheticis. Hanc enim sacerdotalis virga, dum sine radice floruit: hanc Gedeonis vellus, dum in medio siccæ areæ maduit: hanc in Ezechielis visione orientalis porta, quæ nulli unquam patuit, præsignabat. Hanc denique præ cæteris Isaias nunc virgam de radice Jesse orituram promittebat: nunc evidentius virginem parituram.

℟. Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, et a generationibus meis implemini: * Spiritus enim meus super mel dulcis, et hæreditas mea super mel et favum.

℣. Qui audit me, non confundetur, et qui elucidant me, vitam æternam habebunt. Spiritus.

Digitized by Google

Lectio. II.

MERITO signum hoc magnum in cælo apparuisse scribitur, quod tanto ante de cælo noscitur fuisse promissum. Dominus ait: ipse dabit vobis signum: ecce virgo concipiet. Magnum profecto signum dedit, quia et magnus ipse, qui dedit. Hujus ergo prærogativæ fulgor quorum non vehementer reverberat aciem oculorum? Jam in eo, quod tam reverenter, atque officiosissime ab Archangelo salutata est, ut jam tunc in regali solio supra omnes cælestium ordines legionum exaltatam cernere videretur, et paulo minus adoraturus fœminam, qui solebat ab hominibus hactenus æquanimiter adorari: excellentissimum nobis Virginis nostræ meritum, et singularis gratia commendatur.

℟. Meum est consilium et æquitas, mea est prudentia, mea est fortitudo: * Per me reges regnant, per me principes imperant, et potentes decernunt justitiam.

℣. Ego diligentes me diligo, et qui mane vigilant ad me, invenient me. Per me. Gloria Patri, Per me.

Lectio III.

NIHILO minus fulget etiam novus ille conceptionis modus, ut non in iniquitate, quemadmodum cæteræ omnes, sed superveniente Spiritu Sancto, sola, et de sola sanctificatione Maria conciperet. Nam quod verum Deum et Dei filium genuit, ut idem ipse Dei atque hominis filius, unus omnino Deus et homo prodiret ex Maria, abyssus est luminis: nec facile dixerim, quod vel angelicus oculus ad hujus fulgoris vehementiam non caliget. De cætero sane et virginitatem carnis, et propositum virginitatis, maxime et ipsius quoque propositi novitas evidenter illustrat: quod videlicet in libertate spiritus legis Mosaicæ decreta trascendens, illibatam Deo corporis simul et spiritus sanctimoniam vovit. Merito proinde et illam meruit benedictionem, et hanc non amisit; ut longe glo-

Digitized by Google

riosior fiat et virginitas ex fæcunditate, et ex virginitate fæcunditas.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag.* 9.

XL.

Sermo Sancti Gregorii Neocæsariensis Episcopi.

Serm. I. in Annunt. B. M. Virginis.

Lectio I.

Ex omnibus generationibus, hæc sola Virgo Sancta corpore et spiritu extitit, et sola fert eum, qui verbo omnia portat: et non solum admirationem nobis parit, sanctissima illius in corpore pulchritudo, sed et virtutes animæ ejus. Ideo et verbis illis: Ave gratia plena, primum Angelus ipsam salutando compellavit: Dominus tecum, et non terrenus sponsus, sed ipse sanctificationis Dominus, pater castitatis, incorruptionis auctor, et libertatis dator, salutis procurator, et veræ pacis conservator atque largitor, qui ex terra virgine creavit hominem, et ex illius latere ac costa Evam assumpsit: hic Dominus tecum, et rursum ex te.

℟. Benedicta, et venerabilis es, Virgo Maria: * Quæ sine tactu pudoris inventa es Mater Salvatoris.

℣. Virgo Dei Genitrix, quem totus non capit orbis, in tua se clausit viscera factus homo. Quæ.

Lectio II.

Agite igitur, carissimi, et nos angelicas consectantes laudes, debitum pro viribus grati persolvamus, dicentes: Ave ac gaude gratia plena, Dominus tecum. Tuum enim vere est habere atque gaudere: quoniam tecum divina gratia, ut novit, habitationem elegit: cum ancilla Rex gloriæ: cum speciosa speciosus forma præ filiis hominum: cum impolluta, qui sanctificat universa. Tecum Deus, et ex te Deus ac perfectus homo, in quo omnis plenitudo divinitatis inhabitat. Ave gratia plena, fons lucis, qui cunctos in ipsum credentes illuminat. Ave gratia plena, intelligibilis Solis oriens, et flos vitæ immaculatus. Ave gratia plena, pratum fragrantissimum.

Digitized by Google

℟. Per te, Dei Genitrix, nobis est vita perdita data: * Quæ de cælo suscepisti prolem, et mundo genuisti Salvatorem.

℣. Recordare, Virgo Maria, in conspectu Dei ut loquaris pro nobis bona, et ut avertat indignationem suam a nobis. Quæ. Gloria Patri. Quæ.

De Sermone 3.

Lectio III.

Ave, immaculata viduati Orbis Sponsa simul et Mater. Ave, quæ in tuo utero matris Evæ mortem demersisti. Ave, animatum Dei templum. Ave, cæli et terræ æquivalens, dignumque domicilium. Ave, naturæ illius incomprehensibilis capacissimum receptaculum. Et ita, per eam ægrotantibus medicus: in tenebris sedentibus sol justitiæ: cunctis vero tempestate jactatis anchora et portus tutissimus: inimicis et Deo inutilibus servis Dominus natus est, pacisque vinculum factus, captivis liberatio, et bello exagitatis pacificatio. Ipse enim est pax nostra: qua quidem pace concedatur nobis frui, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

XLI.

Sermo Sancti Bernardi Abbatis.

Sermo 4. super Salve Regina.

Lectio I.

Virgo beata, postquam nuntius cælestis te prædicta gratiarum prærogativa perhibuit plenam, mox gratiarum causam subjungens, inquit, Dominus tecum. Dominus autem Spiritus est. Spiritus ergo Sanctus magnificavit facere tecum duo opera sua. Unum erat, dum dignam te fecit, quæ Dei Filium concipere posses et parere: alterum, quando ex tua carne sancta ac digna carnem Filii Dei formavit. Fecit proinde te magnam, et castam. Magnam plane fecit, ut immensum conciperes: castam, quatenus digne eum contineres. Magnam te fecit humilitate, castam virgitate. Itaque tu sancta, ut est castellum in quod Jesus intravit, habens

Digitized by Google

turrim humilitatis, et murum virginitatis.

℟. Ornatam monilibus filiam Jerusalem Dominus concupivit: et videntes eam filiæ Sion, beatissimam prædicaverunt, dicentes: * Unguentum effusum nomen tuum.

℣. Astitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate. Unguentum.

Lectio II.

MURUM certe fortissimum, quippe qui nec ante partum, nec in partu, nec post partum potuit violari. Lapides muri disciplina tua fuerunt et continentia, sine quibus numquam constans est virginitatis murus. Spiritus oris nostri, dicente Propheta, Christus Dominus. Spiritus vero est Dominus Christus: quippe qui ut Spiritus oris nostri charitatem calefacit, cupiditatem nostram refrigerat, ad bonam nos voluntatem movit, fide justificavit. Turris es Libani; Libanus est mons qui dicitur dealbatio, altam præ omnibus, signat innocentiam tuam. Innocens fuisti ab originalibus et ab actualibus peccatis.

℟. Congratulamini mihi omnes, qui diligitis Dominum, quia cum essem parvula placui Altissimo: * Et de meis visceribus genui Deum, et hominem.

℣. Beatam me dicent omnes generationes, quia ancillam humilem respexit Deus. Et Gloria Patri. Et.

Lectio III.

TE Angelus Gabriel prænuntiavit gratia plenam. Tu es ager plenus, plena virtutum, plena gratiarum. Tu protulisti frumentum electorum, quod est etiam Angelorum cibus. Te benedixit Dominus, ut per te benedictam vita veniret, sicut mors per Evam processerat maledicta. De te secretorum cælestium conscius Salomon dixit: Quæ est ista, quæ progreditur sicut aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis, ut castrorum acies ordinata? Aurora semper noctem sequitur, nox præcedit auroram. Quid autem est nox frigida et

Digitized by Google

obscura, nisi originale peccatum: frigidum concupiscentia, obscurum ignorantia? Tu ergo processisti, ut aurora lucida, et rubicunda, quia superatis originalibus peccatis, nata es lucida cognitione veritatis, et rubicunda amore virtutis.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

XLII.

Sermo Sancti Laurentii Justiniani.

De Sermone in Annunt. B. M. Virginis.

Lectio I.

Quis, hujus Virginis gratiam sufficit enarrare? Ab ipsa namque sui conceptione in benedictionibus est præventa dulcedinis. In ipso enim utero materno jam posita, super illam gratia sanctificationis effulsit, utpote ei, quæ electa erat ut pareret Deum. Noverat opus suum ille, qui fecerat, et quale futurum erat certissime agnoscebat. Hinc est quod virginem ipsam tam largo imbre spiritus irroravit. Erat plane sicut a carnis colluvione immunis, ita et ab omni peccati labe extranea. Degebat quidem in carne, conversabatur supra carnem, carnisque molestias nesciebat. Talis profecto erat, ut nulli usui servaretur, nisi divino.

℟. Regina mundi dignissima Maria, Virgo perpetua: * Intercede pro nostra pace, et salute.

℣. Quæ genuisti Christum Dominum, Salvatorem omnium. Intercede.

De casto connubio Verbi, et Animæ. Cap. 9.

Lectio II.

Hæc quidem propter humilitatis meritum, et ferventissimum charitatis affectum ab Altissimo adamatur, eligitur a Verbo, fæcundatur a Spiritu, divina prole ditatur, in scripturis præfiguratur, a Prophetis prænuntiatur, proponitur Archangelis, cælesti, omnique præfertur militiæ. Quem enim cæli capere nequeunt, et omnis natura miratur, Maria mente concepit; concepit in ventre, gestavit in utero, nutrivit lacte, fovit gremio, brachiis amplexata est. Dignum quippe fuit, ut talis esset mater Unigeniti Dei, pla-

Digitized by Google

smatoris omnium conditoris sæculorum. Quidquid honoris, quidquid dignitatis, quidquid meriti, quidquid gratiæ, quidquid gloriæ, totum fuit in Maria.

℟. Beata es, Virgo Maria, quæ Dominum portasti creatorem mundi: * Genuisti, qui te fecit, et in æternum permanes Virgo.

℟. Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum. Genuisti. Gloria Patri. Genuisti.

Lectio III.

MAGNA cum nascitur, major cum concipit. Ubique sancta, ubique plena, ubique immaculata. Sancta quidem mente et corpore, plena gratia et virtute, immaculata Verbo et sponso. Veruntamen si tanta donorum prærogativa beatæ Virgini collata est, ut genitrix fieret Domini, quantam putandum est prærogatam esse homini Deo? Si innumerabilium ornamentis meritorum novimus præditum thalamum nuptialem, qualia æstimanda sunt sponsæ monilia? Quantum a solis splendore lunæ distat claritas, aut stellarum: tantum munera Christi a matris muneribus.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

XLIII.

Sermo Sancti Bernardi Abbatis.

Ex homil. 2. de Laud. V. Matris.

Lectio I.

NOVUM quidem canticum illud, quod solis dabitur in regno Dei cantare virginibus, ipsam virginum Reginam cum cæteris, imo primam inter cæteras esse cantaturam, nemo est, qui ambigat. Puto autem illam, præter illud quod solis licet, cum omnibus tamen virginibus ei (ut dixi) commune erit, dulciori quodam atque elegantiori carmine lætificaturam esse civitatem Dei. Cujus utique dulcisanos depromere vel exprimere modulo ne ipsarum quidem virginum ulla digna invenietur: quia soli merito decantandum servabitur, quæ sola de partu, et partu Divino gloriatur. Gloriatur, dixerim, de partu, non in

Digitized by Google

se, sed in ipso quem peperit.

℟. Beatam me dicent omnes generationes: * Quia fecit mihi magna, qui potens est, et sanctum nomen ejus.

℣. Et misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum. Quia.

Lectio II.

Deus siquidem (Deus enim est quem peperit) Matrem suam singulari in cælestibus donaturus gloria, singulari in terris prævenire curavit et gratia, qua videlicet ineffabiliter et intacta conciperet, et pareret incorrupta. Porro Deum hujusmodi decebat nativitas, qua nonnisi de Virgine nasceretur: talis congruebat et Virgini partus, ut non pareret nisi Deum. Proinde Factor hominum ut homo fieret, nasciturus de homine, talem sibi ex omnibus debuit deligere, imo condere matrem, qualem se decere sciebat, et sibi noverat placituram.

℟. Felix namque es, Sacra Virgo Maria, et omni laude dignissima:* Quia ex te ortus est Sol justitiæ,* Christus Deus noster.

℣. Ora pro populo, interveni pro Clero, intercede pro devoto fæmineo sexu: sentiant omnes tuum juvamen quicumque celebrant tuam sanctam commemorationem. Quia. Gloria Patri. Christus.

Lectio III.

Voluit itaque esse virginem, de qua immaculata immaculatus procederet, omnium maculas purgaturus: voluit et humilem, de qua mitis et humilis corde prodiret, harum in se virtutum necessarium omnibus saluberrimumque exemplum ostensurus. Dedit ergo Virgini partum, qui ei jam ante, et virginitatis inspiraverat votum, et humilitatis prærogaverat meritum. Alioquin quomodo Angelus eam in sequentibus gratia plenam pronuntiat, si quippiam, vel parum boni, quod ex gratia non esset, habebat? Ut igitur, quæ Sanctum sanctorum conceptura erat pariter et pa-

Digitized by Google

ritura, sancta esset corpore, accepit donum virginitatis: ut esset et mente, accepit et humilitatis.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

XLIV.

Ex Libro Sancti Anselmi Episcopi.

Orat. inter Mantissa Meditat.

Lectio I.

O BEATA Dei Genitrix Virgo Maria, templum Dei vivi, Aula Regis æterni, Sacrarium Spiritus Sancti. Tu virga de radice Jesse. Tu cedrus de Libano. Tu rosa purpurea in Jericho. Tu cypressus in monte Sion, quæ singulari privilegio sicut nescis in omnibus comparationem, ita nihilominus et angelicam superas dignitatem, cui novo et inaudito miraculo datum est, ut Verbum, quod ante sæcula Deus genuit, fieret filius tuus, Deus et homo. Tu eum in fine sæculi genuisti, ut verus atque perfectus esset Dei Filius gemina quidem natura, sed una persona Deus et homo, unus Emmanuel.

℟. Beatissima Virgo Maria, Regina Angelorum, Domina mundi, per quam Deus descendit ad terras: * Ut homines ascendere mereantur ad cælos.

℣. Ad te clamamus exules filii Evæ: recordare nostri, sanctissima Virgo. Ut.

Lectio II.

O GLORIOSA puerpera, in qua sola reperitur fæcunda virginitas, quæ sic intemeratis visceribus filium Dei protulisti, ut illibatæ pudicitiæ crescaret integritas; non libido virginalis integritatis sigillum violaret. Tibi dum conciperes Spiritus Sanctus obumbravit, non (quod absit) ut ipse in tuo sanctissimo utero fieret pro semine sobolis, sed potius virtute ac potentia creatoris. De te summus Pontifex nostræ sui corporis hostiam sumpsit, quam in ara crucis pro totius mundi salute sacrificium obtulit. Tu lux oriens Nazareth. Tu gloria Jerusalem. Tu lætitia Israel. Tu decus mundi. Tu nobilitas populi Christiani.

Digitized by Google

℟. Beata Dei Genitrix Maria, templum Domini, Sacrarium Spiritus Sancti; * Sola sine exemplo placuisti Domino nostro Jesu Christo.

℣. Genuisti, qui te fecit, et in æternum permanes Virgo. Sola. Gloria Patri. Sola.

Lectio III.

O REGINA, et Domina mundi, scala cæli, thronus Dei, janua paradisi, audi preces pauperum, ne despicias gemitus miserorum: inferantur per te vota nostra, atque suspiria in conspectu Redemptoris; ut qui nostris excludimur meritis, per te locum obtineant ad aures tuæ pietatis. Dele peccata, relaxa facinora, erige lapsos, solve compeditos. Per te succidantur vepres, et germina vitiorum, prodeant flores, et ornamenta virtutum. Placa precibus tuis judicem, quem singulari puerperio genuisti Salvatorem, ut qui per te particeps factus est humanitatis nostræ, per te quoque nos consortes efficiat divinitatis suæ.

℟. *Hymnus.* Te Matrem Dei. *pag. 9.*

XLV.

Sermo Sancti Bernardi Abbatis.

In Nativitate B. V. Mariæ.

Lectio I.

QUIS justus, si non Maria justa, de qua Sol justitiæ ortus est nobis? Quomodo ergo illa inacessam attigit majestatem, nisi pulsando, petendo, quærendo? Denique et quod Maria quærebat, invenit, cui dictum est: Invenisti gratiam apud Deum. Quid? Plena est gratia, et gratiam adhuc invenit? Digna prorsus invenire quod quærit, cui propria non sufficit plenitudo, nec suo potest esse contenta bono: sed, quemadmodum scriptum est: Qui bibit me, adhuc sitiet; petit superfluentiam ad salutem universitatis. Spiritus Sanctus, ait, superveniet in te, et pretiosum illud balsamum tanta tibi copia, tantaque plenitudine influet, ut copiosissime effluat circumquaque.

℟. Benedicta filia tu a Domino, quia per te fru-

*

ctum vitæ communicavimus: * Sola sine exemplo placuisti Domino nostro Jesu Christo.

℣. Nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris, et a periculis cunctis libera nos, Sancta Dei Genitrix. Sola.

Lectio II.

QUID nos alia concupiscimus, fratres? Quæramus gratiam, et per Mariam quæramus: quia quod quærit, invenit, et frustrari non potest. Quæramus gratiam, sed gratiam apud Deum: nam apud homines gratia fallax. Quærant alii meritum, nos invenire gratiam studeamus. Quid enim? Num gratiæ est quod hic sumus? Profecto misericordiæ Domini est, quod non sumus consumpti nos. Maria non prætendit meritum, sed gratiam quærit. Denique usque adeo fidit gratiæ, et non altum sapit, ut salutationem angelicam vereatur. Maria, inquit, cogitabat qualis esset ista salutatio. Nimirum sese salutatione angelica reputabat indignam.

℟. Sancta, et immaculata virginitas, quibus te laudibus efferam nescio: * Quia quem Cæli capere non poterant, tuo gremio contulisti.

℣. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. Quia. Gloria Patri. Quia.

Lectio III.

ET forsitan talia meditabatur: unde hoc mihi, ut veniat Angelus Domini mei ad me? Ne timeas, Maria, ne mireris Angelum venientem: et major Angelo venit. Ne mireris Angelum Domini: et Dominus Angeli tecum. Postremo quidni videas Angelum, cum jam Angelice vivas? Quidni visitet Angelus vitæ sociam? Quidni salutet civem Sanctorum, et domesticam Dei? Angelica plane vita virginitas: et qui non nubent, neque nubentur, erunt sicut Angeli Dei. Quam in supernis hauriens, uberius nobis Maria refudit. In supernis plane, et ultra Angelos, quæ Verbum ex ipso Patris corde suscepit, ut scriptum est: Dies diei eructat Verbum. An

Digitized by Google

non etiam Virgo dies? Et præclare. Rutilans plane dies, quæ procedit sicut aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut Sol.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

XLVI.

Sermo Sancti Joannis Damasceni.

Orat. 1. de dormitione B. Mariæ.

Lectio I.

O VIRGO beata, et Mater unigeniti Filii Dei! Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. Ecce enim beatam te dicunt omnes generationes. Viderunt te filiæ Jerusalem, hoc est Ecclesiæ, et beatam prædicarunt reginæ, hoc est justorum animæ, teque in æternum laudabunt. Tu enim es solium illud regium, cui Angeli astiterunt, suum herum, et creatorem cernentes insidentem. Tu spiritualis es Edem, antiqua illa sanctior ac divinior. In illa siquidem terrenus Adam commorabatur, in te autem Dominus qui de cælo descendit. Te olim Arca figuravit in qua secundi mundi semen servatum fuit. Tu enim Christum mundi salutem peperisti, qui peccatum quidem submersit, ejusque fluctus sedavit.

℟. Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui: * Propterea benedixit te Deus in æternum.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis: intercede pro nobis ad Dominum Deum nostrum. Propterea.

Lectio II.

TE tabulæ a Deo exaratæ expresserunt, legis arca prænuntiavit, urna aurea, candelabrum, mensa, virga Aaron quæ floruit, aperte præsignarunt. Nam ex te flamma divinitatis, Patris terminus, et Verbum, suavissimum illud et cæleste manna, nomen illud nominis expers, quod est super omne nomen, lumen illud sempiternum et inaccessum, vitæ panis cælestis, nulla cultura editus fructus, ex te corporaliter pullulavit. Abraham tabernaculum te manifestissime significabat. Deo quippe Verbo, in utero tuo, velut in tabernaculo de-

Digitized by Google

genti, sui primitias, ex purissimo sanguine tuo obtulit, divino igne coctas, panemque factas, in divina ejus persona subsistentes, et ad veram corporis anima rationali, et intelligente instructi existentiam venientes.

℟. Sicut cedrus exaltata sum in libano, et sicut cypressus in monte Sion: quasi myrrha electa, *Dedi suavitatem odoris.

℣. Et sicut cinnamomum, et balsamum aromatizans. Dedi. Gloria Patri. Dedi.

Lectio III.

QUODNAM est dominicum illud vellus, in quod Regis omnium Dei Filius, qui Patri coæternus est, ejusque regni consors, pluviæ instar descendit? Nonne ipsa es, quæ nullo semine suscepto peperisti, ac rursus virgo permansisti? Tu flos campi, uti lilium in medio spinarum: propterea adolescentulæ dilexerunt te: in odorem unguentorum tuorum cucurrerunt. Introduxit te Rex in cubiculum suum, ubi te stipant Potestates, Principatus benedicunt, Throni concelebrant, Cherubim gaudentes obstupescunt, laudant Seraphim, ut quæ Domini natura, veraque dispensatione mater extiteris.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

XLVII.

Sermo Sancti Bernardi Abbatis.

In Sermone de 12. Stellis.

Lectio I.

MARIA est quondam a Deo promissa mulier, serpentis antiqui caput virtutis pede contritura; cujus plane calcaneo in multis versutiis insidiatus est, sed sine causa. Sola enim contrivit universam hæreticam pravitatem. Alius non de substantia carnis suæ Christum edidisse dogmatizabat. Alius parvulum non peperisse, sed reperisse sibilabat. Alius, vel post partum, viro cognitam blasphemabat. Alius Dei Matrem audire non sustinens, magnum illud nomen Theotocos impiissime sugillabat. Sed contriti sunt insidiatores, conculcati

Digitized by Google

supplantatores, confutati derogatores, et beatam eam dicunt omnes generationes.

℟. Quæ est ista, quæ processit sicut sol, et formosa tamquam Jerusalem? * Viderunt eam filiæ Sion, et beatam dixerunt, et Reginæ laudaverunt eam.

℣. Et sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum, et lilia convallium. Viderunt.

Lectio II.

AMPLECTAMUR Mariæ vestigia, fratres mei, et devotissima supplicatione beatis illius pedibus provolvamur. Teneamus eam, nec dimittamus donec benedixerit nobis; potens est enim. Nempe vellus est medium inter rorem et aream, mulier inter solem et lunam, Maria inter Christum et Ecclesiam constituta. Sed forte miraris non tam vellus opertum rore, quam amictam sole mulierem. Magna siquidem familiaritas, sed mira omnino vicinitas solis, et mulieris: magnum signum, mulier illæsa manens amicta sole. Non est rubi natura, opertum undique flammis, manere nihilo minus incombustum; non mulieris potentia ut substineat solis amictum.

℟. Ego diligentes me diligo: * Et qui mane vigilant ad me, invenient me.

℣. Mecum sunt divitiæ et gloria, opus superbæ et justitia. Et qui. Gloria Patri. Et qui.

Lectio III.

SPIRITUS Sanctus, inquit, superveniet in te. Et tamquam responderet illa. Quoniam spiritus est Deus, et Deus noster ignis consumens est: Virtus, ait, non mea, non tua, sed Altissimi obumbrabit tibi. Nihil itaque mirum, si sub tali obumbraculo talis etiam a muliere substineatur amictus. Mulier, inquit, amicta sole. Plane amicta lumine tamquam vestimento. Non percipit forte carnalis: nimirum spirituale est, stultitia illi videtur. Quam familiaris ei facta es, Domina! Quam proxima, imo quam intima fieri meruisti, quantam invenisti gratiam apud eum! In te manet, et tu

Digitized by Google

in eo: et vestis eum, et vestiris ab eo. Vestis eum substantia carnis, et vestit illè te gloria suæ majestatis. Vestis solem nube, sole ipsa vestiris.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

XLVIII.

Ex libro Sancti Epiphanii Episcopi.

Libr. 3, hær. 78.

Lectio I.

BEATA Mater Dei Maria per Evam significatur, quæ per ænigma accepit, ut mater viventium vocetur. Illa etenim mater viventium vocata est, etiam postquam audivit: Terra es, et in terram reverteris, post transgressionem. Et mirum est, quod post transgressionem hoc magnum cognomen habuit. Et quod quidem pertinet ad rem sensibilem, ab illa Eva omnis hominum generatio deducta est in terra: hic autem verè a Maria hæc vita mundo genita est, ut viventem gigneret, et fieret Maria mater viventium. Per ænigma igitur Maria mater viventium appellata est.

℟. Diffusa est gratia in labiis tuis: * Propterea benedixit te Deus in æternum.

℣. Mirrha, et gutta, et casia a vestimentis tuis a domibus eburneis, ex quibus te delectaverunt filiæ regum in honore tuo.

Propterea.

Lectio II.

EVÆ datum est operire corpus sensibile propter nuditatem sensibilem: Mariæ vero datum est a Deo, ut pareret nobis Agnum et ovem, et ex gloria ipsius Agni et ovis fieret nobis velut a vellere in sapientia per virtutem ipsius indumentum incorruptibilitatis. Eva etiam mortis causa facta est hominibus: per ipsam enim mors ingressa est in mundum: Maria vero causa vitæ, per quam genita est nobis vita, et per hanc Filius Dei advenit in mundum: et ubi abundavit peccatum, ibi superabundavit et gratia: et unde illata est mors, illinc processit et vita, ut vita pro morte fieret: et qui per mulierem nobis vita factus

Digitized by Google

est, mortem ex muliere inductam excluderet.

℟. Beata es, Virgo Maria, Dei Genitrix, quæ credidisti Domino: perfecta sunt in te, quæ dicta sunt tibi: * Intercede pro nobis ad Dominum Deum nostrum.

℣. Ave Maria gratia plena, Dominus tecum. Intercede. Gloria Patri. Intercede.

Lectio III.

Et quoniam illic Eva, cum adhuc esset Virgo, per inobedientiam transgressa est: e contrario per Virginem obedientia gratiæ facta est, annuntiato adventu in carne de cælo, et vita æterna. Et vide Scripturarum accuratam dicendi proprietatem, quod de Adam quidem dixit, formavit: de Eva vero, non formatam esse, sed ædificatam. Accepit enim, inquit, unam de costis ejus, et ædificavit ipsi in uxorem. Quo ostendat, Dominum quidem de Maria efformasse sibi ipsi corpus, ab ipsa vero costa ædificatam esse Ecclesiam, in eo quod punctum, et apertum est ipsius latus, et mysteria sanguinis et aquæ pretia redemptionis facta sunt.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

XLIX.

Sermo Sancti Bernardi Abbatis.

Ex homil. 3. de Laud. V. Matris.

Lectio I.

Deus, qui cum omnibus sanctis est, specialiter tamen cum Maria, cum qua utique tanta ei consensio fuit, ut illius non solum voluntatem, sed etiam carnem sibi conjungeret: ac de sua, virginisque substantia unum Christum efficeret, vel potius unus Christus fieret: qui etsi nec totus de Deo, nec totus de Virgine: totus tamen Dei, et totus Virginis esset: nec duo filii, sed unus utriusque filius. Ait itaque: Ave gratia plena, Dominus tecum. Nec tantum Dominus Filius tecum, quem carne tua induis: sed et Dominus Spiritus Sanctus, de quo concipis: et Dominus Pater, qui genuit quem concipis. Pater, inquam, tecum, qui Filium suum fecit et tuum. Filius tecum, qui ad con-

Digitized by Google

dendum in te mirabile sacramentum, miro modo et sibi reserat genitale secretum, et tibi servat virginale signaculum.

℟. Ego Mater pulchræ dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctæ spei, in me gratia omnis viæ et veritatis: * In me omnis spes vitæ et virtutis.

℣. Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, et a generationibus meis implemini. In me.

Lectio II.

SPIRITUS Sanctus tecum, qui cum Patre, et Filio tuum sanctificat uterum. Dominus ergo tecum. Benedicta tu in mulieribus. Libet adjungere, quod Elisabeth, cujus hæc verba sunt, prosecuta subjunxit: Et benedictus fructus ventris tui. Non quia tu benedicta, ideo benedictus fructus ventris tui: sed quia ille te prævenit in benedictionibus dulcedinis, ideo tu benedicta. Vere etenim benedictus fructus ventris tui, in quo benedictæ sunt omnes gentes; de cujus plenitudine tu quoque accepisti cum cæteris, etsi differentius a cæteris. Ac propterea quidem benedicta tu, sed in mulieribus; ille vero benedictus, non in hominibus, non inter Angelos, sed qui est, ut ait Apostolus, super omnia benedictus Deus in sæcula.

℟. Spiritus meus super mel dulcis, et hæreditas mea super mel et favum: qui audit me non confundetur: * Et qui operantur in me non peccabunt.

℣. Qui elucidant me, vitam æternam habebunt. Et qui. Gloria Patri. Et qui.

Lectio III.

BENEDICTUS ergo fructus ventris tui. Benedictus in odore, benedictus in sapore, benedictus in spécie. Hujus odoriferi fructus fragrantiam sentiebat, qui dicebat: Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. An non vere benedictus, cui benedixit Dominus? Benedictus ergo fructus ventris tui, cui benedixit Deus in æternum: ex cujus benedictione benedicta etiam tu in mulieri-

Digitized by Google

bus: quia non potest mala arbor fructum facere bonum. Benedicta, inquam, tu in mulieribus, quæ illam generalem maledictionem evasisti, qua dictum est: In tristitia paries filios: et nihilominus illam, qua secutum est: Maledicta sterilis in Israel: ac singularem consecuta es benedictionem, ut nec sterilis maneas, nec cum dolore parturias.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

L.

De expositione Sancti Augustini Episcopi super Magnificat.

Lectio I.

BEATA Virgo, quæ singulariter se electam videbat, quia singulariter gratiam acceperat, quasi privilegio quodam electionis divinæ confirmata, fiducialiter ipsum, quem pro salute mundi filium conceperat, suum etiam cum lætitia, et exultatione Salvatorem vocat. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ. Bene ergo Maria sola in humilitate Dominum respexisse testatur: quia divinitatis propitiationem, quam humana natura in primis parentibus per superbiam perdidit, in Maria per humilitatem recuperavit. Nam, quia in ea Verbum Patris carnis substantiam, quam sibi uniret, assumpsit, quasi ad eam, quam prius abjecerat, naturam sublimandam per misericordiam respexit.

℟. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem: * Neque flumina obruent eam.

℣. Si dederit homo omnem substantiam domûs suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam. Neque.

Lectio II.

RESPEXIT ergo humilitatem Mariæ Deus: cui propter humilitatis meritum dedit, ut filium suum in carne sua conciperet, et de sua carne verum Deum et hominem omnium hominum (quantum in ipso est) Salvatorem generaret. Eva per superbiam, creaturam Dei se esse, et opus Dei non considerans, Deo pa-

Digitized by Google

rificari voluit: Maria autem suo Factori humiliter se subdens, ancillam se nominavit. Et idcirco illa abjecta et ista electa est: superbam despexit, et humilem respexit: id quod superba perdidit, humilis recepit. Ideo ait: Respexit humilitatem ancillæ suæ. Respexit humilitatem, respexit humiliationem: humilitatem respexit, humilem remunerans: humiliationem respexit, humiliatam exaltans: quia et ejus humilitas apud Deum acceptabilis facta est, et ejus humiliatio apud homines in gloriam commutata.

℟. Beatus homo, qui audit me, et qui vigilat ad fores meas quotidie, et observat ad postes hostii mei: * Qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino.

℣. Qui autem in me peccaverit, lædet animam suam: omnes, qui me oderunt, diligunt mortem.

Qui.

Gloria Patri.

Qui.

Lectio III.

Magnum fuit, ut Virgo sine virili semine filium conciperet. Magnum fuit, ut Dei Patris Verbum carne sua indutum utero gestaret. Magnum fuit, ut dum se ancillam confessa esset, mater fieret sui plasmatoris, qui potens est. Quia credi potest ejus potentia, potentem confessa est: sed quanta aut qualis comprehendi non potest. Confessa est potentiam, discutere non præsumpsit, quia sciri non convenit quanta est, quia infinita est. Omne quod prævidit se facturum, fecit: nec aliquid, quod non prævidit fieri non dubium, sed fieri necesse fuit. Maria non ait, in se, aut in me, aut per me fecit magna, sed, inquit, mihi. Quod enim in ea ad omnium salutem factum est, hoc privilegio dilectionis ad ejus gloriam singulariter est ordinatum. Et ideo dixit, magna; quia mysterium incarnationis Verbi super omnia constat esse ineffabile.

Hymnus. Te Matrem Dei *pag. 9.*

Digitized by Google

LI.

Sermo Sancti Bernardi Abbatis.

In Sermone de 12. Stellis.

Lectio I.

NOVUM fecit Dominus super terram, ut mulier circumdaret virum, nec alium, quam Christum, de quo dicitur: Ecce vir, Oriens nomen ejus. Novum quoque fecit in cœlo, ut mulier sole appareret amicta. Denique et coronavit eum, et vicissim ab eo meruit coronari. Egredimini filiæ Sion, et videte regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua. Verum hoc alias. Interim sane ingredimini magis, et videte Reginam in diademate, quo coronavit eam Filius suus. In capite, inquit, ejus corona stellarum duodecim. Dignum plane stellis coronari caput, quod et ipsis longe clarius micans, ornet eas potius, quam ornetur ab eis.

℟. Sine tactu pudoris, inventa es Mater Salvatoris: * Qui cœlum, terramque regit, in tua se clausit viscera factus homo.

℣. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. Qui.

Lectio II.

QUIDNI coronent sidera, quam Sol vestit? Sicut dies verni, ait, circumdabant eam flores rosarum, et lilia convallium. Nimirum læva sponsi sub capite ejus, et jam dextera illius amplexatur eam. Quis illas æstimet gemmas? Quis stellas nominet, quibus Mariæ regium diadema compactum est? Supra hominem est coronæ hujus rationem exponere, indicare compositionem. Nos tamen pro modulo nostræ exiguitatis, abstinentes a periculoso scrutinio secretorum, non incongrue forsitan duodecim stellas istas, duodecim prærogativas gratiarum intelligere videamur, quibus Maria singulariter adornatur.

℟. Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu vero supergressa es universas: * Speciosa facta es, et suavis in deliciis tuis, sancta Dei Genitrix.

Digitized by Google

℣. Sentiant omnes tuum juvamen quicumque celebrant tuam sanctam commemorationem. Speciosa. Gloria Patri. Speciosa.

Lectio III.

Siquidem invenire est in Maria prærogativas cæli, prærogativas cârnis, prærogativas cordis: et si fuerit ternarius iste per quaternarium multiplicatus, habemus forte stellas duodecim, quibus Reginæ nostræ diadema præfulgeat universis. Mihi sane singularis rutilat fulgor, primo quidem in Mariæ generatione, secundo in angelica salutatione, tertio in Spiritus superventione, quarto in Filii Dei inenarrabili conceptione. Sic et in his quoque sidereum plane irradiat decus, quod virginitatis primiceria, quod sine corruptione fœcunda, quod sine gravamine gravida, quod sine dolore puerpera. Nihilo minus etiam speciali quodam splendore in Maria coruscant mansuetudo pudoris, devotio humilitatis, magnanimitas credulitatis, martyrium cordis.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

LII.

Sermo Sancti Ephræm Syri.

Oratio ad SS. Dei Matrem.

Lectio I.

Virgo Domina, immaculata Deipara, Domina mea gloriosissima, beneficentissima mea, cælis sublimior, multo purior solaribus splendoribus, honorabilis magis, quam Cherubim, et sine ulla comparatione magis, quam cælestes exercitus multo gloriosior. Apostolorum exultatio, prædicatio Martyrum, Sanctorum gaudium, ascetarum lux, Altare aureum, lampas illuminans, vas ferens cæli manna, Arca vera, lex divinissima, rubus incombustus, locus amplissimus, Virga illius Aaronis germinans, virga vere apparuisti, et filos filius tuus verus Deus noster, Deus et factor meus.

℟. Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, et a generationibus meis

implemini: * Spiritus enim meus super mel dulcis, et hæreditas mea super mel et favum.

℣. Qui audit me, non confundetur, et qui elucidant me, vitam æternam habebunt. Spiritus.

Lectio II.

Tu secundum carnem Deum genuisti, et Verbum, ante partum virginitate servans, Virgo post partum, et reconciliati fuimus cum Christo Deo, et filio tuo. Tu auxilium peccatorum, et jactatis fluctu sine ulla ope, tu es portus, mundi consolatio, orphanorum protectio, et pretium redemptionis captivorum. Tu monachorum firmamentum, et sæcularium spes: Tu viduarum patientia, protectio et tegumentum, et virginum exultatio et corona, et oblectatio, puella augusta, hera, et Regina. Tu abstulisti omnes lacrymas a facie terræ; tu creaturam replesti omni genere beneficii, cælestibus lætitiam attulisti, terrestria salvasti, figmentum mutasti, artificem placasti.

℟. Meum est consilium et æquitas, mea est prudentia, mea est fortitudo: * Per me reges regnant, per me principes imperant, et potentes decernunt justitiam.

℣. Ego diligentes me diligo, et qui mane vigilant ad me, invenient me. Per me. Gloria Patri. Per me.

Lectio III.

Tu Angelos demisisti; homines exaltasti, superiora atque inferiora per te ipsam conciliasti, optima præparasti, mutans omnia in melius. Per te resurrectionis nostræ tesseram certissimam tenemus; per te cæleste regnum nos consecuturos esse speramus: te nostræ salutis auxiliatricem habemus, te Christianorum cætus firmissimum murum possidet; tu paradisi claustra aperuisti; tu adscensum ad cælos præparasti; tu filio tuo et Deo adoptasti; per te omais gloria, honor et sanctitas ab ipso primo Adam, et usque ad consummationem sæculi, Apostolis, Prophetis, justis et humilibus cor-

Digitized by Google

de, sola immaculatissima, derivata est, derivatur ac derivabitur, atque in te gaudet, gratia plena, omnis creatura.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

LIII.

Sermo Sancti Bernardi Abbatis

Ex homil. 3. de laud. V. Matris.

Lectio I.

GRATIA plena erat Maria, cum qua Dominus erat. Sed hoc potius mirandum, quomodo, qui Angelum miserat ad Virginem, ab Angelo inventus est esse cum Virgine. Ita ne velocior Angelo fuit Deus, ut festinantem nuntium celerior ipse præveniret ad terras? Nec mirum. Nam cum esset Rex in accubitu suo, nardus Virginis dedit odorem suum, et ascendit in conspectu gloriæ ejus fumus aromatis, et invenit gratiam coram oculis Domini, clamantibus, qui circumstabant: Quæ est ista quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ, et thuris? Statimque Rex egrediens de loco sancto suo, exultavit ut gigas ad currendam viam: et licet a summo cælo egressio ejus, nimio tamen pervolans desiderio, prævenit sunm nuntium ad Virginem, quam amaverat, quam sibi elegerat, cujus decorem concupierat.

℟. Benedicta, et venerabilis es, Virgo Maria: * Quia sine tactu pudoris inventa es Mater Salvatoris.

℣. Virgo Dei genitrix, quem totus non capit orbis, in tua se clausit viscera factus homo. Quia.

Lectio II.

MERITO autem concupivit Rex decorem Virginis. Fecerat enim quidquid longe antea prænonita fuerat a patre suo David, dicente sibi. Audi filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum, et domum patris tui. Et si hoc feceris, concupiscet Rex decorem tuum. Bene igitur gratia plena, quæ et virginitatis gratiam tenuit, et insuper fæcunditatis gloriam acquisivit. O Virgo prudens, o Virgo devota, quis te docuit Deo pla-

Digitized by Google

cere Virginitatem? Quæ lex, quæ justitia, quæ pagina veteris testamenti, vel præcipit, vel consulit, vel hortatur in carne non carnaliter vivere, et in terris angelicam ducere vitam? De virginibus, inquit Apostolus, præceptum non habeo, consilium autem do. Tu vero non dicam præceptum, sic nec consilium, nec exemplum, nisi quod unctio docebat te de omnibus.

℟. Per te, Dei Genitrix, nobis est vita perdita data: * Quæ de cælo suscepisti prolem, et mundo genuisti Salvatorem.

℣. Recordare, Virgo Maria, in conspectu Dei, ut loquaris pro nobis bona, et ut avertat indignationem suam a nobis. Quæ. Gloria Patri. Quæ.

Lectio III.

Osi scires, Virgo Beata, quantum tua humilitas Altissimo placeat, quanta te apud ipsum sublimitas maneat! Angelico te indignam, nec alloquio judicares, nec obsequio. Ut quid enim indebitam tibi dixeris gratiam Angelorum, quæ invenisti gratiam apud Deum? Invenisti quod quærebas, invenisti quod nemo ante te potuit invenire, invenisti gratiam apud Deum. Quam gratiam? Dei et hominum pacem, mortis destructionem, vitæ reparationem. Hæc est ergo gratia, quam invenisti apud Deum. Et hoc tibi signum: Ecce concipies et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum. Intellige, prudens Virgo, ex nomine Filii promissi quantam, et quam specialem gratiam inveneris apud Deum.

Hymnus. Te Matrem Dei *pag.* 9.

LIV.

Ex libro Sancti Ambrosii Episcopi.

Lib. 1. Epist., epist. 7. ad Syriacum.

Lectio I.

Jure laudatur bona uxor, sed melius pia Virgo præfertur, dicente Apostolo: qui jungit virginem suam bene facit: et qui non jungit, melius facit. Hæc enim cogitat, quæ Dei sunt, illa quæ mundi sunt; illa conjugalibus vinculis

Digitized by Google

colligata est, hæc libera vinculorum; illa sub lege, ista sub gratia. Per mulierem cura successit, per Virginem salus evenit. Denique speciale sibi donum virginitatis Christus elegit, et integritatis munus exhibuit, atque in se repræsentavit quod elegit in matre. Hæc est Virgo, quæ in utero concepit, Virgo quæ peperit filium. Sic enim scriptum est. Ecce Virgo in utero accipiet, et pariet filium. Non enim concepturam tantummodo Virginem, sed et parituram Virginem dixit.

℟. Ornatam monilibus filiam Jerusalem Dominus concupivit, et videntes eam filiæ Sion, beatissimam prædicaverunt, dicentes: * Unguentum effusum nomen tuum.

℣. Astitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate. Unguentum.

Lectio II.

Quæ autem est illa porta Sanctuarii, porta illa exterior ad Orientem, quæ manet clausa, et nemo, inquit, pertransibit per eam, nisi solus Deus Israel? Nonne hæc porta Maria est, per quam in hunc mundum Redemptor intravit? Hæc porta justitiæ, sicut ipse dixit: Sine nos implere omnem justitiam. Hæc porta est beata Maria, de qua scriptum est: Quia Dominus pertransibit per eam, et erit clausa post partum, quia Virgo concepit, et genuit. Quid autem incredibile si contra usum originis naturalis peperit Maria, et virgo permanet, quando contra usum naturæ mare vidit et fugit, atque in fontem suum Jordanis fluenta remearunt?

℟. Congratulamini mihi omnes, qui diligitis Dominum, quia cum essem parvula placui Altissimo: * Et de meis visceribus genui Deum et hominem.

℣. Beatam me dicent omnes generationes, quia ancillam humilem respexit Deus. Et. Gloria Patri. Et.

Lectio III.

Non ergo excedit fidem, quod Virgo peperit quando legimus, quod petra vomuit aquas, et in

muri speciem maris unda solidata est. Non ergo excedit fidem, quod homo exivit de Virgine, quando petra fontem profluum scaturivit, ferrum super aquas natavit, ambulavit homo super aquas. Ergo si hominem unda portavit, non potuit hominem Virgo generare? At quem hominem? de quo legimus: Et mittet illis Dominus hominem, qui salvos faciet eos, et notus erit Dominus Ægyptiis. In veteri itaque testamento Virgo Hebræorum per mare duxit exercitum: in novo testamento virgo regis, aula cælestis electa est ad salutem.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

LV.

Sermo Sancti Bernardi Abbatis.

De Sermone super Ave Maria.

Lectio I.

De Genitrice Dei cum talia et tanta referantur, pauca rei pretio nobis tamen esse videntur. Hæc est enim scala, rubus, arca, sidus, virga, vellus, thalamus, porta, hortus, aurora. Hæc est enim scala Jacob, qui quando caput in lapide posuit, Angelos ascendentes, et descendentes videre meruit. Scala ista duodecim gradus habet inter duo latera. Dexterum latus est contemptus sui usque ad amorem Dei: sinistrum, contemptus mundi usque ad amorem regni. Rubus autem, qui visus est ardere sine sui incendio, Virginem significavit concepturam de Spiritu Sancto absque virginitatis suæ detrimento. Rubus ad quem non est Moyses ausus calceatus accedere, Virginem docuit sine maritali opere mirabiliter parere.

℟. Regina mundi dignissima Maria, Virgo perpetua:* Intercede pro nostra pace, et salute.

℣. Quæ genuisti Christum Dominum, Salvatorem omnium. Intercede.

Lectio II.

Arca vero testamenti de lignis Sethim facta est; et Maria de spinoso et hispido Judæorum populo et arido procreata est, qui utique spinosus de-

*

tractione, hispidus superstitione, aridus fuit unctione divinæ gratiæ. Unde spinosus spineam coronam Regi suo exhibuit, et eum sicut ignis in spinis exarsit. Sethim enim interpretatur spinæ. Aliter Eva spina, rosa Maria. Revera Eva spina fuit, quæ et virum suum ad mortem pupugit et posteritati suæ peccati aculeum infixit. Deus vero de fœmina, sed virgine, descendente de spinoso Patrum origine, dignatus est carnem assumere, ut similem simili redderet, contrarium contrario curaret, pestiferam spinam evelleret, peccati chirographum potentissime deleret.

℟. Beata es, Virgo Maria, quæ Dominum portasti creatorem mundi: * Genuisti qui te fecit, et in æternum permanes Virgo.

℣. Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum. Genuisti. Gloria Patri. Genuisti.

Lectio III.

EVA ergo spina fuit, Maria rosa extitit. Eva spina vulnerando; Maria rosa, omnium affectus mulcendo. Eva spina infigens omnibus mortem, Maria rosa reddens salutiferam omnibus sortem. Maria autem rosa fuit candida per virginitatem, rubicunda per charitatem: candida carne, rubicunda mente: candida virtutem sectando, rubicunda vitia calcando: candida affectum purificando, rubicunda actum carnalem mortificando; candida Deum diligendo, rubicunda proximo compatiendo: quia licet Maria de Patrum natura per peccatum vitiata duceret originem, præelecta tamen per Spiritum Sanctum et præservata ad purum, Deum nobis obtulit et hominem. . . .

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

LVI.

Sermo Sancti Germani Episcopi.

Homil. in Præsentatione Deiparæ.

Lectio I.

AVE Maria, gratia plena, Sanctis Sanctior, et cœlis excelsior, et Cherubim gloriosior, et Seraphim honorabilior, et super omnem creaturam

Digitized by Google

venerabilior. Ave, columba, quæ nobis et fructum fers olivæ, et Servatorem a spiritali diluvio, ac portum salutis annuntias, cujus pennæ deargentatæ, et posteriora dorsi in pallore auri sanctissimi, et illuminantis Spiritus fulgore irradiantur. Ave, amœnissimus et rationalis Dei paradisus, benevolentissima et omnipotenti ejusdem dextera ad orientem plantatus, et ipsi suave olens lilium, et rosam immarcescibilem germinans in eorum medelam, qui pestiferam animæque exitialem amaritudinem mortis ad occidentem ebiberunt.

℟. Beatam me dicent omnes generationes: * Quia fecit mihi magna, qui potens est, et sanctum nomen ejus.

℣. Et misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum. Quia.

Lectio II.

Ave paradisus, in quo ad veritatis agnitionem lignum vivificum efflorescit, e quo qui gustaverint, immortalitatem consequuntur. Ave, sacrosancte ædificatum, immaculatum, purissimumque Dei summi Regis palatium, ejusdem Dei Regis magnificentia circum ornatum, omnesque hospitio recipiens, ac mysticis reficiens deliciis; in quo non manufactus et vario decore nitens situs est spiritualis sponsi thalamus; in quo Verbum errantem humanam stirpem revocare volens, carnem sibi desponsavit, ut eos, qui voluntate propria extorres facti fuerant, Patri reconciliaret. Ave Dei mons præpinguis et umbrosus, in quo enutritus agnus rationalis peccata atque infirmitates nostras portavit.

℟. Felix namque es, sacra Virgo Maria, et omni laude dignissima:* Quia ex te ortus est Sol justitiæ; * Christus Deus noster.

℣. Ora pro populo, interveni pro Clero, intercede pro devoto fæmineo sexu: sentiant omnes tuum juvamen quicumque celebrant tuam sanctam commemorationem. Quia. Gloria Patri. Christus.

Digitized by Google

Lectio III.

AVE sanctus Dei thronus, divinum donarium, domus gloriæ, perpulchrum ornamentum, cimelium electum, et totius orbis propitiatorium, cælumque Dei gloriam enarrans. Ave urna ex puro auro conflata, et suavissimam animarum nostrarum dulcedinem, Christum scilicet, qui manna est, continens. O purissima et omni laude et obsequio dignissima Virgo Deo dicatum donarium omni creaturarum conditioni præcellens, terra non secta, inaratus ager, vitis floridissima, fons aquas effundens, virgo generans; et mater viri nescia, innocentiæ thesaurus absconditus, et sanctimoniæ decus; acceptissimis tuis ac materna auctoritate validis precibus ad Dominum ac Deum omnium conditorem Filium tuum ex te sine Patre genitum, ecclesiastici ordinis gubernacula fac dirigas, et ad portum tranquillum perducas.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

LVII.

Sermo Sancti Bernardi Abbatis.

In Sermone de 12. Stellis.

Lectio I.

MAGNUM est Virginem esse; sed virginem matrem esse, longe amplius per omnem modum. Jure etiam illud molestissimum tædium, quo reliquæ omnes mulieres gravidæ laborare noscuntur, sola non sensit, quæ sola sine libidinosa voluptate concepit. Unde et in ipso suæ conceptionis initio, quando potissimum cæteræ mulieres miserabilius affliguntur, Maria tota alacritate montana conscendit, ut Elisabeth ministraret. Sed et ascendit Bethelem imminente jam partu, portans pretiosissimum illud depositum, portans onus leve, portans a quo portabatur. Sic et in partu quam lucidum est quod nova exultatione novam edidit prolem, sola inter mulieres a communi maledicto et dolore parturientium aliena.

℟. Beatissima Virgo Maria, Regina Angelo-

Digitized by Google

rum, Domina mundi, per quam Deus descendit ad terras: * Ut homines ascendere mereantur ad cælos.

℣. Ad te clamamus exules filii Evæ: recordare nostri, Sanctissima Virgo. Ut homines.

Lectio II.

Si rerum pretia de raritate pensamus, nihil his potest rarius inveniri. Siquidem in omnibus istis nec primam similem visa est, nec habere sequentem. E quibus nos, si ea fideliter intuemur, sine dubio admirationem concipimus, sed venerationem, sed devotionem, sed consolationem. Cæterum quæ restant adhuc, et imitationem requirunt. Non est nobis ante ortum tam multifarie multisque modis promitti divinitus, cælitus prænuntiari: sed nec ab Archangelo Gabriele tam novæ salutationis obsequiis honorari. Minus autem cætera duo communicat nobis: plane secretum suum sibi. Sola enim est, de qua dicitur: Quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est. Sola cui dicitur: Quod ex te nascetur Sanctum, vocabitur filius Dei.

℟. Beata Dei Genitrix Maria, templum Domini, Sacrarium Spiritus Sancti: * Sola sine exemplo placuisti Domino nostro Jesu Christo.

℣. Genuisti, qui te fecit, et in æternum permanes Virgo. Sola. Gloria Patri. Sola.

Lectio III.

Afferantur Regi Virgines, sed post eam: nam primatum sola vindicat sibi. Multo magis autem sola sine corruptione concepit, sine gravamine tulit, sine dolore filium parturivit. Itaque nihil horum a nobis exigitur; sed exigitur plane nonnihil. Numquid enim, si defuerit nobis etiam mansuetudo pudoris, si humilitas cordis, si magnanimitas fidei, si compassio mentis, negligentiam nostram munerum singularitas excusabit? Gratissima sane gemma in diademate, micans in capite stella robur in facie hominis verecundi. An vero quis putat, quod hac carue-

Digitized by Google

rit gratia, quæ gratia plena fuit? Pudibunda fuit Maria. Ubi enim aliquando loquax, ubi præsumptuosa fuisse videtur? Foris stabat quærens loqui Filio suo, nec materna auctoritate, aut sermonem interrupit, aut habitationem irrupit, in qua Filius loquebatur.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

LVIII.

Sermo Sancti Laurentii Justiniani.

In Nativitate gloriosissimæ V. Mariæ.

Lectio I.

Quis Deum non honoret in Virgine, qui Virginem Dei voluit fieri Genitricem, reparatricem sæculi, lucem mundi, speculum sanctitatis, fidei magisterium, peregrinationis solatium, immaculatum templum, et fœderis aream divinis manibus fabricatam? An non Maria testamenti arca verissima, quæ auro vestita mundissimo, virtutum gemmis ornata, ac imputribilibus lignis spiritualiter facta, testamenti tabulas, frondentem virgam, et suavissimum in se manna continuit? Hæc omnia in Christo, imo hæc omnia Christus, qui virginalis pudicitiæ habitavit in utero. Ipse nempe verus Deus fuit et homo, veramque carnem traxit ex Virgine. Hoc namque suavissimum est manna de cælo missum ad spiritualem refectionem, vitamque justorum.

℟. Benedicta filia tu a Domino, quia per te fructum vitæ communicavimus: * Sola sine exemplo placuisti Domino nostro Jesu Christo.

℣. Nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris, et a periculis cunctis libera nos, Sancta Dei Genitrix. Sola.

Lectio II.

Decebat prorsus, ut immaculata esset mente, et corpore sancta, plena gratia, meritis locuples, virtutum universarum varietate decorata, quæ de cælo suscepit Verbum fide, concepit filium; conversatione illustravit mundum, manna pavit turbam fidelium, obumbrante Spiritu, circumdedit virum, ex se nobis

Digitized by Google

protulit hominem Deum cum honore virginitatis, cum integritate carnis, et fœcunditate prolis. Nempe quem Maria genuit, Deus verus et homo erat, Patri æqualis secundum divinitatem, conceptus de Matre secundum humanitatem, carnem veram de eadem suscipiens, rationalemque animam habens, ut homo, factus nobis a Deo sapientia et justitia, sanctificatio et redemptio.

℟. Sancta et immaculata virginitas, quibus te laudibus efferam nescio: * Quia quem cæli capere non poterant, tuo gremio contulisti.

℣. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. Quia. Gloria Patri. Quia.

Lectio III.

TOTA pulchra, absque delicto, sine mentis et corporis deformitate, Deo et hominibus amabilis habebatur. Sanctitatis etenim perlucidum erat speculum, pudicitiæ ornamentum, virginitatis gloria, humilitatis forma, honestatis rivulus, exemplar continentiæ, sapientiæ thronus, magistra virtutum, decus hominum, lætitia Angelorum, mundi interventrix, et æterni Patris filia prædilecta. Nullus plane mortalium, quamvis donorum cœlestium numerositate sit præditus, huic valet Virgini coæquari. Patriarcharum utique, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum omniumque Sanctorum merita Maria beata transcendit. Hanc universa supernorum civium multitudo veneratur, colit, et laudat.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

LIX.

Sermo Sancti Bernardi Abbatis.

In Sermone 4. de Assumpt. V. Mariæ.

Lectio I.

NON est equidem, quod me magis delectet, sed nec est quod terreat magis quam de gloria Virginis Matris habere sermonem. Ecce enim, si in ea laudavero virginitatem, mihi multæ virgines post eam videntur afferri. Si humilitatem prædicavero, inveniantur forte vel pauci, qui (docente filio ejus) mites,

Digitized by Google

facti sunt et humiles corde. Si magnificare voluero misericordiæ ejus multitudinem, sunt aliqui misericordiæ viri etiam et mulieres. Unum est, in quo nec primam similem visa est, nec habere sequentem, gaudia matris habens cum virginitatis honore. Mariæ privilegium est, non dabitur alteri.

℟. Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui: * Propterea benedixit te Deus in æternum.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis: intercede pro nobis ad Dominum Deum nostrum. Propterea.

Lectio II.

Quid, si et illud adjicias, cujus mater? Quæ jam poterit lingua, etiamsi angelica sit, dignis extollere laudibus Virginem Matrem? Matrem autem non cujuscumque, sed Dei? Duplex novitas, duplex prærogativa, duplex miraculum, sed digne prorsus aptissimeque conveniens. Neque enim filius alius virginem, nec Deum decuit partus alter. Veruntamen non hoc tantum, si diligenter attendas, sed cæteras quoque virtutes singulares prorsus invenies in Maria, quæ videbantur esse communes. Quæ enim vel angelica puritas virginitati illi audeat comparari, quæ digna fuit Spiritus Sancti sacrarium fieri, et habitaculum Filii Dei? Si rerum pretia de raritate pensamus, quæ prima in terris angelicam proposuit ducere vitam, super omnes est.

℟. Sicut cedrus exaltata sum in Libano, et sicut cypressus in monte Sion, quasi myrrha electa, * Dedi suavitatem odoris.

℣. Et sicut cinnamomum et balsamum aromatizans. Dedi. Gloria Patri. Dedi.

Lectio III.

Hæc est enim, quæ totius mundi reparationem obtinuit, salutem omnium impetravit. Constat enim pro universo genere humano fuisse sollicitam, cui dictum est: Ne timeas, Maria, invenisti gratiam, utique quam quærebas. Quis ergo misericordiæ tuæ, o

Digitized by Google

benedicta, longitudinem et latitudinem, sublimitatem et profundum queat investigare? Nam longitudo ejus usque in diem novissimum invocantibus eam subvenit universis. Latitudo ejus replet orbem terrarum, ut tua quoque misericordia plena sit omnis terra. Sic et sublimitas ejus civitatis supernæ invenit restaurationem, et profundum ejus sedentibus in tenebris et in umbra mortis obtinuit redemptionem. Per te enim cælum repletum, infernus evacuatus est, instauratæ ruinæ cælestis Jerusalem, expectantibus miseris vita perdita data.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

LX.

Sermo Sancti Andreæ Cretensis Archiepiscopi.

Orat. 4. in Sanctam Nativitatem Dominæ nostræ Dei Genitricis.

Lectio I.

GAUDE, aveque gratiosa. Gaude illustri splendore magnifica, per quam pulsis tenebris, lumen vicissim inductum est. Gaude gratiosa, per quam cessavit lex, et gratia illuxit. Gaude initium gaudii, ac maledictionis finis. Gaude vere gratiosa: Dominus tecum: Qui ex te postea, antea tecum: illud virtute, hoc actu: nunc quidem, tuum sibi uterum in hospitium aptans: tunc autem, carnali ex te ratione magnum Incarnationis mysterium adornans. Gaude, quæ sola benedictionem, nempe Dominum, sinu complexa es, ut primam proavia maledictionem exueret. Gaude divinum virginitatis complexa thesaurum, unde incorruptus prodiit partus, manseruntque nihilominus inviolatæ virginitatis divitiæ.

℟. Quæ est ista, quæ processit sicut Sol, et formosa tamquam Jerusalem? * Viderunt eam filiæ Sion, et beatam dixerunt, et Reginæ laudaverunt eam.

℣. Et sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum, et lilia convallium. Viderunt.

Lectio II.

GAUDE casta mater ac Virgo lactans. Gaude diadema pulchritudinis, generisque ac hominum

Digitized by Google

Regina, regalibus undique magnifice decorata prærogativis. Gaude sacrum Christi delubrum, qui solus singulariter in sanctis cælorum secundum ordinem Melchisedech sacerdotio defunctus sit. Gaude virga Aaron; radix Jesse: sceptrum David: regale indumentum: corona gratiarum; non scriptus virginitatis typus: sanctitatis bractea: rationale manifestationum. Salve legis, ac gratiæ mediatrix: veteris novique testamenti obsignatio: totius prophetiæ perspicua plenitudo; inspiratæ a Deo veritatis scripturarum acrostichis: Dei ac Verbi animatus, ac mundissimus tomus, in quo sine voce, ac scripto, inscriptor ipse Deus, ac Verbum quotidie legitur.

℟. Ego diligentes me diligo:* Et qui mane vigilant ad me, invenient me.

℣. Mecum sunt divitiæ et gloria, opus superbæ et justitia. Et qui. Gloria Patri. Et qui.

Lectio III.

SALVE sis reformationis nostræ primitiæ, Deique ad nos promissionum, ac prædictionum limes; prædictum olim divinæ gloriæ sanctuarium: expectata Gentium salus. Salve vera scala Jacob: mons fumigans: arca sanctificationis: illa, inquam, undique circumtecta auro, nimirum illustrante Spiritu Sancto: urna ex auro ducta; Christum, cæleste illud manna portans, orbisque universi immortalem escam. Salve, per quam illud, in tristitia paries filios, non habens amplius locum, in partum in exultatione mutatum est. Benedicta tu in mulieribus; per quam credentes gentes in agnitione clamant: Benedictus qui venit in nomine Domini: Deus Dominus, et illuxit nobis.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

LXI.

Sermo Sancti Bernardi Abbatis.

Sermo 52. de Diversis.

Lectio I.

SAPIENTIA, quæ Dei erat, et Deus erat, de sinu Patris ad nos veniens, ædificavit sibi domum,

Digitized by Google

ipsam scilicet Matrem suam Virginem Mariam, in qua septem columnas excidit. Quid est in ea septem columnas excidere, nisi ipsam dignum sibi habitaculum fide et operibus præparare? Nimirum ternarius numerus ad fidem propter sanctam Trinitatem; quaternarius pertinet ad mores propter quatuor principales virtutes. Quod autem in beata Maria sancta Trinitas fuerit, fuerit dico per præsentiam majestatis, ubi solus Filius erat per susceptionem humanitatis, testatur Nuntius cælestis, qui ei arcana mysteria reserans ait: Ave gratia plena, Dominus tecum: et post pauca: Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ecce habes Dominum, habes virtutem Altissimi, habes Spiritum Sanctum: habes Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum.

℟. Diffusa est gratia in labiis tuis: * Propterea benedixit te Deus in æternum.

℣. Myrrha, et gutta, et casia a vestimentis tuis, a domibus eburneis, ex quibus te delectaverunt filiæ regum in honore tuo. Propterea.

Lectio. II.

UTRUM autem et quatuor principales virtutes tamquam quatuor columnas possederit, inquisitione dignum videtur. Primum ergo videamus, an fortitudinem habuerit. Quæ nimirum virtus quomodo illi abesse potuit, quæ abjectis sæcularibus pompis, spretisque voluptatibus carnis, soli Deo in virginitate vivere proposuit? Ni fallor, hæc Virgo est, quæ apud Salomonem legitur: Mulierem fortem quis inveniet? Procul et de ultimis finibus pretium ejus. Quæ adeo fortis fuit, ut illius serpentis caput contereret, cui a Domino dictum est: Inimicitias ponam inter te et mulierem et inter semen tuum et semen illius: ipsa conteret caput tuum.

℟. Beata es, Virgo Maria Dei Genitrix, quæ credidisti Domino: perfecta sunt in te, quæ dicta sunt tibi: * Intercede pro nobis

ad Dominum Deum nostrum.

℣. Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum. Intercede. Gloria Patri. Intercede.

Lectio III.

PORRO quod temperans, prudens et justa fuerit, ex Angeli collocutione, et sua ipsius responsione luce clarius comprobamus. Salutata quippe tam venerabiliter ab Angelo: Ave gratia plena, Dominus tecum, non se extulit, quasi quæ ex singulari gratiæ privilegio benediceretur, sed siluit; et qualis esset insolita hæc salutatio, secum cogitavit. Qua in re quid, nisi temperans fuit? Ut vero de cælestibus mysteriis ab eodem Angelo doceretur, diligenter quæsivit quomodo conciperet ac pareret, quæ virum utique non cognosceret, et in hoc sine dubio prudens extitit. Justitiæ autem præfert insigne, ubi se ancillam Domini confitetur. Nam quod justorum sit confessio, testatur qui ait: Verumtamen justi confitebuntur nomini tuo, et habitabunt recti cum vultu tuo. Fuit igitur beata Virgo Maria fortis in proposito, temperans in silentio, prudens in interrogatione, justa in confessione.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

LXII.

De Expositione Sancti Gregorii Papæ.

In Lib. 1. Regum. Cap. 1.

Lectio I.

BEATISSIMA semper Virgo, Dei Genitrix Maria mons quippe fuit, quæ omnem electæ creaturæ altitudinem electionis suæ dignitate trascendit. An non mons sublimis Maria, quæ ut ad conceptionem æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem supra omnes Angelorum choros usque ad solium Deitatis evexit? Hujus enim montis præcellentissimam dignitatem Isaias vaticinans, ait; Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium. Mons quippe in vertice montium fuit, quia altitudo Mariæ supra omnes Sanctos refulsit. Nam sicut mons alti-

Digitized by Google

tudinem, ita domus designat habitationem.

℟. Ego Mater pulchræ dilectionis, et timoris, et agnitionis et sanctæ spei: in me gratia omnis viæ et veritatis: * In me omnis spes vitæ et virtutis.

℣. Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, et a generationibus meis implemini. In me.

Lectio II.

Mons quippe et domus apte dicitur, quæ dum incomparabilibus est illustrata meritis, Dei Unigenito, in quo recumberet, sacrum præparavit uterum. Nam mons in vertice montium Maria non fieret, si supra Angelorum altitudinem, hanc divina fœcunditas non levaret. Et domus Domini non fieret, si in ejus ventre, per assumptam humanitatem, Verbi divinitas non jaceret. Sed recte mons Ephraim, id est, frugifer dicitur, de qua optimus fructus, id est, novus homo generatur. Quam certe in fœcunditatis suæ gloria pulchram, ornatamque Propheta respiciens, ait: Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet.

℟. Spiritus meus super mel dulcis, et hæreditas mea super mel et favum: qui audit me non confundetur: * Et qui operantur in me non peccabunt.

℣. Qui elucidant me, vitam æternam habebunt. Et qui. Gloria Patri. Et qui.

Lectio III.

De hujus namque montis fructu David Deo exultans ait: Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes, terra dedit fructum suum. Terra quippe fructum suum dedit, quia quem Virgo peperit, non concepit maritali opere, sed Sancti Spiritus obumbratione. Hinc eidem Regi, et Prophetæ a Domino dicitur: De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Hinc Isaias ait: Erit fructus terræ sublimis. Nam quem Virgo genuit, non solum homo sanctus fuit, sed etiam potens Deus. De hoc fructu ad eamdem beatam Virginem, Elisabeth salutante dicitur:

Digitized by Google

Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

LXIII.

Sermo Sancti Bernardi Abbatis.

In Sermone de 12. Stellis.

Lectio I.

VIRGO beata est, quæ velut alterum solem induit sibi. Quemadmodum enim ille super bonos et malos indifferenter oritur, sic ipsa quoque præterita non discutit merita: sed omnibus sese exorabilem, omnibus clementissimam præbet, omnium denique necessitates amplissimo quodam miseratur affectu. Nam et defectus omnis sub ea: et quidquid fragilitatis, seu corruptionis est, excellentissima quadam sublimitate præ cæteris omnibus excedit, et supergreditur creaturis, ut merito sub pedibus ejus luna esse dicatur. Alioquin nihil magnum dixisse videbimur, ut sit luna sub pedibus ejus, quam super omnes Angelorum choros, super Cherubim quoque et Seraphim exaltatam nefas est dubitare.

℟. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem: * Neque flumina obruent eam.

℣. Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam. Neque flumina.

Lectio II.

IN Sole nimirum et fervor et splendor stabilis: in luna solus splendor, atque is omnino mutabilis et incertus, qui numquam in eodem statu permanet. Jure ergo Maria sole perhibetur amicta, quæ profundissimam divinæ sapientiæ, ultra quam credi valeat, penetravit abyssum; ut, quantum sine personali unione creaturæ conditio patitur, luci illi inaccessibili videatur immersa. Illo nimirum igne Prophetæ labia purgantur, illo igne Seraphim accenduntur. Longe vero aliter Maria meruit, non velut summatim tangi, sed operiri magis undique, et circumfundi, et tamquam ipso igne concludi.

Digitized by Google

℟. Beatus homo qui audit me, et qui vigilat ad fores meas quotidie, et observat ad postes ostii mei: * Qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino.

℣. Qui autem in me peccaverit lædet animam suam: omnes qui me oderunt, diligunt mortem. Qui. Gloria Patri. Qui.

Lectio III.

Candidissimus sane, sed et calidissimus hujus mulieris amictus: cujus omnia tam excellenter irradiata noscuntur, ut nihil in ea, non dico tenebrosum, sed ne subobscurum saltem, vel minus lucidum, sed ne tepidum quidem aliquid, aut non ferventissimum, liceat suspicari. Insipientia vero omnis longe sub pedibus ejus est, ut penitus absit hæc ab insipientium mulierum numero, et collegio Virginum fatuarum. Imo vero, et unicus ille stultus, et totius stultitiæ princeps, qui vere mutatus ut luna, sapientiam perdidit in decore suo, sub Mariæ pedibus conculcatus et contritus, miseram patitur servitutem.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

LXIV.

Ex Libro Sancti Ambrosii Episcopi.

De institut. Virginis Cap. 8.

Lectio I.

Quæ est hæc porta de qua dicit Propheta, nisi Maria? Bona porta Maria, quæ clausa erat, et non aperiebatur. Transivit per eam Christus, sed non aperuit. Et ut doceamus, quia portam habet omnis homo, per quam Christus ingreditur: Attolite, inquit, portas, Principes, vestras, et elevamini portæ æternales, et introibit Rex gloriæ. Quanto magis ergo erat porta in Maria, in qua sedit Christus corporaliter, et exivit? Est enim et porta ventris, unde ait Job sanctus: Intenebrescant, inquit, stellæ noctis illius, quia non conclusit portas ventris matris meæ. Est ergo et porta ventris, sed non omnis clausa semper, verum una sola potuit manere clausa, per quam

Digitized by Google

sine dispendio claustrorum genitalium, virginis partus exivit.

℟. Sine tactu pudoris, inventa es Mater Salvatoris: * Qui cælum terramque regit, in tua se clausit viscera factus homo.

℣. Benedicta tu in mulieribus et benedictus fructus ventris tui. Qui cælum.

Lectio II.

IDEO ait Propheta: Porta hæc clausa erit, et non aperietur, et nemo transibit per eam; quoniam Dominus Deus Israel transibit per eam. Eritque clausa, quoniam dux hic sedebit in ea, ut manducet panem in conspectu Domini. Secundum viam portæ intrabit, et secundum viam ejus exibit. Nemo transibit per eam; hoc est nemo hominum: quoniam Dominus, inquit, Deus Israel transibit per eam: Eritque clausa, idest, ante, et post transitum Domini erit clausa; et non aperietur a quoque, nec aperta est, quoniam habuit semper januam suam Christus, qui dixit: Ego sum janua, quam nemo ab ea potuit avellere. Hæc porta ad Orientem aspiciebat, quoniam verum lumen effudit, quæ generavit Orientem, peperitque solem justitiæ.

℟. Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu vero supergressa es universas: * Speciosa facta es, et suavis in deliciis tuis, Sancta Dei Genitrix.

℣. Sentiant omnes tuum juvamen quicumque celebrant tuam sanctam commemorationem. Speciosa. Gloria Patri. Speciosa.

Lectio III.

CLAUSA, inquit, hæc porta est, quæ solum recepit Deum Israel. Is igitur, de quo dictum est ad Ecclesiam: Quoniam confortavit seras portarum tuarum, suam portam confortare non potuit? Sed confortavit profecto, et servavit intactam. Denique non est aperta. Audiant igitur Prophetam dicentem: Non aperietur, eritque clausa, hoc est, non aperietur ab eo cui desponsabitur. Non licebit enim ut aperiatur per quam Dominus transibit.

Digitized by Google

Et post eum, inquit, erit clausa: hoc est, non aperiet eam Joseph: quoniam dicetur ei: Noli timere accipere Mariam conjugem tuam, quod enim ex ea nascetur, de Spiritu Sancto est. Porta ergo clausa, virginitas est: et hortus clausus, virginitas: et fons signatus, virginitas.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag.* 9.

LXV.

Ex Libro S. Augustini Episcopi.

De Virginitate, Cap. 6.

Lectio I.

MARIA faciens voluntatem Dei, corporaliter Christi tantummodo mater est, spiritualiter autem, et soror et mater. Ac per hoc una illa fœmina non solum corpore, verum etiam spiritu, et mater est et Virgo. Et mater quidem spiritu non capitis nostri, quod est ipse Salvator, ex quo magis illa spiritualiter nata est, quia omnes, qui in eum crediderint, in quibus et ipsa est, recte filii sponsi appellantur. Sed plane mater membrorum ejus, quod nos sumus, quia coöperta est charitate, ut fideles in Ecclesia nascerentur, qui illius capitis membra sunt: corpore vero mater ipsius capitis. Oportebat enim caput nostrum propter insigne miraculum secundum carnem nasci de Virgine, quo significaret membra sua de virgine Ecclesia secundum spiritum nascitura.

℟. Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, et a generationibus meis implemini: * Spiritus enim meus super mel dulcis, et hæreditas mea super mel et favum.

℣. Qui audit me, non confundetur, et qui elucidant me, vitam æternam habebunt. Spiritus.

Lectio II.

SOLA ergo Maria, et spiritu, et corpore Mater et Virgo. Secundum carnem quidem mater Christi fuit, frater non fuit, soror non fuit, et quicumque aliquid horum alicui, secundum carnalis propinquitatis vinculum extiterit, aliud sibi esse omnimode non valebit. Et nimirum si

Digitized by Google

mater fuerit, frater, vel soror extiterit, mater non sit. Nos autem hoc simul omnia in Christo per spiritum sumus, si voluntatem Christi, quæ illi semper cum Patre communis est, adimplere satagimus. Sed quod natum est ex carne, caro est, et quod natum est ex spiritu, spiritus est. Ex illa ergo parte, qua Redemptor Deus noster est, propinqui sibi tam multipliciter sumus, quantum illa beata Virgo, ex qua nasci dignatus est secundum carnem, esse non potuit.

℟. Meum est consilium et æquitas, mea est prudentia, mea est fortitudo: * Per me reges regnant, per me principes imperant, et potentes decernunt justitiam.

℣. Ego diligentes me diligo, et qui mane vigilant ad me, invenient me. Per me. Gloria Patri. Per me.

Lectio III.

PROPRIUM etiam, aut singulare fuit illi beatissimæ Virgini Christum in vulva concipere. Commune vero, et naturale est omnibus electis in cordibus illum cum devotione portare. Felix illa fœmina, quæ illum novem mensibus gestavit in ventre; felices etiam nos, si illum assidue portare studeamus in mente. Mirabilius quidem fuit Christum concipi in vulva carnis, sed non inferius, si deferatur in ergastulo pectoris. Hinc considerandum est quanta sit dignitas nostra, quantaque nobis sit proportio cum Maria. Concipit Maria Christum in vulva carnis, deferimus eum et nos in visceribus mentis: reficiebat Maria Christum, cum teneris labris lac exprimeret uberum, reficimus ipsum et nos in aliis, bonorum delicils operum.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

LXVI.

Sermo Sancti Bernardi Abbatis.

In Nativitate B. V. Mariæ.

Lectio I.

ERAT beata Virgo sancta corpore et Spiritu, cui specialiter esset dicere: Conversatio nostra

Digitized by Google

in cælis est. Sancta, inquam, corpore et spiritu; sublimis equidem valde, sed nihilominus integerrimus manet. Hortus conclusus, fons signatus, templum Domini, Sacrarium Spiritus Sancti. Nec enim est fatua virgo, cui non modo oleum est, sed olei plenitudo in vase recondita. Ascensiones in corde suo disposuit, conversatione pariter, et oratione ascendens. Fervebat siquidem in quærenda gratia charitas, splendebat in carne virginitas, humilitas in obsequio eminebat. Etenim si omnis qui se humiliat exaltabitur, quid hac humilitate sublimius?

℟. Benedicta et venerabilis es, Virgo Maria:* Quia sine tactu pudoris inventa es mater Salvatoris.

℣. Virgo Dei Genitrix, quem totus non capit orbis, in tua se clausit viscera factus homo. Quia.

Lectio II.

MERITO proinde Cantor ille divinus in ipsius admiratione præcinens, ajebat: Quæ est ista quæ ascendit sicut aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata? Ascendit plane supra humanum genus, ascendit usque ad Angelos, sed et ipsos quoque transcendit, et cælestem omnem supergreditur creaturam. Nimirum supra Angelos, hauriat necesse est, quam refundat hominibus aquam vivam. Intuere igitur quemadmodum usque ad Angelos plenitudine gratiæ, supra Angelos superveniente Spiritu Sancto pervenit. Est in Angelis charitas, est puritas, est humilitas. Quid horum non enituit in Maria?

℟. Per te, Dei Genitrix, nobis est vita perdita data: * Quæ de cælo suscepisti prolem, et mundo genuisti Salvatorem.

℣. Recordare, Virgo Maria, in conspectu Dei ut loquaris pro nobis bona, et ut avertat indignationem suam a nobis. Quæ. Gloria Patri. Quæ.

Lectio III.

DENIQUE Veritas de terra orta est, non de angelica creatura: nec Angelos, sed semen Abrahæ

Digitized by Google

apprehendit. Magnum est Angelo, ut minister sit Domini: sed Maria sublimius quiddam meruit, ut sit Mater. Fœcunditas itaque Virginis supereminens gloria est: tantoque excellentior Angelis facta munere singulari, quanto differentius præ ministris nomen Matris accepit. Hanc invenit gratiam plena jam gratia, ut charitate fervida, virginitate integra, humilitate devota, fieret nihilominus sine viri cognitione gravida, sine muliebri dolore puerpera. Parum est: Quod ex ea natum est, sanctum vocabitur, et est Filius Dei.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

LXVII.

Ex Libro Sancti Ephrem Syri.

Oratio ad Deiparam.

Lectio I.

DOMINA mea sanctissima Dei Genitrix, et gratia plena, Mater Dei benedictissima, Deo gratissima Deipara, vas divinitatis Unigeniti Filii tui, Immortalis et Invisibilis Patris, sedes igniformis quadriformibus longe gloriosior, tota pura, tota immaculata, tota illibata, tota impolluta, tota irreprehensibilis, tota laudabilis, tota incorrupta, tota beatissima, tota inviolata, tota venerabilis, tota honorabilis, tota benedicta, tota memorabilis, tota desiderabilis, virgo anima et corpore et mente, Cathedra Regis, qui sedet super Cherubim, Porta cælestis, per quam nos a terra ad cælum currimus, Sponsa Dei, per quam ipsi reconciliati sumus, inopinatum miraculum, inexplicabilis auditio absconditi Sacramenti, divini manifestatio.

℟. Ornatam monilibus filiam Jerusalem Dominus concupivit, et videntes eam filiæ Sion, beatissimam prædicaverunt, dicentes: * Unguentum effusum nomen tuum.

℣. Astitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate. Unguentum.

Lectio II.

FONS vivificus, pelagus inexhaustum divinæ

rum, secretarumque largitionum ac munerum, altitudo divinis potestatibus sublimior, profundum ininvestigabile absconsarum cogitationum, naturæ communis gloria, bonorum omnium erogatio, omnium post Trinitatem Domina, post Paraclitum alius consolator, et post Mediatorem mediatrix totius mundi, vehiculum intelligibilis solis, veræ lucis, quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum; ferens omnia verbo portantem, vestis immaculata ejus, qui induit lucem sicut vestimentum: pons mundi totius ad altissimum cælum nos ducens: Cherubim ac Seraphim sine ulla comparatione superior ac longe gloriosior, Angelorum splendor, hominum tutela, clavis in cælum nos introducens.

℟. Congratulamini mihi omnes, qui diligitis Dominum, quia cum essem parvula placui Altissimo: * Et de meis visceribus genui Deum et hominem.

℣. Beatam me dicent omnes generationes, quia ancillam humilem respexit Deus. Et. Gloria Patri. Et.

Lectio III.

Mater et Ancilla non occidentis stellæ: splendor veri, mysticique diei, ininvestigabilis Dei bonitatis abyssus: currus divinus et multi nominis, veræ fidei firmissimum fundamentum; ejus qui capi non potest, lacus amplissimus; vitis vera vitæ fructum proferens, oliva fructifera fidelium animas exhilarans, universalis protectio Mundi, porta mysterii supra intellectum venerabilis, complementum gratiarum Trinitatis, veluti secundas partes tenens post divinitatem: fulgor fidelium animas illuminans, peccatorum reconciliatio, stantium securitas, lapsorum revocatio, Ecclesiarum concordia, exercituum felicitas, bonorum omnium suppeditatio, totius mundi pax, tolerantia Monachorum, et Scala per quam cælestes Angeli ad nos descendunt.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag.* 9.

Digitized by Google

LXVIII.

Sermo Venerabilis Bedæ Presbyteri.

De homilia Hyemali de Sanctis in Annunt. B. M. V.

Lectio I.

VIRGO beata vere gratia erat plena, cui divino munere collatum est, ut prima inter fœminas gloriosissimum Deo virginitatis munus offerret. Unde jure Angelico aspectu simul et affatu meruit perfrui, quæ angelicam studebat vitam imitari. Vere gratia erat plena, cui ipsum, per quem gratia et veritas facta est, Jesum Christum generare donatum est. Et ideo vere Dominus cum illa erat, quam et prius novæ castitatis amore a terrenis ad cælestia desideranda sustulit, et postmodum mediante humana natura omni plenitudine divinitatis consecravit. Vere quoque benedicta inter mulieres, quæ sine exemplo muliebris conditionis cum decore virginitatis gavisa est honore parentis, quodque virginem matrem decebat, Deum filium procreavit.

℟. Regina mundi, dignissima Maria, virgo perpetua:* Intercede pro nostra pacè et salute.

℣. Quæ genuisti Christum Dominum, Salvatorem omnium. Intercede.

Lectio II.

MAGNAM quippe humilitatis constantiam tenet, quæ se ancillam sui conditoris, dum mater eligitur, appellat. Beata in mulieribus angelico oraculo prædicatur, incognita adhuc cæteris mortalibus arcana nostræ redemptionis edocetur: nec se tamen de singularitate meriti excellentioris singulariter extollit, sed potius suæ conditionis ac divinæ dignationis in omnibus memor, famularum se Christi consortio humiliter adiungit, famulatum Christo devota quod jubetur, impendit. Fiat, inquit, mihi secundum verbum tuum, fiat ut Spiritus Sanctus adveniens me cælestibus dignam mysteriis reddat, fiat ut in meo utero filius Dei humanæ substantiæ habitum induat, atque ad redemptionem mun-

Digitized by Google

di tanquam sponsus suo procedat de thalamo.

℟. Beata es, Virgo Maria, quæ Dominum portasti creatorem mundi: * Genuisti, qui te fecit, et in æternum permanes Virgo.

℣. Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum. Genuisti. Gloria Patri. Genuisti.

Lectio III.

Cujus vocem mentemque nos, Fratres carissimi, pro modulo nostro sequentes, famulos nos esse Christi in cunctis actibus nostris motibusque recolamus, ejus semper obsequiis omnia corporis nostri membra mancipemus, ad ejus implendam voluntatem, totum mentis nostræ dirigamus intuitum: sicque perceptis ejus muneribus gratias recte vivendo reddamus, ut ad majora percipienda digni existere mereamur. Precemur seduli cum beata Dei genitrice, ut fiat nobis secundum verbum ejus, illud videlicet verbum, quo rationem suæ incarnationis ipse exponens, dicit: Sic enim dilexit Deus mundum, ut unigenitum filium suum daret, ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag.* 9

LXIX.

Sermo Sancti Sophronii Episcopi.

Ex homilia in, Deiparæ Annunt.

Lectio I.

Domina mea gloriosissima jure meritoque diceris Deipara, quippe quæ Deum verissime paris. Ne timeas, Maria, invenisti enim apud Deum gratiam perire nesciam: invenisti apud Deum gratiam præ qualibet eximiam: invenisti apud Deum gratiam omnibus votis expetendam: invenisti apud Deum gratiam omnium gratiarum splendidissimam: invenisti apud Deum gratiam nunquam elanguentem: invenisti apud Deum gratiam, quæ te salvam præstet: invenisti apud Deum gratiam, quæ nullo impetu quatiatur: invenisti apud Deum gratiam plane invictam; invenisti apud Deum gratiam perenniter duraturam.

Digitized by Google

℟. Beatam me dicent omnes generationes: * Quia fecit mihi magna, qui potens est, et sanctum nomen ejus.

℣. Et misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum. Quia.

Lectio II.

Et alii quidem, iique plures ante te eximia sanctitate floruerunt. Sed nemini, quemadmodum tibi, plena gratia impertita est: nemo, sicut tu ad tantum magnificentiæ est evectus: nemo, sicut tu, purificante gratia præoccupatus est: nemo, sicut tu, cælesti lumine refulsit: nemo, sicut tu, præ omni celsitudine exaltatus est. Et merito quidem; nemo enim, sicut tu, ad Deum tam prope accessit: nemo sicut tu, Dei donis ditatus est; nemo, sicut tu, Dei gratiæ particeps fuit. Omnia vincis, quæcumque inter homines emineant; omnia superas munera, quæ effusa a Dei largitate in quoslibet dimanaverint. Plus enim omnibus inhabitantis Dei possessione ditescis.

℟. Felix namque es, sacra Virgo Maria, et omni laude dignissima:* Quia ex te ortus est Sol justitiæ, * Christus Deus noster.

℣. Ora pro populo, interveni pro Clero, intercede pro devoto fœmineo sexu; sentiant omnes tuum juvamen quicumque celebrant tuam sanctam commemorationem. Quia. Gloria Patri. Christus.

Lectio III.

Nemo sic in se Deum complecti potuit: nemo potuit sic frui Dei præsentia: nemo dignus est habitus, qui sic per Deum illuminaretur; ac propterea non modo Deum omnium Conditorem ac Dominum in te excepisti, sed eum habes ex te ineffabiliter incarnatum, atque in utero tuo gestatum, et post hæc genitum, et universos homines a paterna condemnatione redimentem, ac salutem, quæ nullum finem habitura sit, ipsis elargientem. Et propterea tibi clamavi, atque iterum vehementer cla-

Digitized by Google

mabo: Ave gratia plena, Dominus tecum; benedicta tu in mulieribus.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

LXX.

Sermo Sancti Bernardi Abbatis.

In Serm. I. de Annunt. Dominica.

Lectio I.

Regali siquidem ex progenie Virgo electa est, generositatis quidem regiæ nobilis proles, sed virtutis regiæ nobilior indoles: ut æterno Regi, filios Regis, materna quoque nobilitas regium honorem deferret, et venientem a regali sede Patris, regalis etiam thronus in aula virginali Reginæ susciperet Matris. In ipsa quippe et ex ipsa, Sapientia ædificavit sibi domum, in ipsa et ex ipsa paravit sibi thronum, cum in ea et ex ea corpus aptavit sibi, ita ad omnia perfectum et congruum, ut et domus ei sit ad quiescendum, et thronus ad judicandum, quod primo tabernaculum ei fuit ad pugnandum, et cathedra ad docendum. Vide autem ne forte ipsa sit sedes David Patris ejus, quam ei dandam promittit Angelus.

℟. Beatissima Virgo Maria, Regina Angelorum, Domina mundi, per quam Deus descendit ad terras; * Ut homines ascendere mereantur ad cælos.

℣. Ad te clamamus exules filii Evæ: recordare nostri, sanctissima Virgo. Ut homines.

In Sermone 3. de Assumptione.

Lectio II.

In omnibus requiem quæsivi: vox est utique Sapientiæ, vox est Ecclesiæ, vox est Mariæ, vox est cujuslibet sapientis animæ. Sapientia in omnibus requiem quæsivit, sed in solis humilibus invenit. Ecclesia in omnibus mundi nationibus requiem quæsivit, sed in solis credentibus invenit. Maria, sicut et quælibet fidelis anima, in omnibus actionibus suis requiem quæsivit, sed invenit, cum post persecutionem Herodis, et fugam Ægypti, post tot insidias, et atrocitates Judaicæ impietatis, post tot passiones

Digitized by Google

suas, de passione et morte Filii, postquam tot et tam acerbi ipsius animam pertransierunt gladii, tandem datum est ei dicere: Convertere anima in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi.

℟. Beata Dei Genitrix Maria, templum Domini, sacrarium Spiritus Sancti: * Sola sine exemplo placuisti Domino nostro Jesu Christo.

℣. Genuisti, qui te fecit, et in æternum permanes Virgo. Sola. Gloria Patri. Sola.

Lectio III.

Qui creavit me, creatus ex me, requievit in tabernaculo corporis mei, negare non poterit mihi requiem cæli sui. Qui enim gratiam ultro cumulat aliis, par pari quomodo non referet matri? Perge, Maria, perge secura in bonis Filii tui, fiducialiter age tanquam Regina, mater Regis et Sponsa. Requiem quærebas, sed amplioris gloriæ est quod tibi debetur regnum et potestas. Indivisum habere tecum cupiet imperium, cui tecum in carneuna, et uno spiritu indivisum fuit pietatis et unitatis mysterium: dum scilicet, salvo honore naturæ, geminato munere gratiæ, juncta est mater in matrimonium. Requiesce igitur, o felix, inter brachia Sponsi. Replicabit tibi, ni fallor, inter amplexus et oscula, quam suaviter requieverit in tabernaculo corporis tui, quam suavis in cubiculo cordis tui.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

LXXI.

Ex Libro Sancti Anselmi Episcopi.

De quatuor virtutibus Beatæ Mariæ. Cap. 8.

Lectio I.

Dedit Deus Mariæ ut esset et prole fertilis, et Virginalis damni immunis. Quid illa? Nonne tantis filii beneficiis digno respondebat amore? Plena Spiritu Sancto, qui est amor Patris, et prolis amor suavis et dulcis. Nonne eum amabat qui eam fecit omnis creaturæ Dominam, cæli et terræ Reginam, fertilitatem ut dixi tribuens, integritatem non

Digitized by Google

minuens? Imo vero totis medullis, totis viribus in ejus amorem suspensa erat, amoremque quem pater et mater soboli suæ debent, sola ista dulcis et terrena mater Domino et filio suo impendebat. Non est aliqua scientia quæ possit penetrare, nec eloquentia quæ possit prædicare, quanta dulcedinis sedulitate parvulum foverit; quanta mæstitia patientem, et morientem suspicaverit.

℟. Benedicta filia tu a Domino quia per te fructum vitæ communicavimus: * Sola sine exemplo placuisti Domino nostro Jesu Christo.

℣. Nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris; et a periculis cunctis libera nos, Sancta Dei genitrix. Sola.

Lectio II.

Jam vero resurgentem et ascendentem quam lætis oculis Virgo fœlix intuita; quanto tripudio beata movebantur viscera; præsertim cum jam intelligeret in effectum prodire quæ tanto partu fiebantur tempore? Genus humanum ad salutem vocari per Apostolos videbat: cujus rei gratia Dei filium de se incorporatum, et in cruce passum ante intellexerat. Quapropter lætabatur quod spei quam ante conceperat, quodque salutare toti mundo fore ex voto Virginitatis suæ speraverat, jam in rem veram transibat. Gaudebant et Angeli qui videbant civium suorum olim per peccatum diminutum numerum, nunc per beatum ejus partum redintegrari. Gaudebant et gaudent homines, quia quod per primam amiserunt fœminam, centuplicati prætii fœnore recipiunt per Mariam.

℟. Sancta et immaculata virginitas, quibus te laudibus efferam nescio: * Quia quem cæli capere non poterant, tuo gremio contulisti.

℣. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. Quia. Gloria Patri. Quia.

Lectio III.

Quod gaudium in incomparabile crementum pullulabit, cum il-

Digitized by Google

lorum præsentia, præsenti fruentur in cælo lætitia, per quos tanta consecuti sunt gaudia. Gaudebat et gaudet omnis creatura, quia quæ in initio mundi a Deo ad obsequium hominis facta; quando se homo a cognitione et servitio Dei removerat, illi qui creatori suo rebellis erat, degeneri famulatu substerni dolebat. Illa, inquam, homini per beatam Mariam salvato, in antiquum decus evasit, in pristinum splendorem reviruit, dum illi famulatur qui creatori suo et fide et opere obsequitur. Sicut ergo Deus est Pater et creator omnium, ita hæc virgo est mater et creatrix omnium. Quia sicut nihil existit, nisi quod Deus facit, ita nihil recreatur, nisi quod filius Mariæ redimit.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

LXXII.

Sermo Sancti Andreæ Cretensis Archiepiscopi.

In Annunt. SS. Dominæ nostræ Dei Genitricis.

Lectio I.

QUID igitur Gabriel? Ut Virginis turbationem animadvertisset, ad nihil aliud attendens, statim vocem emisit: Ne timeas, inquit, Maria, invenisti enim gratiam apud Deum, quam amisit Eva. Gratiam dicens, animi dubitationem ademit: et quod fieri non posse videbatur, adjiciens: Invenisti gratiam apud Deum: fecit, ut credibile esset, et virgini metum eripuit. Ne timeas Maria: non sunt hæc fallentia verba: non veni ut te decipiam: non loquitur fallax serpens; e terra tibi non loquor, sed bonum ex Altissimis nuntium affero, nec bonum tantum, sed lætitiæ plenum. Dominus tecum, qui omnis lætitiæ largitor est, et mundi Salvator universi. Tecum est, qui de sinu Patris non recedit, et in utero tuo concipitur.

℟. Benedicta tu inter mulieres et benedictus fructus ventris tui: * Propterea benedixit te Deus in æternum.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis: intercede pro nobis ad Dominum Deum nostrum. Propterea.

Digitized by Google

Lectio II.

GRATIA plenam te appellavi, ut mysterii gaudium in te exhibiti significaram. Gratia plenam te esse dixi, quoniam totam gratiam suscipis in utero tuo, et stolam vere divinarum gratiarum splendore decoratam. Dominus tecum adjeci, ut potentiam in te præcurrentem, declararem. Dominus enim est Deus potens, et princeps pacis, et pater futuri sæculi, idemque tuus, o Virgo, filius, atque omnium Salvator. Dominus tecum, gratia, et veritas tecum. Dominus quidem legis, pater autem gratiæ, et veritatis fons. Ne timeas Maria: Dominus tecum. Qui omnium dominationum est princeps, qui patris luminum filius est, qui sine principio ab ipso genitus est, is in tempore ex te nascitur.

℟. Sicut cedrus exaltata sum in Libano, et sicut cypressus in monte Sion: quasi myrrha electa; * Dedi suavitatem odoris.

℣. Et sicut cinnamomum, et balsamum aromatizans.

Dedi.

Gloria Patri.

Dedi.

Lectio III.

QUI sursum totus est in sinu patris, is deorsum totus est in utero tuo. Ipse tecum et in te est. Adveniens enim in te desiliit, et in uterum tuum ingressus est, atque in te comprehendi voluit, qui per naturam comprehendi non potest. Ne timeas, Maria, invenisti enim gratiam apud Deum, gratiam quam non suscepit Sara, quam Rebecca non invenit, quam Rachel ignoravit. Invenisti talem gratiam, qualem Anna, licet fuerit exaudita, non habuit. Tu sola ita mater es futura, ut simul etiam virginitatis decus retineas. Ne timeas igitur, invenisti enim gratiam apud Deum. Gratiam quam nemo unquam accepit. Quænam talis esse queat apud Deum gratiæ præstantia? Invenisti enim gratiam apud Deum.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

Digitized by Google

LXXIII.

Sermo Sancti Leonis Papæ.

De Sermone 2. in Nativit. Domini.

Lectio I.

VIRGO regia Davidicæ stirpis eligitur, quæ sacro gravidanda fœtu, divinam humanamque prolem prius conciperet mente, quam corpore. Et ne superni ignara consilii, ad inusitatos, paveret affatus; quod in ea operandum erat a Spiritu Sancto, colloquio discit angelico. Nec damnum credit pudoris, Dei Genitrix mox futura. Cur enim de conceptionis novitate desperet, cui efficientia de Altissimi virtute promittitur? Confirmatur credentis fides etiam præ cunctis attestatione miraculi, donaturque Elisabeth inopinata fœcunditas, ut qui conceptum dederat sterili, daturus non dubitaretur et Virgini.

℟. Quæ est ista, quæ processit sicut Sol, et formosa tanquam Jerusalem? * Viderunt eam filiæ Sion, et beatam dixerunt, et Reginæ laudaverunt eam.

℣. Et sicut dies circumdabant eam flores rosarum, et lilia convallium. Viderunt.

In Sermone 2.

Lectio. II.

ORIGO dissimilis, sed natura consimilis: humano usu, et consuetudine, quod credimus, caret, sed divina potestate subnixum est quod virgo conceperit, quod virgo pepererit, et virgo permanserit. Oportuit enim, ut primam genitricis integritatem nascens incorruptio custodiret, et complacitum sibi claustrum pudoris, et sanctitatis hospitium, divini Spiritus virtus infusa servaret, quæ statuerat dejecta erigere, confracta solidare, et superandis carnis illecebris, multiplicatam pudicitiæ donare virtutem; ut virginitas, quæ in aliis non poterat salva esse generando, fieret in aliis imitabilis confitendo, renascendo.

℟. Ego diligentes me diligo: * Et qui mane vigilant ad me, invenient me.

℣. Mecum sunt divi-

Digitized by Google

tiæ et gloria, opes superbæ et justitia. Et qui. Gloria Patri. Et qui.

De Sancto Augustino in Sermone 2. de Annunt.

Lectio III.

DICAT nunc Maria Filio: Ego te generavi, et virginitatem meam non violavi. Regnum tenui virginitatis, et Regem genui castitatis. Ingredientem, et egredientem habui in palatio ventris filium Imperatoris, et de manibus meis non amisi clavem regii pudoris. Porta facta sum cæli; janua facta sum Filio Dei. O mira, et laudabilis inter fœminas, in qua ab Angelo salutata est virginitas! Sola imprægnata, nec vitiata; exonerata, nec vacuata, quia sic ab Angelo salutata: Ave Maria gratia plena, Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus. Felix castitas, quam amplexus non tetigit maritalis! Considero conceptum tuum, Beata Virgo, et expavesco: intueor partum tuum, et contremisco; adoro filium tuum, et revivisco.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag.* 9.

LXXIV.

Sermo Sancti Amedæi Lausanensis Episcopi.

In homil. 7. de B. V. obitu, et Assumpt.

Lectio I.

SICUT in Eva omnes moriuntur, ita et in Maria omnes vivificabuntur: et sicut Evæ scelere fit mundi damnatio, ita fide Mariæ facta est orbis reparatio. Illa infecta est veneno lethali, quod transfudit ad posteros, hæc infusa vitali antidoto, quod fidelis transmisit ad universos. Corruit illa, male credula serpenti; surrexit ista, et contrivit caput serpentis. Quis ergo non properaret, quis non curreret ab extremis terræ, reverendæ majestatis decus aspicere, et vultum omnimoda suavitate, imperiali etiam dignitate, et singulari præditum potestate videre? Quippe nihil inveniebatur illi simile in filiis, et filiabus Adæ. Nihil tale in Prophetis, in Apostolis, aut in Evangelistis. Nihil illi simile cælum vel terra dedere.

℟. Benedicta tu inter mulieres, et benedictus

Digitized by Google

fructus ventris tui:* Propterea benedixit te Deus in æternum.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis: intercede pro nobis ad Dominum Deum nostrum. Propterea.

Homilia 3. de Incarnatione Christi.

Lectio II.

SPIRITUS Sanctus superveniet in te, ut a tactu ejus venter tuus contremiscat, uterus tuus intumescat, gaudeat animus, floreat alvus. Macta, idest, magis aucta, quæ tanta suavitate perfrueris, tam cælesti osculo dignaberis, tali sponso conjungeris, a tali marito fœcundaberis. Spiritus Sanctus superveniet in te. In alios Sanctorum venit, in alios veniet, sed in te superveniet, quia præ omnibus, et super omnes elegit te, ut superes universos, qui ante te fuere, vel post te futuri sunt, plenitudine gratiæ. Omnes superas, præes universis, non solum hominibus, sed et summis cælorum virtutibus. Hinc est quod gloriosius præ illis nomen hæreditabis, et appellaberis Mater Dei; et ideo Mater salutis, Mater gratiæ, Mater misericordiæ.

℟. Sicut cedrus exaltata sum in Libano, et sicut cypressus in monte Sion; quasi myrrha electa * Dedi suavitatem odoris.

℣. Et sicut cinnamomum, et balsamum aromatizans. Dedi. Gloria Patri. Dedi.

Lectio III.

SPIRITUS Sanctus superveniet in te; superveniet in ubertate, in affluentia, in plenitudine, et in effusione carnis et animæ. Cumque repleverit te, erit adhuc super te, et super aquas tuas feretur, facturus in te quoddam melius, et mirabilius, quam cum ferebatur super aquas a principio, ut materiam creationis in distinctionem formamque produceret. Et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Obumbrabit tibi Christus Dei virtus et sapientia. Ille humanam ex te suscipiet naturam et plenitudinem divinitatis, quam ferre non posses, habe-

Digitized by Google

bit in carnis susceptione. Obumbrabit ergo tibi, quia luci se inaccessibili assumpta humanitas a Verbo objiciet, cujus objectu lux illa temperata, castissima viscera tua perfundet.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag.* 9.

LXXV.

Sermo Sancti Petri Damiani Episcopi.

Sermone 10. in Assumptione Beatæ Mariæ Virginis.

Lectio I.

VIRGO Dei Genitrix Maria est illa stella matutina in medio nebulæ, quæ in cæli cardine summo splendore coruscans? orbem subditum splendidioribus radiis incolorat. Hæc est aurora, quam sequitur, imo de qua nascitur Sol justitiæ, solius claritatis succumbens. Hæc est aurora, quam ille non vidit, qui vidit omne sublime; et orat beatus Job ut ei multa suppressione claudatur, dicens: Non videat ortum surgentis auroræ. Nam sicut aurora terminum noctis, diei principium adesse testatur; sic et Virgo noctem expulit sempiternam, et de die diem, de terra suæ virginitatis exortum, terris infudit.

℟. Ego Mater pulchræ dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctæ spei: in me gratia omnis viæ, et veritatis; * In me spes omnis vitæ et virtutis.

℣. Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, et a generationibus meis implemini. In me.

Lectio II.

PULCHRA ut luna. Quid luna pulchrius, cum stellis coruscantibus in signifero limite reliquorum siderum splendorem excedit? Considera quam stellarum, et serena vibratio, quam luminosus fulgor circularem orbem tanti sideris superfundat, ut aliorum luminum claritatem non mediocriter offuscet? Sic et Virgo inter animas Sanctorum et Angelorum choros supereminens, et evecta, merita singulorum, et omnium titulos, antecedit. Quantumlibet aliæ stellæ reluceant, luna tamen et magnitudine præeminet et splendore. Sic utramque natu-

Digitized by Google

ram Virgo singularis exsuperat et immensitate gratiæ, et fulgore virtutum.

℟. Spiritus meus super mel dulcis, et hæreditas mea super mel et favum: qui audit me, non confundetur: * Et qui operantur in me non peccabunt.

℣. Qui elucidant me, vitam æternam habebunt. Et qui. Gloria Patri. Et qui.

Lectio III.

Hæc est Regina illa, quam videntes Filiæ Sion, beatissimam prædicaverunt, et Reginæ laudaverunt eam. Deliciis, inquit, affluens. Vere affluens, quia multæ filiæ congregaverunt divitias, hæc supergressa est universas. Deliciarum autem ejus non est numerus, quia dum Spiritum Sanctum suscipit, concipit Dei Filium, Regem gloriæ generat, penetrat cœlos, cumulata divitiis, et deliciis affluens ad regnum evolat sempiternum suum. Innixa super Dilectum suum. Rex virtutum Dilecti Pater est, in quo sibi bene complacuit. Super hunc innititur Mater illa felicior, et in aureo reclinatorio divinæ majestatis incumbens, intra Sponsi, imo Filii sui brachia requiescit. O quanta dignitas, quam specialis potentia inniti super illum, quem Angelicæ potestates reverentur aspicere!

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

LXXVI.

Sermo Sancti Anastasii Synaitæ Episcopi.

Sermone 2. in Laudatissimæ Dominæ nostræ Dei Genitricis Annuntiat.

Lectio I.

Virginalis uterus erat omnium cælestium animorum, et divarum Virginum circumdatus agminibus. Decebat quippe Virginem talibus opignorare muneribus, decebat virginitatis, et omnis puritatis circumvallari honoribus, quæ Virgo et Mater omnium Virginum merita antecellebat, Virginum Mater, Virginum incomparabilis et veneranda in cælestes aulas ductrix et magistra. In Maria omnis puritas, omnis veritas, om-

Digitized by Google

nis gratia fuit, candor incomparabilis, odor omnium superans odorum fragrantiam: felicitas denique talis et tanta, qualem et quantam conijcere non possumus, ac proinde non satis dignis laudare præconiis.

℟. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, * Neque flumina obruent eam.

℣. Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam. Neque.

Lectio II.

Beatus igitur, o Domine Jesu, venter, qui te portavit. Vere beatus, quem nulla unquam invisit macula; uterus omnis sanctitatis, uterus puritatis, uterus innocentiæ, manens Dei et hominis reclinatorium, Spiritus Sancti tabernaculum, totius beatæ Trinitatis sacrarium, et omnium Sanctorum, et cælestium Numinum propitiatorium. Uterus clementiæ, et singularis pietatis, vere aula cælestis, et templum Dei ornatissimum, in quo juge sacrificium, et superadmiranda libamina continenter Domino offeruntur. Ibi singulare laudis sacrificium, et omnis jubilationis, et præconii hostiæ Domino immolantur. Si testimonium Elisabeth benedictus talis fructus ventris est, ergo et benedictus, et superbenedictus venter erit.

℟. Beatus homo, qui audit me, et qui vigilat ad fores meas quotidie, et observat ad postes ostii mei: * Qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino.

℣. Qui autem in me peccaverit, lædet animam suam, et qui me oderunt, diligunt mortem. Qui. Gloria Patri. Qui.

Lectio. III.

O Maria, tu mare quoddam omnium virtutum, omnium verius exemplar gratiarum, cui in cælestibus aulis nullam æqualem invenire conceditur, neque in terris tibi omni plenissime gratia ulla est conferenda. Aquæ multæ illius antiqui serpentis, tuam non potuerunt extingue-

Digitized by Google

re charitatem, nec diluvium inundans tuam cælestem obruere Virginitatem. Quid aliud in tanta videmus Sunamitide, nisi choros castrorum, nisi cæleste et penitus admirabile tripudium? Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israel, tu sanctissima Virgo, honor, decus, et gloria populi Dominici, super omnes in summo gradu, in summa laude et gloria illam vitam et sempiternam promerebaris.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag.* 9.

LXXVII.

Sermo Sancti Andreæ Cretensis Archiepiscopi.

Orat. 4. in Nativitate Dominæ Nostræ Dei Genitricis Mariæ.

Lectio I.

MARIA Dei Genitrix est commune Christianorum omnium refugium, prima primi lapsus primorum parentum reparatio, vitiati hominum generis ad tranquillum, ac vitio expertem immortalemque statum revocatio, mystice olim adumbrata rubi Moysi visio; Gedeonis vellus, quod ille symbolo humectatum e cælo exili pluvia sine strepitu videns, quod gerebatur, in miraculum vertens, ac pluviam in signum, certam rei conjecturam sacrificio fecit. Divino opere varia Davidis purpura, assumptam carnem purpuræ instar Deo Davidis incarnato tribuens. Thronus Cherubicus, prægmagnus ille, igneus, sublimis, quæ Regem Dominum Sabaoth sinu gestet.

℟. Sine tactu pudoris, inventa es Mater Salvatoris; * Qui cælum, terramque regit, in tua se clausit viscera factus homo.

℣. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. Qui.

Lectio II.

SUPERLIMINARE cælestium adytorum, ubi Seraphim alis tecta, qua faciem, qua pedes, aliisque volantia magnum illud, ac terribile canticum stando clamant, quod importabilis gloriæ aspectum non ferant. Cælorum porta, per quam solus transivit cælorum Dominus, nemini ante, postve pervium conce-

Digitized by Google

dens ingressum. Lætare cælum super illa; te enim imitata, Dominum, quem non capis, nihil in arctum cogens capere meruit. Gesti tellus super ea: ejus enim conceptus, cælestem tuum locum ac situm reddens, eos qui erant terreni, cælestes effecit. Mare etiam miraculum Virginis plausu celebret; Christus enim ejus partum corpore subiens, undam aquarum substantiam aquis ipse intinctus sanctificavit.

℟. Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu vero supergressa es universas: Speciosa facta es, et suavis in deliciis tuis Sancta Dei Genitrix.

℣. Sentiant omnes tuum juvamen quicumque celebrant tuam sanctam commemorationem. Speciosa. Gloria Patri. Speciosa.

Lectio III.

BENEDICTA tu in mulieribus, terra vere desiderabilis, de qua figulus nostri aggeris lutum tollens, vas peccato contritum reparavit. Benedicta tu in mulieribus, nova illa Selon in qua spiritalis arca incarnationis Dei ac Verbi requievit, sed et plenitudo omnis divinitatis corporaliter inhabitavit. Benedicta tu in mulieribus, spiritalis illa Bethlehem, quæ voluntate pariter ac natura, spiritalis omnino domus panis vitæ effecta sis ac nuncupata. In te enim, qua ipse novit ratione inhabitans, ac inconfuse nostræ commixtus massæ, totum sibi Adamum fermentavit, ut panis vivus ac cælestis fieret. Benedicta tu in mulieribus, quæ legali, atque umbratili figura emines, ex qua magnus ille Beseleel; Christus, inquam, Deus; ille gratia templum sibi nulla manuum opera condidit; animatum, scilicet, corpus suum, principali arte Spiritus Sancti.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

LXXVIII.

Sermo S. Amedæi Lausanensis Episcopi.

In homil. 4. De Christi Nativitate.

Lectio I.

EVA parit corrupta, Maria incorrupta pepe-

Digitized by Google

rit. Eva in dolore, Maria in salute. Eva in vetustate, Maria in novitate. Ista servum, illa Dominum. Ista reum, illa justum. Ista peccatorem, illa justificantem a peccato. Evæ partus mortes multiplicat, partus Mariæ a morte salvat. Evæ parturienti draco insidiatur, partui Mariæ ab Angelis ministratur. Evam parturientem tremor cordis occupat, parientem Mariam virtus divina lætificat. Eva quos parit, multis exponit casibus; quos parit Maria salvat a malis omnibus. Eva pariente abundavit malitia, pariente vero Virgine Maria, superabundavit gratia. In partu Mariæ cæli lætati sunt et terra exultavit, infernus etiam commotus expavit.

℟. Beatissima Virgo Maria, Regina Angelorum, Domina mundi per quam Deus descendit in terras; * ut homines adscendere mereantur ad cælos.

℣. Ad te clamamus exules filii Evæ: recordari nostri, Sanctissima Virgo. Ut homines.

Lectio II.

MIRATUR se Virginem assumptam in Matrem, et Dei Genitricem se læta miratur. Intelligit in se completa Patriarcharum promissa, Prophetarum oracula, et Patrum antiquorum desideria, qui Christum de Virgine nasci prænabantur, et ortum ejus votis omnibus expectabant. Videt Dei Filium sibi commendatum, et mundi salutem sibi creditam lætatur. Audit sibi dicentem, et in se loquentem Dominum Deum: Ecce elegi te ex omni carne, et inter omnes mulieres benedixi. Ecce commendavi tibi Filium meum, commisi tibi Unicum meum. Noli timere lactare quem peperisti: agnosce non solum Deum, sed et Filium. Filius meus est, Filius tuus est. Filius meus ex divinitate, Filius tuus ex assumpta humanitate.

℟. Beata Dei Genitrix Maria, templum Domini, sacrarium Spiritus Sancti: * Sola sine exemplo placuisti Domino nostro Jesu Christo.

Digitized by Google

℣. Genuisti, qui te fecit, et in æternum permanes Virgo.

Sola.

Gloria Patri.

Sola.

Lectio III.

DILIGEBAT Deum, ac filium suum ex toto corde, ex tota mente, et ex omnibus viribus suis. Ex toto corde, quia toto affectu; ex tota mente, quia toto intellectu; ex omnibus viribus suis, quia omni cordis intentione, et mandatorum omnium executione. Videbat oculis, et manibus tractabat Verbum vitæ. Pendebat in collo ejus Patris sapientia, et in humeris ejus virtus movens cuncta residebat. Stabat in sinu materno parvulus Jesus, et in gremio quiescebat virginea sanctarum requies animarum. Non satiabatur visu, nec implebatur auditu, quia illum videbat et audiebat, quem multi Reges et Prophetæ voluerunt videre, et non viderunt, audire et non audierunt.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

LXXIX.

Sermo Sancti Petri Damiani Episcopi.

De Sermone in Assumpt. B. M. Virg.

Lectio I.

SOLA Mater, et Filia Creatoris de virtute in virtutem ascendens, consummatione virtutum vestita est. Qualiter autem ascendit? Sicut virgula, inquit, fumi. Virgula fumi recta est, subtilis, odorifera, et quanto magis in aëra extenditur, tanto amplius dilatatur. Sic et Angelorum Regina, recta est in sublimitate conversationis, quia virga directionis, virga regni Domini. Subtilis in Deitatis contemplatione, quia ipsa est, quae conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo. Odorifera in virtutum opinione, quia currimus in odorem unguentorum suorum. Angusta in temporalibus, quia non erat ei locus in diversorio. In spiritualibus dilatata, quia astitit Regina a dextris Domini.

℟. Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, et a generationibus meis implemini; * Spiritus e-

Digitized by Google

nim meus super mel dulcis, et hæreditas mea super mel, et favum.

℣. Qui audit me, non confundetur, et qui elucidant me vitam æternam habebunt. Spiritus.

Lectio II.

Hæc est virga illa, qua retunduntur impetus adversantium dæmoniorum. Virga Aaron, per quam fiunt signa, et mirabilia. Baculum autem Crucis intellige, quo non solum verberatus est, sed et occisus ille insatiabilis homicida, qui mortibus hominum pascitur et nutritur. In Virgine virga, et baculo Cruce, miserorum spes, et consolatio continetur. Sicut sublimis Propheta clara voce declarat: Virga inquit, tua, et baculus tuus, ipse me consolata sunt. Ex aromatibus myrrhæ et thuris. In myrrha continentiam, in thure devotionem intellige. Caro enim Virginis ex Adam assumpta, maculas Adæ non admisit, sed singularis continentiæ puritas in candorem lucis æternæ conversa est.

℟. Meum est consilium et æquitas, mea est prudentia, mea est fortitudo: * Per me reges regnant, per me principes imperant, et potentes decernunt justitiam.

℣. Ego diligentes me diligo, et qui mane vigilant ad me, invenient me. Per me. Gloria Patri. Per me.

Lectio III.

Porro quis ejus devotionem votivis laudibus poterit adæquare, cum rememoret missum Archangelum, supervenientem Spiritum, Filium conceptum, Deum natum, stellam novam, Magorum gloriam, munerum gratiam, et super hæc omnia testimonium conscientiæ suæ? Hæc sunt duo, quæ virginalem substantiam tota circumdedere virtute; continentia, scilicet, et devotio; quorum alterum carnem, alterum mentem ita possedit, ut caro mundissima, mens purissima Genitricem Domini singularius consecrarent. Universus autem pulvis pigmentarius in Virgine conjectus est, quia in ea virtutem con-

Digitized by Google

ventus reverendum sibi thalamum consecravit; et si cæteris per partes Spiritus affluit, Mariæ tamen tota plenitudo gratiæ supervenit.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

LXXX.

Ex lib. Sancti Brunonis Signiens. Episc.

De Laud. Virg. M. cap. 1.

Lectio I.

Non incongrue Beatissima Virgo Maria civitas Dei appellatur, quam virginitas mentis et corporis, quasi murus ita ex omni parte vallavit, ut nullus unquam libidinis accessus adesset, et omnis inimicus a suæ virginitatis corruptione deesset. Unde et in laude ipsius Salomon applaudit, dicens: Pulchra es, et decora, filia Jerusalem, terribilis ut castrorum acies ordinata. Virgo quippe Maria merito filia Jerusalem vocatur, quia ipsa fuit filia visionis pacis, idest filia et mater illius, qui fecit pacem iis qui erant longe a Deo, idest gentilibus idololatris, et iis, qui prope, scilicet Judæis, qui propinqui erant Deo per cognitionem legis.

℟. Ego Mater pulchræ dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctæ spei: in me gratia omnis viæ et veritatis: * In me omnis spes vitæ et virtutis.

℣. Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, et a generationibus meis implemini. In me.

Lectio II.

Hæc filia Jerusalem pulchra est per internarum decorem virtutum, et decora est per exemplum virginitatis, quod toti exhibuit mundo. Unde et de hac civitate jure gloriosa, et magnalia dicuntur. Nonne gloriosum enim est valde quod de ea ipse David pater ejus in hoc eodem psalmo dicit: Homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus? Impossibile est enim quantum ad alios homines, ut aliquis sit fundator civitatis in qua nascitur, quia antequam sit natus, non potest fundare civitatem. Sed Christus, qui est Altissimus,

Digitized by Google

per hoc quod Deus est, ante omnia tempora fundavit civitatem hanc, id est matrem creavit, et tamen ut homo in fine temporum natus est in ea, sumendo carnem ex ea.

℟. Spiritus meus super mel dulcis, et hæreditas mea super mel et favum: qui audit me, non confundetur, * Et qui operantur in me non peccabunt.

℣. Qui elucidant me, vitam æternam habebunt. Et qui. Gloria Patri. Et qui.

Lectio III.

Mirabile est ergo, et gloriosum in hac civitate, quod ille qui fundavit eam natus est in ea. Gloriosum enim fuit, et admirabile, quod in figura istius civitatis virga Aaron subito floruit in templo. Significabat enim, quod hæc gloriosa Virgo, quæ secundum Isaiam fuit virga de radice Jesse, genuit florem Christum, qui est flos campi, id est mundi, et lilium convallium secundum Salomonem, et eum non ex æstu mentis, sed ex superveniente Spiritu Sancto concepit. Unde idem Salomon in Canticis Canticorum gloriam istius Virginis decantat, dicens: Hortus conclusus, soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus: emissiones tuæ paradisus. Virgo quippe Maria fuit hortus, in quo varii flores virtutum erant: et conclusus, quia undique munitus virginitate: est et fons signatus sigillo sacrosanctæ Trinitatis.

Hymnus. Te Deum, *vel* Te Matrem Dei.

LXXXI.

Sermo Sancti Athanasii Episcopi Alexandrini.

Orat. in Annunt. Sanctissimæ nostræ Deiparæ.

Lectio I.

Adest Regina a dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate, eo quod secundum sexum fœmineum, Regina, et Domina, et mater Dei appellari debeat. Eaque nunc ut Regina assistens a dextris Filii sui ubique regnantis, quasi in vestitu deaurato, incorruptionis, et immortalitatis, circumamicta varietate, sacris et so-

Digitized by Google

lemnibus verbis celebratur, non quidem secundum spiritualem simplicitatem, aut quasi sine corpore, et carne assistat, sed quod induta sit (quantum spectat ad sanctissimam ejus carnem) incorruptibilitate, et immortalitate. Nam ex carne ejus, et ex ossibus ejus veluti ex veteri Adamo, novus iste Adam, ut vicem ejus impleret, costam sibi finxit, nimirum istam Incarnationem, eamque semel indutam, perpetuo gestat.

℟. Benedicta, et venerabilis es, Virgo Maria: * Quæ sine tactu pudoris inventa es Mater Salvatoris.

℣. Virgo Dei Genitrix, quem totus non capit orbis, in tua se clausit viscera factus homo. Quæ.

Lectio II.

DICAMUS igitur iterum, atque iterum, et semper, et in perpetuum beatissimam. Sicuti ergo cum ad ipsum respicimus, Regem, Dominum, et Deum appellamus; ita quoque cum ad eam oculos injicimus, Reginam, Dominam, et Deiparam esse animadvertimus, idque contemplatione oculi mentalis. Adest Regina a dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate. Et jam, scilicet, audi filia Davidis et Abrahæ, et inclina aurem tuam ad preces nostras, et ne obliviscaris populi tui, neque nostri, quia sumus de familia, et de domo patris tui. Parentes enim tui sumus secundum generis, prosapiæque rationem, nostraque filia es, quia ex nobis genita.

℟. Per te, Dei Genitrix, nobis est vita perdita data: * Quæ de cælo suscepisti prolem, et mundo genuisti Salvatorem.

℣. Recordare, Virgo Maria, in conspectu Dei, ut loquaris pro nobis bona, et ut avertat indignationem suam a nobis. Quæ. Gloria Patri. Quæ.

Lectio III.

DECET enim te matrem, regeneratricem, Dominam, et heram cognominari, eo quod ex te prodiit Rex Dominus, ac Deus noster; assistentem illi, qui nobis quidem ter-

Digitized by Google

ribilis, tibi autem dulcis, omnemque gratiam largienti. Qua de causa factum est, ut gratia plena appellata sis, utpote quæ omni gratia abundares, idque per superventum in te Spiritus Sancti: ideoque vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis, ditati, scilicet, istiusmodi bonis, et spiritualibus contemplationibus. Ad te clamamus, recordare nostri, sanctissima Virgo, quæ etiam in partu virgo permansisti, et tribue nobis pro exiguis istis eloquiis magna dona ex divitiis tuarum gratiarum, tu quæ gratia plena es.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

LXXXII.

Sermo Sancti Augustini Episcopi.

Serm. 2. in libro de Symboli expositione, et Dominicæ orationis.

Lectio I.

Qui venerat abolere malum originale, quod trahimus omnes nati ex commixtione maris, et fœminæ, conveniens erat, ut lege peccati nostri, quæ per duorum concubitum verificatur in prole, Dei mater non teneretur obnoxia. Virgo autem idcirco peperit, quia sicut decebat, ut vulva Virginis, quæ Verbum Domini, ut caro fieret, susceperat; et sicut in conceptione nullam corruptelæ libidinem sustinuerat, sic et in partu-ritione nulla experiretur virginitatis dispendia. Si enim per verbum Dei redintegrantur corrupta, quanto magis servantur intacta? Si autem quomodo fuerit quisque requirat; agnoscat fuisse miraculum, si quemadmodum gestum est, potuerit inveniri quæsitum.

℟. Ornatam monilibus filiam Jerusalem Dominus concupivit; et videntes eam filiæ Sion, beatissimam prædicaverunt, dicentes: * Unguentum effusum nomen tuum.

℣. Astitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate. Unguentum.

Lectio II.

Intemerata servatur virginitas, solvuntur

naturæ dum infans convalescit in Virgine. Dum vero impletum est tempus, ut pareret, expositus est partus sacer, cujus parentum nullus cognoverat. Hæc est ineffabilis conditio nuptialis Verbi, et carnis Dei et hominis. Itaque vere factus est inter Deum et hominem mediator Dei, et hominum homo Christus Jesus: et ideo ad pretiosissimum convivii thalamum electus est Virginis uterus. Et quia ex peccati sordibus squalidus effectus fuerat mundus, veniens Creator mundi ex mundis visceribus effusus in mundo, et novo miraculo natus in mundo, ut immundum mundum reddat mundum. Venit enim, ut ipse ait, Filius hominis, non ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.

℟. Congratulamini mihi omnes, qui diligitis Dominum, quia cum essem parvula placui Altissimo; * Et de meis visceribus genui Deum et hominem.

℣. Beatam me dicent omnes generationes, quia ancillam humilem respexit Deus.

Et de meis.

Gloria Patri.

Et de meis.

Lectio III.

Dic mihi, jam quæso, Sancti Sanctorum mater, quemadmodum materni odoris lilium convallium nivei coloris sine succo humanæ propaginis, et sine imbre carnalis seminis in sinu Ecclesiæ geminasti? Dic mihi, quæso, unica mater, quibus manibus, vel quo Deitatis articulo in utero tuo formatus sit Filius, cujus Deus solus est Pater? Dic, inquam, mihi, quid boni egisti, quantum præmium obtulisti, ut et virtus et sapientia Patris, quæ attingit a fine usque in finem fortiter, et disponit omnia suaviter, totus ubique manens, et sine ulla sua mutabilitate in uterum tuum veniens, ita castellum castum tui ventris incolaret, ut et ingrediens non læderet, et exiens incolumem custodiret?

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

Digitized by Google

LXXXIII.

Ex Libro Sancti Anselmi Episcopi.

De quatuor virtutibus Beatæ Mariæ. Cap. 6.

Lectio I.

Huic puellæ sic virtutum diademate redimitæ, totum se infudit Dei filius, bona illa virginalis animi, suo potissimum adventu custodiens. Namque ipse non solum justus, sed et ipsa est justitia, cui dicitur in Psalmo: Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem. Matrem ergo suam jam justam, justitia Dei penetrans, unxit eam oleo exultationis, idest, Spiritu Sancto, præ omnibus participibus suis, idest, omnibus virginibus. Fæcunditatem Matri conferens, virginitatem non auferens ipse non solum sapiens, sed ipsa Dei sapientia est, et in eo requiescunt omnes thesauri sapientiæ etiam corporaliter.

℟. Beatam me dicent omnes generationes; * Quia fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen ejus.

℣. Et misericordia ejus a progenies in progenies timentibus eum. Quia.

Lectio II.

Inveniens ergo sapientem puellam, sapientem servavit Dei sapientia, idest, mundam custodivit corde et corpore. Siquidem scriptum est: In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Ipse est temperans, et ipsa temperantia, sicut dixit in Canticis: Ego lilium convallium, idest, flos humilium. Idemque in Evangelio: Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde. Dignatione ergo sua humilitatem Virginis acceptans, plena divinitate, in ejus influxit gremium, ut dicit Propheta: Super quem requiescam, nisi super humilem, et quietum? Itemque ipsa in Evangelio: Quia respexit humilitatem ancillæ suæ.

℟. Felix namque es, Sacra Virgo Maria, et omni laude dignissima:* Quia ex te ortus est Sol iustitiæ, * Christus Deus noster.

℣. Ora pro populo,

Digitized by Google

interveni pro clero, intercede pro devoto fœmineo sexu; sentiant omnes tuum iuvamen quicumque celebrant tuam sanctam commemorationem. Quia. Gloria Patri. Christus.

Lectio III.

IPSE etiam est non solum fortis, sed et fortitudo Dei, per quem fecit Deus Pater omnia ex nihilo. Qui fortis Diaboli, fortior superveniens expoliavit atria, et divisit spolia. Non ergo fortitudinem matris enervem reddidit, sed sua potentia sublimavit ut esset imperiosa creaturæ totius hera, concilians, et demulcens superos, deturbans, et exterrens inferos. Eam scrutans corda, et renes Deus, ex omnibus virginibus quas capiebat mundus elegit, et sanctificavit, ut habitaret in ea corporaliter, quam jam plenam pridem supradictis virtutibus, fovebat, et circumplectebatur spiritualiter.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

LXXXIV.

Sermo Sancti Petri Damiani Episcopi.

Sermone 45. in Nativitate Beatæ Mariæ Virginis.

Lectio I.

CUM Beatissimæ Dei Genitricis laudes tractare suscipimus, nulla inveniemus verba, quibus ad hæc digne exprimenda sufficere valeamus. Quæ enim lingua explicare sufficiat cum cogitare cæperit, quia Creator oritur ex creatura, Factor fit ex factura? Quod in virginea puellæ vulva concipitur, qui vastissima totius mundi amplitudine non tenetur? Jacet intra materna viscera parvulus, qui cum coeterno Patre rerum omnium jura gubernat immensus. O beata ubera, quæ dum tenue lac puerilibus labris infundunt, Angelorum cibum et hominum pascunt! Exiguum exprimunt liquorem, et mundi reficiunt Creatorem. Manat liquor ex uberibus Virginis, et in carnem vertitur Salvatoris.

℟. Regina mundi dignissima Maria, Virgo

Digitized by Google

perpetua;* Intercede pro nostra pace, et salute.

℣. Quæ genuisti Christum Dominum, Salvatorem omnium. Intercede.

Lectio II.

HIC perpendite, fratres, hic rogo, quam debitores sumus huic beatissimæ Dei Genitrici, quantasque illi post Deum de nostra redemptione gratias agere debeamus. Illud siquidem Corpus Christi, quod beatissima Virgo genuit, quod in gremio fovit, quod in fasciis cinxit, quod materna cura nutrivit; illud, inquam, absque ulla dubietate, non aliud, nunc de sacro altari percipimus, et ejus sanguinem in Sacramentum nostræ redemptionis haurimus. Hoc Catholica fides habet, hoc sancta Ecclesia fideliter docet.

℟. Beata es, Virgo Maria, quæ Dominum portasti Creatorem mundi:* Genuisti, qui te fecit, et in æternum permanes Virgo.

℣. Ave Maria, gratia plena: Dominus tecum. Genuisti. Gloria Patri. Genuisti.

Lectio III.

NULLUS ergo humanus sermo in laudes ejus invenitur idoneus, de qua mediator Dei et hominum cognoscitur incarnatus. Impar est illi omne humanæ linguæ præconium, quæ de intemeratæ carnis suæ visceribus cibum nobis protulit animarum: illum videlicet, qui de semetipso perhibet, dicens: Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi: si quis ex hoc pane manducaverit, vivet in æternum. Per cibum namque a Paradisi sumus amænitate dejecti, per cibum quoque ad Paradisi gaudia reparati. Cibum comedit Eva, per quam nos æterni jejunii fame mulctavit: cibum Maria edidit, qui nobis cælestis convivii aditum patefecit.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

LXXXV.

Sermo Sancti Anastasii Synaitæ Episcopi.

Sermone 2, in laudatissimæ Dominæ nostræ Dei Genitricis Annunt.

Lectio I.

BEATA Dei Genitrix illa virga fuit cujus semen

tem Angelus Gabriel jecit, quoniam Christum Dei virtutem, Spiritus Sancti operatione, de ipsa nasciturum annuntiavit. Unde Propheta virgam virtutis ejus eam appellat, quia ipse Filius, qui est Dei virtus et Dei sapientia, sicut flos de virga, sic de beatæ Virginis natura secundum carnem processit. Vel virga virtutis appellata est, quia in humanitate, quam assumpsit de illa, hostem illum antiquum potenter prostravit, sicut et Abacuc Propheta testatur, dicens: Cornua in manibus ejus, (crucis subintellige) ibi abscondita est fortitudo ejus. Dicit ergo Propheta: O Christe Domine, emitte ex Sion, hoc est, de gente Judæorum, virgam virtutis tuæ, videlicet, beatam Virginem Mariam.

℟. Benedicta filia tua Domino, quia per te fructum vitæ communicavimus: * Sola sine exemplo placuisti Domino nostro Jesu Christo.

℣. Nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris, et a periculis cunctis libera nos, Sancta Dei Genitrix. Sola.

Lectio II.

Hæc est illa virga Moysis, quæ Dracones Ægyptiorum devoravit. Quippe quæ prænuntiata est a Moyse, et a Prophetis, venena peccatorum, et tenebras hujus mundi per Solem justitiæ de se procedentem illuminavit. Unde et in laudem ejus dicitur: Quia cunctas hæreses sola interemisti in universo mundo. Ipsa est Virga Aaron, quæ in tabernaculo posita, inter cæteras Tribuum Israel virgas floruit, et germinavit amygdala. Floruit plane pariendo Christum: germinavit amygdala quando multa justorum millia, suo exemplo ad vitæ novitatem convertit. Quare autem Maria virga sit appellata, in hoc virgæ similitudinem videmus ei convenire, quia virga est flexibilis, gracilis, recta, eminens, statura uniformis.

℟. Sancta, et immaculata virginitas, quibus te laudibus efferam ne-

*

Digitized by Google

scio: * Quia quem cæli capere non poterat, tuo gremio contulisti.

℣. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui.

Quia.

Gloria Patri.

Quia.

Lectio III.

QUONIAM ergo beata Dei Genitrix ab hac ponderositate peccati Spiritus Sancti virtute liberata est, recte per gracilitatem virgæ, puritas innocentiæ ejus intelligitur; cujus caro sic purificata, per Prophetam nubes levis appellatur, cum dicit: Ecce Dominus ascendit super nubem levem. In virgæ autem flexibilitate, virtus obedientiæ accipitur, quam in Maria invenies, ubi dicit: Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum. Disce, o radix peccatrix, favilla ignis æterni, disce, inquam, exemplo Mariæ Deo humiliari, et esse subjectus omni humanæ creaturæ propter Deum.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

LXXXVI.

Sermo Sancti Andræe Cretensis Archiepiscopi.

Orat 2. in Nativitate Dominæ nostræ Dei Genitricis.

Lectio I.

QUALEM puella Virgo a Deo vocatum nomen, per quam immaculata hæc Maria prolem utero meruerit suscipere? Quænam autem alia mulier talibus, totque unquam gloriæ insignibus admirationem habuit? Gaude, aveque gratiosa; gaude glorificata; gaude salutis universorum gaudere præstans anathema. Salve aurea vere spiritualium aromatum acerra, in qua spirituale thymiama Christus, ex divina pariter, et humana natura compositum, in igne deitate, inquam, animatæ suæ, ac intellectu præditæ carnis fragrantiam, inconfuse, indivise ostendit.

℟. Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui: * Propterea benedixit te Deus in æternum.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis: intercede pro nobis ad Dominum Deum nostrum. Propterea.

Digitized by Google

Lectio II.

SALVE non manufactum, ac factum a Deo tabernaculum, in quod semel in consummatione sæculorum, solus Deus, ac primus Pontifex ingressus est, ut in te sacra ac arcana ratione munus sacrum pro universis obiret. Sanctorum alterum velamen, in quo mundiale propitiatorium, ac præclara Cherubinorum obumbratio, quanto etiam ipsum adytorum Dominum intra uterum gestans, utero in velamento operuisti. Candelabrum ellychniorum, ac lucernarum septem; nempe donorum septem; in fusoriis illustratum Spiritus Sancti. Lucerna inextinguibilis, luminis omnia collustrantis, quam alit mystice oleum unctionis.

℟. Sicut cedrus exaltata sum in libano, et sicut cypressus in monte Sion: quasi myrrha electa * Dedi suavitatem odoris.

℣. Et sicut cinnamomum, et balsamum aromatizans. Dedi. Gloria Patri. Dedi.

Lectio III.

SALVE sis altare, in quo Agnus Christus vivum sacrificium spiritaliter offertur. Divinæ mensa initiationis, mentem omnem superantis sacri ministerii super quam panis ille cælestis, Christus Agnus ille pro omnibus tanquam hostia, victimaque vivus mactatus immolatur, vivificans omnes, qui percipiunt, et sumunt. Mystici totius cultus cimelium, quo Deus carne mactatur, ac universa sanctificat, spiritalique ratione cum hominibus conversans, in eis inhabitat ac percipitur, sustinetque ut versetur peccatorum manibus; atque ut labris luteis admoveatur, et in nostræ carnis pulverem refundatur commixtus, non vaporatione evanescens.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

LXXXVII.

Ex lib. S. Bonaventuræ Episcopi.

In Speculo B. Virg. lect. 5.

Lectio I.

QUIS immensitatem Beatissimæ Virginis Ma-

Digitized by Google

riæ potest mensurare? Cælum est Maria, tum quia cælesti puritate, cælesti claritate, cælestibus aliis virtutibus abundavit, tum quia sedes Dei altissima fuit, teste Propheta dicente: Dominus in cælo paravit sedem suam. Terra quoque Maria fuit, quæ fructum illum nobis protulit, de quo idem Propheta ait: Terra dedit fructum suum. Abyssus etiam est Maria in bonitate et misericordia profundissima: unde etiam profundissimam misericordiam filii sui pro nobis interpellat, quasi abyssus abyssum invocat; ita ut nemo sit, cui ejus benignitas comparari possit.

℣. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem: * Neque flumina obruent eam.

℣. Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam. Neque.

Lectio II.

Quis enim hujus cæli altitudinem, terræ latitudinem, abyssi profunditatem dimensus est, nisi ille solus, qui ipsam non solum in gratia et in gloria, sed etiam in misericordia tam altissimam, tam latissimam, tam profundam operatus est? Immensa certe fuit gratia, qua beata Virgo fuit plena. Immensum enim vas non potest esse plenum, nisi immensum sit istud, quo est plenum. Maria autem vas immensissimum fuit, ex quo illum, qui cælo major est, continere potuit. Quis est cælo major, nisi ille de quo Salomon ait: Si cælum et cæli cælorum te capere non possunt, quanto magis domus hæc, quam ædificavi? Non utique domus per Salomon ædificata, sed domus per illam significata Deum capere potuit.

℟. Beatus homo, qui audit me, et vigilat ad fores meas quotidie, et observat ad postes ostii mei: * Qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino.

℣. Qui autem in me peccaverit, lædet animam suam; omnes qui me oderunt, diligunt mortem. Qui. Gloria Patri. Qui.

Digitized by Google

Lectio III.

IPSA est illa, qua majorem Deus facere non posset. Majorem mundum posset facere Deus: majus cælum posset facere Deus: majorem matrem quam matrem Dei non posset facere Deus. Nec enim decebat Deum alia mater quam virgo, nec Virginem alius filius quam Deus: quia nec major inter matres, nec major inter filios nasci potuit. Ipsa namque signata est per illam Abigail, pro qua adducenda cum David nuntios misisset, respondit: Ecce famula tua sit in ancillam, ut lavet pedes servorum Domini mei. Per benedictam ancillam Mariam quasi tot servi Domini loti sunt, quot fideles ejus suffragiis mundati sunt.

Hymn. Te Deum, *vel* Te Matrem Dei.

LXXXVIII.

Sermo Sancti Amedæi Lausanensis Episcopi.

In homil. 4. de Christi nativitate.

Lectio I.

QUALITER Filium Dei beata Virgo peperit, advertamus. Peperit eum, salva virginitate, quia salvo pudore concepit. Peperit inviolata, quia illibata suscepit. Et quia in delictis non concepit, absque dolore peperit, nullum habens in conceptione contagium, nullum passa in partu discidium. Si enim, quod nefas est cogitare, in carnis voluptate conciperet, procul dubio in partu doleret, dicente Scriptura: Voluptas pœnam habet. Unde prima parens, omisso vero et æterno gaudio quo poterat in Dei sui amore, et contemplatione perfrui, fluxa carnis voluptate resoluta corruit, et per intemperantiam ignominiosam damna passionum, et diræ mortis aculeos toleravit.

℟. Diffusa est gratia in labiis tuis: *Propterea benedixit te Deus in æternum.

℣. Myrrha, et gutta, et casia a vestimentis tuis, a domibus eburneis, ex quibus te delectaverunt filiæ regum in honore tuo. Propterea.

Lectio II.

PORRO Dei Genitrix, nec in carne delectata, nec carne cruciata, et in con-

Digitized by Google

ceptione virginior, et in partu extitit sanior, obstetricante illa manu, de qua per Psalmistam Deo dicitur: Fiat manus tua ut salvet me. Manus quippe Dei, Unigenitus Patris appellatur, per quem fecit sæcula. Hæc manus facta est, quando incarnata, non solum nullum vulnus inflixit, verum attestante Propheta: Languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit. Plane manus ista plena remediis, plena medicinis, sanavit omnem languorem, morbos expulit, et mortuos suscitavit; inferni claustra dissipavit, fortem ligavit, et vasa ejus diripuit et spiritum charitatis suorum cordibus infudit.

℟. Beata es, Virgo Maria Dei Genitrix, quæ credidisti Domino, perfecta sunt in te, quæ dicta sunt tibi: * Intercede pro nobis ad Dominum Deum nostrum.

℣. Ave Maria, gratia plena; Dominus tecum. Intercede. Gloria Patri. Intercede.

Lectio III.

HAC igitur obstetricante manu, Maria non solum non doluit, verum etiam in partu virgo fuit. Hæc est illa janua, de qua in Ezechielis volumine legimus: Porta ista clausa erit Principi, et per eam Princeps egredietur. Per hanc nimirum Princeps regum terræ Christus egressus est; quam sicut in ingressu non aperuit, sic et in egressu non patefecit. Pertransiit in pace, et semita ejus non apparuit. Et si miraris clauso utero Mariæ, signatoque virginali pudicitia Deum natum, mirare, quod clauso, obseratoque aditu sepulchri ad superos rediit, et clausis januis ad Discipulos intravit. Non enim tollimus admirationem, sed incredulitatem arcemus.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

LXXXIX.

Ex libro Sancti Anselmi Episcopi.

De Excellentia Beatæ Virg. Mariæ. Cap. 9.

Lectio I.

SUMMA Dei sapientia, Sullam in massa creationis humanæ viam invenit, per quam, ut disposuerat, in mundum

Digitized by Google

veniens tam luctuosæ perditioni subveniret: donec ad istam, de qua loquimur, Virginem ventum esset. Sed hæc mox, ubi in mundum per humanæ generationis lineam venit, tanta omnis boni virtute, et substantia perfecte resplenduit, ut eam ipsa sapientia Dei vere dignam judicaret, per quam in hominem veniens, non modo reatum primorum hominum; sed et totius mundi peccata deleret, et diabolum sui operis inimicum cum suis eluderet: nec non damna cælestis patriæ, illuc hominem deducendo, reintegraret.

℟. Regina mundi dignissima Maria, Virgo perpetua. Intercede pro nostra pace, et salute.

℣. Quæ portasti Christum Dominum, Salvatorem omnium. Intercede.

Lectio II.

Quis igitur ista perpendens æstimare queat, qua laude digna sit, quæ tantorum beneficiorum sola præ cunctis effici meruit mediatrix? Liberati ergo a lege mortis, qua detinebamur, resurgimus in gloriam, quam in primo parente perdidimus; imo in ampliorem quam vel ipse in se, vel nos in ipso amisimus. Qui etenim adhuc etiam in carne mortali per fidem ad amissam gratiam seu patriam tendimus, in filiationem Dei per benedictum Filium benedictæ matris Mariæ transimus, eumdemque Filium ejus nobis fratrem ipso auctore arcessimus. Quod igitur tantum patrem, et tantum fratrem sortiti sumus, utique beatæ Mariæ adscribere debemus: cujus integerrima, et benedicta fœcunditate, in tantam dignitatem surreximus, quam quidem dignitatem nostra natura nequaquam adepta fuisset, si illius beatæ Mariæ fœcunda virginitas Deum de sua substantia non genuisset.

℟. Beata es Virgo Maria, quæ Dominum portasti creatorem mundi: * Genuisti, qui te fecit, et in æternum permanes Virgo.

℣. Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum. Genuisti. Gloria Patri. Genuisti.

Digitized by Google

Lectio III.

Cum igitur tam inæstimabili dignitatis honore, etiam in hujus mundi squaloribus degens per piæ matris Dei Mariæ merita humana natura sit exaltata, qualis quali gloria decorabitur, cum hunc ipsum fratrem suum, ejus omnipotenti Patri coæqualem in sua majestate regnantem adspexerit, ejusque regni cohæredes existens, perpetua et incommutabili glorificatione vultum ipsius præsens constituerit? Omnis itaque creatura defert eis honorem, non solum quia videbunt naturæ ipsorum consortem esse suum Creatorem, sed etiam quia Dominam summam, et unicam dominatricem cæli et terræ Mariam ex his conspiciunt esse factam reginam Angelorum.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

XC.

Sermo S. Procli C.P. Ep. *Orat. 3. de laud. Sanctæ Dei Genitr.*

Lectio I.

Quibus laudum præconiis incontaminatum exornabo castimoniæ characterem beatissimæ Virginis Deiparæ? Est hæc penetrale innocentiæ sacrarium: est sanctificatum Dei templum: aureum altare holocaustomatum: divinum compositionis thymiama: sacrum unctionis oleum: pretiosum nardi pistici alabastrum: Hæc sacerdotale Ephod divinam signans voluntatem: Hæc aureum candelabrum septem ellychniorum lucernam portans. Hæc arca intrinsecus et extrinsecus deaurata, corpore scilicet et spiritu sanctificata, in qua erat thuribulum aureum, et urna aurea habens manna, ac reliqua complectens. Hæc primogenita illa jugi expers, ac rufa vitula, cujus cinis, Domini scilicet corpus ex ea assumptum, inquinatos ab impura peccatorum lue emundat, atque sanctificat.

℟. Quæ est ista, quæ processit sicut Sol, et formosa tanquam Jerusalem? * Viderunt eam Filiæ Sion, et beatam dixerunt, et Reginæ laudaverunt eam.

℣. Et sicut dies verni circumdabant eam flores

rosarum et lilia convallium. Viderunt.

Lectio II.

Hæc porta ad orientem respiciens, propter Domini per eam ingressum egressumque in perpetuum clausa. Hæc novus novi testamenti tomus per quam festine spoliatum est imperium dæmonum, citoque humana dirempta captivitas. Hæc trina humani generis mensura, in qua ineffabilis Dei sapientia fermentum bonitatis suæ abscondit. Hæc paternæ benedictionis ager, in qua Dominicæ dispensationis thesaurus repositus fuit. Hæc navis regia, quæ de Tharsis divitias portat: quæ, inquam, cælestis Regis Jerusalem ex gentilium regione Gentium conversionem afferat. Hæc pulchra Canticorum sponsa, quæ veterem exuit tunicam, ac sponsum immortalem in suo ipsius thalamo reverenter suscepit. Hæc incontaminatum vellus in mundi area positum, in quam salutis pluvia e cælo descendens, terram universam ab omni malo siccavit.

℟. Ego diligentes me diligo; * Et qui mane vigilant ad me, invenient me.

℣. Mecum sunt divitiæ et gloria, opes superbæ et justitia. Et qui. Gloria Patri. Et qui.

Lectio III.

Hæc oliva fructifera plantata in domo Domini, ex qua Spiritus Sanctus dominici corporis ramum accipiens, tempestate jactato humano generi detulit, fauste de cælo annuntians pacem. Ipsa floridus ac immarcescibilis hortus, in qua lignum vitæ plantatum universis libere fructum immortalitatis præbet. Ipsa novæ creaturæ cælestis globus, in qua Sol justitiæ nunquam occidens, omnem ab anima peccatorum noctem fugavit. Ipsa virginum gloriatio, matrum exultatio, fidelium sustentatio. Ipsa Ecclesiæ diadema, recte fidei expressa forma, pietatis signaculum, veritatis norma, indumentum temperantiæ, sanctæ Trinitatis domicilium.

Hymnus. Te Deum, *vel* Te Matrem Dei.

Digitized by Google

DIE XXIII. JANUARII

IN FESTO

DESPONSATIONIS B. M. V.

CUM SANCTO JOSEPH.

Ad Vesperas, ad Laudes et per Horas.

Ant. Desponsatio gloriosæ virginis Mariæ, ex semine Abrahæ, ortæ de tribu Juda, clara ex stirpe David. *Psalmi ut in Dominica.*

Ant. Desponsatio est hodie sanctæ Mariæ Virginis, cujus vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias.

Ant. Regali ex progenie Maria exorta refulget, cujus precibus nos adjuvari mente et Spiritu devotissime poscimus.

Ant. Corde et animo Christo canamus gloriam, in hac sacra solemnitate præcelsæ genitricis Dei Mariæ.

Ant. Cum jucunditate Desponsationem beatæ Mariæ celebremus, ut ipsa pro nobis intercedat ad Dominum Jesum Christum.

Capitulum et Hymnus ad Vesperas ut in Appendice.

℣. Desponsatio est hodie Sanctæ Mariæ Virginis.

℟. Cujus vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias.

AD MAGNIFICAT.

Ant. Gloriosæ Virginis Mariæ Desponsationem dignissimam recolamus, quæ et genitricis dignitatem obtinuit, et virginalem pudicitiam non amisit.

ORATIO

FAMULIS tuis, quæsumus Domine, cælestis gratiæ munus impertire: ut quibus beatæ Virginis partus extitit salutis exordium, Desponsationis ejus votiva solemnitas, pacis tribuat incrementum. Per Dominum.

Digitized by Google

AD MATUTINUM.

Invitatorium.

Desponsationem Virginis Mariæ celebremus, * Christum ejus Filium adoremus Dominum.

Psal. Venite exultemus. *pag. 1.*

Hymnus et Psalmi ad Noct. ut in Appendice.

Sermo Sancti Ambrosii Episcopi.

Comment. in Luc. Lib. 1. Cap. 2.

Lectio I.

LATENT quidem divina mysteria, nec facile, juxta propheticum dictum, quisquam hominum potest scire consilium Dei. Sed tamen ex cæteris factis atque præceptis Domini Salvatoris possumus intelligere et hoc perpensioris fuisse consilii, quod ea potissimum electa est, ut Dominum pareret, quæ erat desponsata viro. Cur autem non antequam desponsaretur impleta est? Fortasse ne diceretur, quod conceperat ex adulterio. Et bene utrumque posuit scriptura, ut et desponsata esset, et virgo. Virgo, ut expers virilis consortii videretur; desponsata, ne temeratæ virginitatis adureretur infamia, cui gravius alvus corruptelæ videretur insigne præferre.

℟. Beatissimæ Virginis Mariæ Desponsationem devotissime celebremus: * Ut ipsa pro nobis intercedat ad Dominum Jesum Christum.

℣. Cum jucunditate desponsationem beatæ Mariæ Virginis devotissime celebremus. Ut ipsa.

Lectio II.

MALUIT autem Dominus aliquos de sui ortu, quam de matris pudore dubitare. Sciebat enim teneram esse Virginis verecundiam, et lubricam famam pudoris, nec putavit ortus sui fidem matris injuriis adstruendam. Servatur itaque sanctæ Mariæ sicut pudore integra, ita inviolabilis opinione virginitas. Nec decuit sinistra opinione virginibus viventibus velamen excusationis relinqui, quod infamata mater quoque Domini videretur. Quid autem Judæis,

Digitized by Google

quid Herodis posset adscribi, si natum viderentur ex adulterio persecuti? Quemadmodum autem ipse diceret: Non veni legem solvere, sed adimplere: si videretur cæpisse a legis injuria, cum partus innuptæ lege damnetur?

℟. Gloriosæ Virginis Mariæ Desponsationem dignissimam recolamus:* Cujus Dominus humilitatem respexit, quæ Angelo nuntiante concepit Salvatorem mundi.

℣. Beatissimæ Virginis Mariæ Desponsationem devotissime celebremus. Cujus. Gloria Patri. Cujus.

Lectio III.

QUIN etiam locupletior testis pudoris maritus adhibetur, qui posset et dolere injuriam, et vindicare opprobrium, si non agnosceret sacramentum. Et ideo, qui incarnationis incorruptum susceperat probare mysterium, non putavit uberius prosequendum virginitatis Mariæ testimonium, ne defensor magis Virginis, quam assertor mysterii crederetur. Certe quando jus-tum docuit Joseph, satis declaravit, quod Sancti Spiritus templum, uterum mysterii, matrem Domini violare non potuit. Didicimus seriem veritatis, didicimus consilium: discamus et mysterium. Bene desponsata, sed virgo: quia est Ecclesiæ typus, quæ est immaculata, sed nupta. Concepit nos virgo de Spiritu, parit nos Virgo sine gemitu.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

Capitulum et Hymnus ad Laudes, ut in Appendice.

℣. Desponsatio est hodie etc.

AD BENEDICTUS.

Ant. Desponsationem perpetuæ Virginis genitricis Dei Mariæ solemniter celebremus, qua celsitudo throni processit. Alleluja.

Oratio ut supra. Capitula et Responsoria brevia ut in Appendice.

In secundis Vesperis,

AD MAGNIFICAT.

Ant. Desponsatio tua, Dei Genitrix Virgo, gaudium annuntiavit uni-

Digitized by Google

verso mundo: ex te enim ortus est sol justitiæ, Christus Deus noster, qui solvens maledictionem, dedit benedictionem: et confundens mortem, donavit nobis vitam sempiternam.

DIE XXIV. JANUARII.

Secunda die infra Octavam Desponsationis Beatæ Mariæ V.

Omnia ut in Festo præter Lectiones.

Sermo Ven. Bedæ Presbyteri.

Homil. in Vig. Natalis Domini.

Lectio I.

DECEBAT quidem omnimodis, ut cum Deus homo propter homines fieri vellet, non alia quam virgine matre nasceretur: cum virginem generare contingeret, non alium quam qui Deus esset Filium procrearet. Cum esset, inquit Lucas Evangelista, desponsata mater ejus Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto. Notandum in primis in eo verbo quod ait: Antequam convenirent: verbo conveniendi non ipsum concubitum, sed nuptiarum quæ præcedere solent tempus insinuatum, quando ea quæ prius sponsata fuerat, esse conjux incipit. Ergo antequam convenirent dicit, antequam nuptiarum solemnia rite celebrarent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto.

℟. Desponsata est hodie beata Virgo Maria ex progenie David: * Per quam salus mundi credentibus apparuit, cujus vita gloriosa lucem dedit sæculo.

℣. Desponsationem beatæ Mariæ Virginis cum gaudio celebremus. Per quam.

Lectio II.

SIQUIDEM memorato ordine postea convenerunt, quando Joseph ad præceptum angeli accepit conjugem suam, sed non concumbebant, quia sequitur: et non cognoscebat eam. Inventa est autem in utero novens a nullo alio quam Joseph, qui licentia maritali futuræ uxoris pene omnia noverat, ideoque tumentem ejus uterum mox curioso deprehendit intui-

Digitized by Google

tu. Joseph autem cum esset vir justus, voluit occulte dimittere eam. Videns Joseph sponsam concepisse suam, quam bene noverat a nullo viro fuisse attactam, cum esset justus et juste omnia vellet agere, optimum duxit ut neque hoc aliis proderet, neque ipse eam acciperet uxorem, sed mutato occulte nuptiarum proposito, in conditione eam sponsæ manere pateretur ut erat.

℟. Cum jucunditate Desponsationem beatæ Mariæ celebremus: * Ut ipsa pro nobis intercedat ad Dominum Jesum Christum.

℣. Corde et animo Christo canamus gloriam in desponsatione præcelsæ genitricis Dei Mariæ. Ut ipsa. Gloria Patri. Ut ipsa.

Lectio III.

Sed si eam Joseph occulte dimitteret, neque acciperet conjugem, et illa sponsa pareret, nimirum perpauci essent, qui eam virginem et non potius autumarent esse meretricem. Unde consilium Joseph repente consilio meliore mutatur, ut videlicet ad conservandam Mariæ famam, ipse eam, celebrato nuptiarum convivio, conjugem acciperet, sed castam perpetuo custodiret. Nam sequitur: Hæc autem eo cogitante, ecce angelus Domini in somnis apparuit ei, dicens: Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam. Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est. Pariet autem filium, et vocabis nomen eius Jesum. Quibus profecto verbis modus conceptionis simul et dignitas partus edocetur.

Hymnus. Te Deum, *vel* Te Matrem Dei.

DIE XXV. JANUARII.

Tertia die infra Octavam Desponsationis B. M. V.

Omnia ut in Festo præter Lectiones.

Sermo S. Bernardi Abb.

Ex homil. 2. de Laud. V. Matris.

Lectio I.

Quid sapientius, quid dignius divina providentia? Uno tali consilio secretis cælestibus et ad-

Digitized by Google

mittitur testis, et excluditur hostis, et integra servatur fama Virginis Matris. Alioquin quando pepercisset justus adulteræ? Scriptum est autem: Joseph autem vir ejus cum esse justus, et nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam. Bene, cum esset justus, noluit eam traducere: quia sicut nequaquam justus esset, si cognitam ream consensisset: sic nihilominus justus non esset, si probatam innoxiam condemnasset. Cum ergo esset justus, et nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam. Propter hoc Joseph occulte et non palam voluit dimittere eam, ne videlicet divortii causa inquireretur, exigeretur ratio.

℟. Beatissimæ Virginis Mariæ Desponsationem devotissime celebremus: * Ut ipsa pro nobis intercedat ad Dominum Jesum Christum.

℣. Cum jucunditate desponsationem beatæ Mariæ Virginis devotissime celebremus.

Ut.

Lectio II.

Quid enim vir justus responderet populo duræ cervicis, populo non credenti et contradicenti? Si diceret quod sentiebat, quod de illius puritate comprobaverat, nonne mox increduli, et crudeles Judæi subsannarent illum, lapidarent illam? Quando namque veritati crederent tacenti in utero, quam postea contempserunt clamantem in templo? Quid facerent necdum apparenti, cui postmodum impias manus injecerunt etiam miraculis coruscanti? Merito ergo vir justus, ne aut mentiri, aut diffamare cogeretur innoxiam, voluit occulte dimittere eam. Hæc autem, eo cogitante, scilicet, quod occulte dimitteret eam, apparuit ei Angelus in somnis, dicens ei: Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam. Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est.

℟. Gloriosæ Virginis Mariæ Desponsationem dignissimam recolamus:* Cujus Dominus humilita-

Digitized by Google

tem respexit, quæ, Angelo nuntiante, concepit Salvatorem mundi.

℣. Beatissimæ Virginis Mariæ Desponsationem devotissime celebremus. Cujus. Gloria Patri. Cujus.

Lectio III.

ITAQUE propter istas rationes desponsata est Maria Joseph, vel potius, sicut ponit Evangelista, viro, cui nomen erat Joseph. Virum nominat, non quia maritus, sed quod homo virtutis erat. Vel potius quia, juxta alium Evangelistam, non vir simpliciter, sed vir ejus dictus est, merito appellatur quod necessario putatur. Debuit ergo vir ejus appellari, quia necesse fuit et putari: sicut et pater Salvatoris non quidem esse, sed dici meruit, ut putaretur esse, dicente hoc ipso Evangelista: Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur filius Joseph. Nec vir ergo matris, nec filii pater extitit, quamvis certa (ut dictum est) et necessaria dispensatione utrumque ad tempus et appellatus sit, et putatus.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

DIE XXVI. JANUARII.

Quarta die infra Octavam Desponsationis B. Mariæ V.

Omnia ut in Festo præter Lectiones.

Sermo Sancti Petri Chrysologi.

In Sermone 145.

Lectio I.

CÆLESTIS hospes, supernus habitator sic in uteri descendit hospitium, ut corporis claustra nesciret: et de habitaculo ventris exiit, ut virginalis janua non pateret, et implere illud, quod cantatur in Canticorum Canticorum: Hortus conclusus, soror mea Sponsa, hortus conclusus, fons signatus. Joseph fili David noli timere. Cum, inquit, ita cogitaret, cum his angustiis æstuaret, cum quid faceret, dubitaret: Ecce Angelus Domini, ecce nuntius cælestis, ecce Gabriel conciliator Virginis, ejusque conscius castitatis, cui hæc secreta erant commissa,

Digitized by Google

cui hæc mysteria revelata fuerant, apparuit Joseph in somnis. Et bene quidem in somnis: si enim Joseph non dormisset, si extra se non fuisset, si mentis oculos apertos habuisset, si solem, qui jam in Maria oriebatur, Spiritu Sancto revelante, cognovisset, procul dubio nihil tale cogitare potuisset.

℟. Hodie Desponsata est beata Virgo Maria ex progenie David: * Per quam salus mundi credentibus apparuit, cujus vita gloriosa lucem dedit sæculo.

℣. Desponsationem beatæ Mariæ Virginis cum gaudio celebremus. Per quam.

Lectio II.

Joseph fili David noli timere. Quam vides virtus est ista, non crimen: hic non humanus lapsus est, sed est divinus illapsus: hic præmium est, non reatus: hic incrementum cæli est, non corporis detrimentum: hic non est proditio personæ, judicis est secretum: hic palma cognitoris est, non supplicii pœna: hic hominis furtum non est, thesaurus est Dei: hic non est mortis causa, sed vitæ. Et ideo noli timere, quia, quæ vitam parturit, non meretur occidi. Sponsam vocari conjugem legis est, hoc divinæ; sicut ergo manente Virginitate Mater est, ita conjux dicitur pudore permanente. Virgo concipit, sed de Spiritu: virgo parit, sed eum quem prædixit Isaias: Ecce virgo in utero concipiet, et pariet filium; et vocabunt nomen ejus Emanuel, quod interpretatur nobiscum Deus.

℟. Cum jucunditate Desponsationem beatæ Mariæ celebremus: * Ut ipsa pro nobis intercedat ad Dominum Jesum Christum.

℣. Corde, et animo Christo canamus gloriam in hac desponsatione præcelsæ genitricis Dei Mariæ. Ut ipsa. Gloria Patri. Ut ipsa.

Lectio III.

Noli igitur timere, noli dubitare, tolle suspicionem: non est ut co-

Digitized by Google

gitas, nondum cognoscis hanc virginem, nondum bene vidisti Mariam conjugem tuam. Ipsa enim est templum Dei, ipsa est porta cæli, ipsa est Domina tua, quam putas esse sponsam tuam. Accipe igitur eam, jam nunc quasi Dominam, non quasi conjugem, accipe eam non tibi traditam, sed commodatam. Sis ei obediens, non imperans ut maritus. Quare hoc? Quia quod in ea natum est de Spiritu Sancto est. Sufficiebat hoc audire, sufficiebat et credere. Non quæramus qualiter de virgine incarnatus, et qualiter de Spiritu Sancto natus est Christus. Credidit enim Virgo Maria et concepit. Hoc enim testatur Elisabeth: Beata, inquit, quæ credidisti, quia perficientur in te quæ dicta sunt tibi a Domino.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

DIE XXVII. JANUARII.

Quinta die infra Octavam Desponsationis B. Mariæ V.

Omnia ut in Festo præter Lectiones.

Sermo Venerabilis Bedæ Presbyteri.

Ex Homilia in Annuntiatione V. M.

Lectio I.

APTUM profecto, humanæ restaurationis principium, ut Angelus a Deo mitteretur ad Virginem partu consecrandam divino, quia prima perditionis humanæ fuit causa, cum serpens a diabolo mittebatur ad mulierem spiritu superbiæ decipiendam: imo ipse in serpente diabolus veniebat, qui genus humanum, deceptis parentibus primis, immortalitatis gloria nudaret. Quia ergo mors intravit per fœminam, apte redit et vita per fœminam. Illa a diabolo seducta per serpentem viro gustum neci obtulit, hæc a Deo edocta per Angelum mundo auctorem salutis edidit. Quod autem dicitur de domo David, non tantum ad Joseph, sed etiam pertinet ad Mariam.

℟. Hodie desponsata est beata Virgo Maria ex progenie David: * Per quam salus mundi credentibus apparuit, cujus vita gloriosa lucem dedit sæculo.

℣. Desponsationem beatæ Mariæ Virginis cum gaudio celebremus. Per quam.

Lectio II.

LEGIS namque erat præceptum, ut de sua quisque tribu ac familia duceret uxorem, Apostolo quoque testante, qui ad Timotheum scribens, ait: Memor esto Dominum Jesum Christum resurrexisse a mortuis ex semine David secundum Evangelium meum. Ideo enim veraciter ex semine David ortus est Christus, quia incorrupta ejus genitrix veram de stirpe David originem duxit. Cur autem Dominus non de simplici virgine, sed de desponsata viro concipi et nasci voluerit, plurimæ a Patribus rationabiles causæ proferuntur, e quibus permaxima est, ne velut stupri rea damnaretur, si virum non habens filium procrearet: deinde, ut in his etiam quæ domestica cura naturaliter exigebat, puerpera solatio sustentaretur virili.

℟. Beatissimæ Virginis Mariæ Desponsationem devotissime celebremus: * Ut ipsa pro nobis intercedat ad Dominum Jesum Christum.

℣. Cum jucunditate Desponsationem Beatæ Mariæ Virginis devotissime celebremus. Ut. Gloria Patri. Ut.

Lectio III.

OPORTEBAT ergo beatam Mariam habere virum, qui et testis integritatis ejus certissimus, et nati ex ea Domini ac Salvatoris nostri esset nutritius fidelissimus: quippe et pro parvulo, secundum legem, hostias ad templum deferret, et eum instante persecutionis articulo in Ægyptum cum matre ferret et referret, aliaque illi perplura, quæ assumptæ humanitatis fragilitatis poscebat, necessaria ministraret. Nec multum obfuit, si quis illum ad tempus ejus filium credidit, cum prædicantibus Apostolis post ascensionem ejus cunctis palam credentibus, quod de Virgine natus esset, patuerit. Nec prætereundum quod beata Dei ge-

Digitized by Google

nitrix meritis præcipuis etiam nomine testimonium reddidit. Interpretatur enim stella maris. Et ipsa quasi sidus eximium inter fluctus sæculi labentis gratia privilegii specialis refulsit.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

DIE XXVIII. JANUARII.

Sexta die infra Octavam Desponsationis B. Mariæ V.

Omnia ut in Festo præter Lectiones.

Sermo Sancti Petri Chrysologi Episcopi.

Serm. 146. in Desponsatione V. M.

Lectio I.

Cum desponsata esset Maria. Quid sibi vult sponsa mater? Si mater, non sponsa: si sponsa non adhuc mater. Cum desponsata esset Maria mater ejus. Virginitate sponsa, fœcunditate mater: mater viri nescia, partus conscia. Aut quomodo non ante conceptum mater, quæ post partum virgo mater? Aut genitrix quando non, quæ sæculorum generavit auctorem? Principium dedit rebus, natura virgo mater semper: sic rerum semper noverca corruptio. Est ergo muneris virginalis, ut regeneret per Deum virgo, quod per Deum virgo generavit; Deus et integritas est cæleste consortium: virginitas juncta Christo copula est perfecta virtutis.

℟. Desponsatio gloriosæ Virginis Mariæ ex semine Abrahæ, ortæ de tribu Juda, clara ex stirpe David: * Cujus vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias.

℣. Hodie desponsata est beata Virgo Maria ex progenie David. Cujus.

Lectio II.

Quod Virgo concepit, est honor spiritus, non onus est carnis: quod parturit Virgo, secretum est Dei, non est ministerium conjugale: quod nascitur Christus, divinæ majestatis est, non imbecillitatis humanæ: est gloria Deitatis tota, ubi nulla carnis sentitur injuria. Cum esset desponsata Mater ejus Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spi-

Digitized by Google

ritu Sancto. Quid est, quod ad sponsam, et non ad liberam cælestis innocentiæ destinatur arcanum? Quid est, quod sic zelo sponsi sponsæ periculum comparatur? Quid est, quod virtus tanta putatur crimen, salus certa discrimen? Quid est, quod inter innocentes taliter laborat pudor, verecundia succumbit, fatigatur castitas, sauciatur fides, extat accusatio, urget causa, facultas tota excusatione aufertur?

℟. Gloriosæ Virginis Mariæ Desponsationem dignissimam recolamus:* Cujus Dominus humilitatem respexit, quæ Angelo nuntiante concepit Salvatorem mundi.

℣. Beatissimæ Virginis Mariæ Desponsationem devotissime celebremus. Cujus. Gloria Patri. Cujus.

Lectio III.

MARIA mater vocatur; et quando non Maria mater? Et ut semper Maria humanæ prævia sit salutis, populum, quem unda generatrix emisit in lucem, ipsa jure præcessit in Cantico: Maria, inquit, soror Aaron sumens tympanum in manu sua, dixit: Cantemus Domino, gloriose enim honorificatus est. Nomen hoc prophetiæ germanum est, hoc renascentibus salutare, hoc virginitatis insigne, hoc pudicitiæ decus, hoc indicium castitatis, hoc Dei sacrificium, hoc hospitalitatis virtus, hoc collegium sanctitatis. Merito ergo matris Christi nomen est hoc maternum. Hinc est, quod providetur sponsus, providetur maritalis species, ut celet miraculum, ut tegat signum, ut velet virginis partum, ut crimini non det locum, ut furentis insidias sic eludat.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

DIE XXIX. JANUARII.

Septima die Infra Octavam Desponsationis B. Mariæ V.

Omnia ut in Festo præter Lectiones.

Sermo Sancti Bernardi Abbatis.

De homilia 2. super Missus est.

Lectio I.

CUM esset Virgo electa, Virgo conceptu-

Digitized by Google

ra, et Virgo paritura, mirum cur desponsata fuerit, non nuptura. Numquid vel hoc casu factum quis dixerit? Non est casu factum, quod rationabilis causa commendat, causa valde utilis et necessaria, ut divini prorsus adinventione consilii digna. Illa utique fuit ratio desponsationis Mariæ, quæ et dubitationis Thomæ. Sicut enim Thomas dubitando, palpando, constantissimus factus est dominicæ confessor resurrectionis: ita et Joseph Mariam sibi desponsando, ejusque conversationem in tempore custodiæ studiosius comprobando, factus est pudicitiæ fidelissimus testis. Pulchra utriusque rei convenientia, et dubitatio Thomæ, et desponsatio Mariæ.

℟. Hodie desponsata est beata Virgo Maria ex progenie David: * Per quam salus mundi credentibus apparuit, cujus vitâ gloriosa lucem dedit sæculo.

℣. Desponsationem beatæ Mariæ Virginis cum gaudio celebremus. Cujus.

Lectio II.

POTERANT quidem similis erroris laqueum nobis injicere, fidei videlicet in illo, castitas in illa, veritatem in suspicionem adducere: sed valde prudenter, et pie factum est per contrarium, ut unde metuebatur suspicio, firma sit certitudo. Nam et de matris continentia facilius sponso ejus custodienti et experienti, quam ipsi quoque virgini de sola sua conscientia se defendenti. Dic, quæso, quisnam videns eam non desponsatam et gravidam, non potius diceret meretricem, quam virginem? Non autem decebat hoc dici de matre Domini. Tolerabilius vero atque honestius fuit putari ad tempus Christum de conjugio fuisse natum, quam de fornicatione.

℟. Beatissimæ Virginis Mariæ Desponsationem devotissime celebremus: * Ut ipsa pro nobis intercedat ad Dominum Jesum Christum.

℣. Cum jucunditate Desponsationem beatæ Mariæ Virginis devotis-

Digitized by Google

sime celebremus. Ut ipsa. Gloria Patri. Ut ipsa.

Lectio III.

CONVENIENS ergo erat, ut suaviter quoque omnia, cælestia scilicet, et terrena disponeret: quatenus et illic dejiciens inquietum, reliquos in pace firmaret: et hic debellaturus invidum, nobis prius suæ humilitatis, et mansuetudinis valde necessarium exemplum relinqueret: sicque mirabile fieret moderamine Sapientiæ, ut et suis suavis, et hostibus fortis, appareret. Quid enim prodesset diabolum a Deo vinci, nobis manentibus superbis? Necessario igitur desponsata est Maria Joseph, quando per hoc, et a canibus sanctum absconditur, et a sponso virginitas comprobatur, et Virgini tam verecundæ parcitur, quam famæ providetur.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

DIE XXX. JANUARII.

Octava Desponsationis B. Mariæ V.

Omnia ut in Festo præter Lectiones.

Sermo Sancti Petri Chrysologi Episcopi.

In Sermone 145. de generatione Christi et de S. Joseph.

Lectio I.

JOSEPH autem vir ejus cum esset justus, et nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam. Hoc pie magis videtur convenire, quam justo, sed humano judicio, non divino. Penes Deum neque pietas sine justitia est, neque sine pietate justitia: cælesti sensu, sine bonitate æquitas, sine æquitate bonitas non habetur. Virtutes si separatæ fuerint, dilabuntur: æquitas sine bonitate, sævitia est: et justitia sine pietate, crudelitas. Joseph ergo merito justus quia pius, et pius quia justus. Denique dum pietatem cogitat, crudelitate caruit: dum causam temperat, judicium custodivit: dum vindictam differt, crimen evasit: dum refugit accusatorem, fugit sententiam. Æstuabat animus sanctus negotii novitate perculsus.

℟. Desponsatio gloriosæ Virginis Mariæ ex semine Abrahæ, ortæ de

Digitized by Google

tribus Juda, clara ex stirpe David: * Cujus vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias.

℣. Hodie desponsata est beata Virgo Maria ex progenie David. Cujus.

Lectio II.

STABAT sponsa prægnans, sed virgo: stabat plena pignore, sed non vacua pudore: stabat de conceptu solicita, sed de integritate secura: stabat vestita materno munere, sed non honore virginitatis exclusa. Sponsus quid faceret ad ista? Accusaret de crimine? Sed erat ipse innocentiæ testis. Culpam diceret? Sed erat ipse custos pudoris. Urgeret adulterium? Sed erat ipse virginitatis assertor. Quid faceret ad ista? Cogitat dimittere, quia non poterat vel foris prodire, vel intus, quod evenerat, continere. Cogitat dimittere, et dicit Deo totum, quia quod homini diceret, non habebat. Respondens Angelus, qui Joseph ne innocentiam desereret, sic prævenit: Joseph, inquit, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est.

℟. Gloriosæ Virginis Mariæ Desponsationem dignissimam recolamus:* Cujus Dominus humilitatem respexit, quæ Angelo nuntiante concepit Salvatorem mundi.

℟. Beatissimæ Virginis Mariæ Desponsationem devotissime celebremus. Cujus. Gloria Patri. Cujus.

Lectio III.

ET ideo omnia, quæ mente cogitabat, revelavit Angelus, quæ passa est, quæ timuit, quæ facere meditabatur, ut illis in medium deductis, etiam his fidem haberet: imo non ex præteritis tantum, sed etiam ex futuris ad credendum illum inducit. Pariet autem, inquit, Filium, et vocabis nomen ejus Jesum. Ne putes enim, quasi diceret, quia ex Spiritu Sancto est, te ideo alienum esse a ministerio œconomiæ illius. Nam etiamsi nihil ad generationem conferas, sed intacta Virgo maneat,

Digitized by Google

virginitatis dignitatem non labefactet, et filius tuus non sit, attamen quod est patri proprium, hoc tibi confero ut Nato nomen imponas, et paternam erga illum geras curam. Deinde ne quis ideo eum patrem esse suspicaretur, audi quam accurate sequentia ponat. Pariet, inquit, filium: non dicit: pariet tibi, sed indeterminate posuit. Non enim ipsi peperit, sed universo orbi.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

Digitized by Google

DIE II. FEBRUARII

IN FESTO

PURIFICATIONIS B. M. VIRGINIS

Ad Vesperas, ad laudes et per Horas.

Ant. Simeon justus et timoratus expectabat redemptionem Israel, et Spiritus Sanctus erat in eo.

Psalmi ut in Feria occurrente.

Ant. Responsum accepit Simeon a Spiritu Sancto, non visurum se mortem, nisi videret Dominum.

Ant. Accipiens Simeon puerum in manibus, gratias agens, benedixit Dominum.

Ant. Lumen ad revelationem Gentium, et gloriam plebis tuæ Israel.

Ant. Obtulerunt pro eo Domino par turturum, aut duos pullos columbarum.

CAPITULUM. *Malach. 3.*

Ecce ego mitto Angelum meum, et præparabit viam ante faciem meam; et statim veniet ad templum sanctum suum Dominator, quem vos quæritis, et Angelus testamenti, quem vos vultis.

℟. Deo gratias.

Hymnus ad Vesperas ut in feria occurrente.

℣. Responsum accepit Simeon a Spiritu Sancto.

℟. Non visurum se mortem, nisi videret Christum Domini.

AD MAGNIFICAT.

Ant. Senex puerum portabat, puer autem senem regebat: quem Virgo peperit, et post partum virgo permansit: ipsum, quem genuit, adoravit.

ORATIO.

OMNIPOTENS, sempiterne Deus, majestatem tuam supplices exoramus: ut sicut unigenitus Filius tuus hodierna die cum nostræ carnis substantia in templo est præsentatus: ita nos fa-

Digitized by Google

cias purificatis tibi mentibus præsentari. Per eumdem Dominum.

AD MATUTINUM.

Invitatorium.

Ecce venit ad templum sanctum suum Dominator Dominus: * Gaude et lætare Sion, occurrens Deo tuo.

Ps. Venite exultemus. *pag. 1.*

Hymnus, Psalmi et versiculi br. ad Noct. ut in Feria occur.

Sermo Sancti Bernardi Abbatis.

Serm. 3. in Purificatione Beatæ Mariæ.

Lectio I.

PURIFICATIONEM Beatæ Mariæ Virginis hodie celebramus, quæ secundum legem Moysi facta est, transactis a nativitate Domini quadraginta diebus. In lege enim scriptum erat, ut mulier quæ suscepto semine peperisset filium, immunda esset septem diebus, et octava die circumcideretur puer: dehinc ablutioni et purificationi intenta, abstineret ab ingressu templi triginta tribus diebus, quibus expletis, offerret filium Domino, cum muneribus. Sed quis non advertat in ipso sententiæ hujus initio, liberam omnino Matrem Domini ab hoc præcepto? Putas enim quia dicturus Moysen mulierem, quæ peperisset filium, immundam esse, non timuerit super Matre Domini blasphemiæ crimen incurrere, et idcirco præmiserit, suscepto semine?

℟. Adorna thalamum tuum Sion, et suscipe regem Christum: * Quem Virgo concepit, virgo peperit, virgo post partum, quem genuit, adoravit.

℣. Accipiens Simeon puerum in manibus, gratias agens, benedixit Dominum. Quem.

Lectio II.

PATET itaque quod lex ista Matrem Domini non includit, quæ non suscepto semine filium peperit, sicut prædictum erat per Jeremiam, quia novum faceret Dominus super terram. Quæris quod novum? Mulier, inquit, circundabit virum. Non ab altero viro virum suscipiet, non hu-

Digitized by Google

mana lege concipiet hominem, sed intra viscera intacta et integra virum claudet: ita sane, ut, intrante et exeunte Domino, juxta alium Prophetam, porta orientalis clausa jugiter perseveret. Putas ergo non poterat moveri animus ejus, et dicere: Quid mihi opus purificatione? Cur abstineam ab ingressu templi, cujus uterus nesciens virum, templum factus est Spiritus Sancti? Cur non ingrediar templum, quæ peperi Dominum templi?

℟. Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ, secundum legem Moysi, tulerunt Jesum in Jerusalem, * Ut sisterent eum Domino.

℣. Sicut scriptum est in lege Domini: quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur. Ut. Gloria Patri. Ut.

Lectio III.

Nihil in hoc conceptu, nihil in partu impurum fuit, nihil illicitum, nihil purgandum, nimirum cum proles ista fons puritatis sit, et purgationem venerit facere delictorum, quid in me legalis purificet observatio, quæ purissima facta sum ipso partu immaculato? Vere, o beata Virgo, vere non habes causam, nec tibi opus est purificatione. Sed numquid filio tuo opus erat circumcisione? Esto inter mulieres tanquam una earum? Nam et filius tuus sic est in numero puerorum. Circumcidi voluit: et non multo magis velit offerri? Offer filium tuum, Virgo sacrata, et benedictum fructum ventris tui Domino repræsenta. Offer ad nostram omnium reconciliationem hostiam sanctam, Deo placentem.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

Capitulum. Ecce ego mitto *ut supra.*

Hymnus ad Laudes ut in Feria occurr.

℣. Diffusa est gratia etc.

AD BENEDICTUS.

Ant. Cum inducerent puerum Jesum parentes ejus, accepit eum Simeon in ulnas suas, et benedixit Deum, dicens: Nunc

Digitized by Google

dimittis servum tuum in pace.

Oratio ut supra.

Capitulum ad Tertiam. Ecce ego mitto. *ut supra.*

℟. Specie tua etc. *ut in Feria.*

AD SEXTAM.

CAPITULUM. *Malach. 3.*

Ecce veniet, dicit Dominus exercituum: et quis poterit cogitare diem adventus ejus; aut quis stabit ad videndum eum? Ipse enim, quasi ignis conflans, et quasi herba fullonum.

℟. Deo gratias.

℟. *br.* Adjuvabit eam Deus etc.

AD NONAM.

CAPITULUM. *Malach. 3.*

Et placebit Domino sacrificium Juda et Jerusalem, sicut dies sæculi, et sicut anni antiqui, dicit Dominus omnipotens.

℟. Deo gratias.

℟. *br.* Elegit eam Deus etc.

In secundis Vesperis omnia ut in primis.

℣. Responsum accepit Simeon etc.

AD MAGNIFICAT.

Ant. Hodie beata Virgo Maria puerum Jesum præsentavit in templo, et Simeon repletus Spiritu Sancto, accepit eum in ulnas suas, et benedixit Deum in æternum. *Oratio ut supra.*

DIE III. FEBRUARII.

Secunda die infra Octavam Purificationis B. Mariæ V.

Omnia ut in Festo præter Lectiones.

Sermo Sancti Laurentii Justiniani.

In Purificatione B. Mariæ Virginis.

Lectio I.

VIRGO Maria, ut Deum veneraretur in lege, formamque humilitatis ex hoc præberet per legem, legem voluit purificationis implere. Venit igitur ad templum, et secum quem genuit gestavit infantem. Ibi plane est edocta Prophetarum oraculis, ac de futura Nati passione præmonita, nec non Sanctorum testimoniis in fidei veritate roborata. Quod enim ex scripturarum auctoritate, seu ex re-

Digitized by Google

velatione didicerat, et memoriter retinebat, senis admonitionem percepit, quatenus de mysterio fieret certa, de unici filii sui manifestatione jucunda, atque de gentium vocatione devota. Conferente autem secum Maria de omnibus quæ legendo, audiendo, et videndo cognoverat, crescebat in fide, augebatur meritis, sapientia illustrabatur, magis magisque charitatis cremabatur incendio.

℟. Obtulerunt pro eo Domino par turturum, aut duos pullos columbarum, * Sicut scriptum est in lege Domini.

℣. Postquam autem impleti sunt dies purgationis Mariæ secundum legem Moysi, tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino. Sicut.

Lectio II.

Introivit in templum, portavit filium, et, juxta Domini præceptum, redemit infantem, illum videlicet, qui, de paterno sinu egrediens sine comixtione virili, et absque ulla contagione delicti, se mortalitatis nostræ natura induit, ut, scilicet, a Dæmonum servitute et lege peccati, atque damnatione perpetua, humanum redimeret genus, quatenus de peccato damnaret peccatum in carne sua, fieretque omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ, et legi daret testimonium, quod esset sancta, concessa divinitus, et spiritualiter intelligenda, dum per signum visibile gratiam invisibilem prærogabat, offerentium in fide operante. Obtulerunt namque, Evangelio testante, pro eo parentes ejus par turturum, aut duos pullos columbarum.

℟. Simeon justus, et timoratus expectabat redemptionem Jsrael: * Et Spiritus Sanctus erat in eo.

℣. Responsum accepit Simeon a Spiritu Sancto, non visurum se mortem, nisi videret Christum Domini. Et. Gloria Patri. Et.

Lectio III.

Non aurum, non gemmas obtulerunt pro

Digitized by Google

Rege cælorum, sed animalia munda, viva, atque volantia, ut mysterium hoc intelligerent esse qui legerent. In turture quippe sanctæ Ecclesiæ, per amoris sacrosanctum connubium Christo copulatæ, castitatem intellige: in columbæ vero specie unitatem charitatis credentium, quibus est cor unum, et anima una, præfiguratam agnosce: quæ, videlicet, per exhortationem mutuam, et sacramentorum collationem quotidie sponso suo spiritualis prolis fæcunditatem parere non desistit. Hanc oblationem mysticam sub Ecclesiæ typo beata Maria pro suo Deo obtulit unigenito. Ex redivivа siquidem sacramentorum cælestium reseratione promota, complebatur lætitia, spiritu fæcundabatur nimium, dirigebatur in Deum et humilis custodiebatur in se.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

DIE IV. FEBRUARII.

Tertia die infra Octavam Purificationis B. Mariæ V.

Omnia ut in festo præter Lectiones.

Sermo Sancti Ambrosii Episcopi.

Lib. 2. Comment. in Luc. Cap. 2.

Lectio I.

NON solum ab Angelis et Prophetis, et a pastoribus et a parentibus: sed etiam a senioribus et justis generatio Domini accecit testimonium. Omnis ætas, et uterque sexus, eventorumque miracula fidem adstruunt. Virgo generat, sterilis parit, mutus loquitur, Elisabeth prophetat, Magus adorat, uterus clausus exultat, vidua confitetur, justus expectat. Et bene justus, qui non suam, sed populi gratiam requirebat: cupiens ipse corporeæ vinculis fragilitatis exsolvi, sed expectans videre promissum: sciebat enim quia beati oculi qui eum viderent. Nunc, inquit, dimitte servum tuum Domine. Vide justum, velut corporeæ carcere mo-

Digitized by Google

lis inclusum velle dissolvi, ut incipiat esse cum Christo.

℟. Responsum accepit Simeon a Spiritu Sancto, non visurum se mortem,* Nisi videret Christum Domini.

℣. Et benedixit Deum et dixit: Nunc dimittis servum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum, Domine. Nisi videret.

Lectio II.

Dissolvi enim et esse cum Christo, multo melius est. Sed qui vult dimitti, veniat in templum, veniat in Jerusalem, expectet Christum Domini, accipiat in manibus verbum Dei, complectatur operibus suis velut quibusdam suæ fidei brachiis. Tunc dimittetur ut non videat mortem, qui viderit vitam. Videt uberem in omnes gratiam Domini generationes diffusam, et prophetiam incredulis negatam esse, non justis. Ecce et Simeon prophetat, in ruinam et resurrectionem plurimorum venisse Dominum Jesum Christum, ut justorum iniquorumque merita discernat, et pro nostrorum qualitate factorum, judex verus et justus, aut supplicia decernat, aut præmia.

℟. Cum inducerent puerum Jesum parentes ejus in templum, ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo, accepit eum Simeon in ulnas suas, et benedixit Deum, dicens: * Nunc dimittis, Servum tuum, Domine, secundum Verbum tuum in pace.

℣. Suscipiens Simeon puerum in manibus, exclamavit, dicens. Nunc. Gloria Patri. Nunc.

Lectio III.

Et tuam ipsius animam pertransibit gladius. Nec littera, nec historia docet ex hac vita Mariam corporalis necis passione migrasse. Non enim anima, sed corpus materiali gladio transverberatur. Et ideo prudentiam Mariæ haud ignaram misterii cælestis ostendit. Vivum enim verbum Dei et validum, et acutius omni gladio acutissimo, penetrans usque ad divisionem animæ et spiritus, artuum

Digitized by Google

quoque et medullarum, cogitationes cordis, et secreta scrutatur animarum, quia nuda mentium et aperta sunt omnia Dei filio, quem conscientiæ secreta non fallunt. Prophetavit itaque Simeon, prophetaverat virgo, prophetaverat copulata conjugio, prophetare debuit etiam vidua, ne qua aut professio deesset aut sexus.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

DIE V. FEBRUARII.

Quarta die infra Octavam Purificationis B. Mariæ V.

Omnia ut in Festo præter lectiones.

Sermo Sancti Augustini Episcopi.

Serm. 13. de Tempore.

Lectio I.

Sic olim prædictum est: Mater Sion dicit: Homo, et homo factus est in ea: et ipse fundavit eam Altissimus. O omnipotentia nascentis, o magnificentia de cælo ad terram descendentis! Adhuc in utero portabatur, et ex utero matris a Joanne Baptista salutabatur. In templo præsentabatur, et a Simeone sene famoso, annoso, probato, coronato agnoscebatur. Tunc cognovit, tunc adoravit, tunc dixit: Nunc dimittis, Domine, servum tuum in pace; quia viderunt oculi mei salutare tuum. Differebatur exire de sæculo, ut videret natum, per quem conditum est sæculum. Agnovit infantem senex, factus est in puero puer. Innovatus in ætate, qui plenus erat pietate.

℟. Suscipiens Jesum in ulnas suas Simeon exclamavit, et dixit: * Tu es vere lumen ad illuminationem Gentium, et gloriam plebis tuæ Jsrael.

℣. Cum inducerent puerum Jesum parentes ejus, et ipse accepit eum in ulnas suas, et benedixit Deum, et dixit. Tu es.

Lectio II.

Simeon senex ferebat Christum infantem, Christus regebat Simeonis senectutem. Dictum ei fuerat a Domino, quod non gustaret mortem, ni-

Digitized by Google

si videret Christum Domini natum. Natus est Christus, et impletum est desiderium senis in mundi ipsius senectute. Ipse ad senem hominem venit, qui mundum inveteratum invenit. In isto quidem sæculo diu esse nolebat, et Christum in hoc sæculo videre cupiebat, cantans cum Propheta, et dicens: Ostende nobis Domine misericordiam tuam, et salutare tuum da nobis. Denique ut noveritis ita esse istius lætitiam, conclusit, dicens: Nunc dimittis servum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum.

℟. Senex puerum portabat, puer autem senem regebat: * Quem virgo concepit, virgo peperit, virgo post partum, quem genuit, adoravit.

℣. Accipiens Simeon puerum in manibus, gratias agens, benedixit Dominum. Quem. Gloria Patri. Quem.

Lectio III.

PROPHETÆ cecinerunt Conditorem cæli et terræ in terra cum hominibus futurum: Angelus nuntiavit creatorem carnis et spiritus in carne venturum: salutavit Joannes ex utero in utero Salvatorem: Simeon senex Deum agnovit infantem: Anna vidua virginem matrem. Ubique enim Christus Dominus pulcher occurrebat: pulcher in cælis, pulcher in terris, pulcher in Patre Verbum, pulcher in Matre caro et Verbum, pulcher in utero Virginis, ubi non amisit divinitatem cum suscepit humanitatem, quia cum hic esset, cum manibus portabatur, locuti sunt cæli, gavisi sunt Angeli, Magos stella direxit. Adoratus in præsepio cibaria mansuetorum, adoratus in templo puer Christus a sene Simeone, gestatus in ulnis a quo ipse regebatur. Adhuc in manibus matris portabatur, et jam Dominus orbis cognoscebatur. In hac igitur carne ejus honorabilis mater virgo eum concepit, et peperit, et causa salutis et humilitatis exemplo obtulit in templo hostiam vivam, sanctam, immaculatam, et vivi-

Digitized by Google

ficantem in odorem suavitatis.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

DIE VI. FEBRUARII.

Quinta die infra Octavam Purificationis B. Mariæ V.

Omnia ut in Festo præter lectiones.

Sermo Venerabilis Bedæ Presbyteri.

De homilia in Purificatione Mariæ.

Lectio I.

INTUEAMUR, fratres charissimi, diligentius verba legis, et videbimus apertissime, quam beatissima Dei genitrix, et perpetua Virgo Maria, simul cum filio quem genuit, ab omni fuerit legis subjectione liberrima. Cum enim dicat lex mulierem, quæ suscepto semine peperisset, immundam decerni, et per longa tempora simul cum prole, quam genuisset, oblatis victimis debere mundari: patet profecto, quia illam, quæ sine virilis susceptione seminis virgo peperit, una cum filio, qui natus est ei, neque immundam describat, neque per hostias salutares doceat esse mundandam.

℟. Adorna thalamum tuum Sion, et suscipe regem Christum, * Quem Virgo concepit, virgo peperit, virgo post partum, quem genuit, adoravit.

℣. Accipiens Simeon puerum in manibus, gratias agens, benedixit Dominum. Quem.

Lectio II.

SED sicut Dominus ac Salvator noster, qui divinitatis legem dedit, apparens in homine, fieri voluit sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus: ita etiam beata Genitrix illius, quæ singulari privilegio supra legem fuit, pro ostendendo tamen humilitatis exemplo, legalibus subdi non refugit institutis, juxta illud viri Sapientis: Quanto magnus es, humilia te in omnibus. Et ut darent, inquit, hostiam secundum quod dictum est in lege Domini: Par turturum, aut duos pullos columbarum. Hostia hæc pauperum erat. Præcepit quippe Dominus in lege ut

Digitized by Google

qui posset, agnum pro filio vel filia, simul et turturem, sive columbam offerret; qui vero non sufficeret ad offerendum agnum, duos jam turtures, vel duos columbæ pullos offerret.

℟. Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ secundum legem Moysi, tulerunt Jesum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino: * Sicut scriptum est in lege Domini: quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur.

℣. Obtulerunt pro eo Domino par turturum, aut duos pullos columbarum. Sicut. Gloria Patri. Sicut.

Lectio III.

Columba ergo simplicitatem, turtur indicat castitatem; quia et columba simplicitatis, et castitatis amator est turtur: ita ut si conjugem casu perdiderit, non aliam ultra quærere curet. Unde in laudibus Ecclesiæ loquitur Dominus: Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis; et iterum: Ecce tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra, oculi tui columbarum. Genas quippe turturis habet, qui ab omni impudicitiæ peste castum se custodit et immunem. Oculos habet columbarum, qui nulli nocere desiderans, etiam inimicos simplici amore contuetur. Merito ergo turtur et columba Domino offeruntur in hostiam, quia nimirum simplex et pudica fidelium conversatio gratum est illi sacrificium justitiæ.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

DIE VII. FEBRUARII.

Sexta die infra Octavam Purificationis B. M. V.

Omnia ut in Festo præter lectiones.

Sermo Sancti Fulgentii Episcopi.

In Purificatione B. M. V.

Lectio I.

Cunctis fidelibus liquet nequaquam Redemptoris Matrem ex ejus nativitate maculam contraxisse, quia illorum dierum spatio a sacris ædibus abstinens, purgaretur: quia sine humana concupiscentia, sine ali-

Digitized by Google

qua carnis corruptione Virgo peperit, et sine fine virgo permansit: ac per hoc nec masculus ex ea natus vulvam ejus aperuit. Sed nec mirum si mater observaret legem quam ejus Filius non venerat solvere, sed adimplere. Sciebat enim quo ordine conceperat, et quis esset quem genuerat. Sed legem communem observans, expectavit purgationis diem, celavit Filii majestatem. Hinc est quod eum in templo duodecim annorum inveniens, filium Joseph vocat, dicens: Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus et ego dolentes quærebamus te.

℟. Obtulerunt pro eo Domino par turturum, aut duos pullos columbarum, * Sicut scriptum est in lege Domini.

℣. Postquam autem impleti sunt dies purgationis Mariæ secundum legem Moysi, tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino. Sicut.

Lectio II.

JAM vero, dilectissimi, si quæritur quid mystice significatum fuerit in eo quod Redemptor noster a matre et parentibus ex propria civitate in Jerusalem ad templum Domini se portari voluit, invenimus ipsam gloriosam matrem et virginem ejusque propinquos figuram gessisse Ecclesiæ, quæ ex Judæis in Apostolis credidit. Quando enim Ecclesia non virgo? Quando ipsa non mater? Quando electi non propinqui, qui fratres et sorores sunt appellati? Mater itaque ac propinqui Redemptoris nostri a Nazareth in Jerusalem ad templum Domini deferunt, quia primitiva illa in primis discipulis Ecclesia, a Judæis repulsa, ejusdem redemptionis dispensationem ad notitiam Gentium perduxit.

℟. Confirmatum est cor Virginis, in quo divina mysteria Angelo nuntiante concepit: * Tunc speciosum forma præ filiis hominum castis suscepit visceribus.

℣. Benedicta in æternum, Deum nobis protulit et hominem. Tunc. Gloria Patri. Tunc.

Digitized by Google

Lectio III.

O quam parvus, et quam magnus est, Virgo, quem peperisti! Parvus in humanitate, magnus in divinitate: parvus in regno Judæorum, magnus in regno Gentium. Sed non ab omnibus in regno Judæorum parvus æstimatur. Nam et ipsa, quæ hunc genuisti, ex ipso populo Israel in virgam crevisti. Virga enim de radice Jesse surrexisti, et floruisti: virga Aaron fronduisti, et nucem peperisti: et quia præ omnibus immensitatem ejus agnovisti, quem tamen parvissimum ex te natum vidisti: procul dubio quem infantem genuisti, Deum omnipotentem tremens adorasti, adorans tremuisti: quem tamen quia secundum humanitatem Filium recognovisti, lactasti, fovisti, aluisti. Hinc ex te natum, illinc Deum immensum: hinc creatum, illinc creatorem: hinc non loquentem, illinc Angelos docentem.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

DIE VIII. FEBRUARII.

Septima die infra Octavam Purificationis B. Mariæ V.

Omnia ut in Festo præter lectiones.

Sermo Sancti Laurentii Justiniani.

In Festo Purificationis Virginis Mariæ.

Lectio I.

COMPLETO quippe quadragenario post sui ortus dierum numero, ad templum maternis voluit manibus deportari, aviculis redimi, et grandævi Simeonis brachiis sustentari. Hoc ipse, hoc ejus mater immaculata Virgo perfecit. Venit et illa ad templum, ut purificationis mysteria celebraret. Nequaquam in hac parte tenebatur sub lege, quippe quæ non ex virili semine, sed de Spiritu Sancto conceperat prolem. Sic namque præceptum fuerat in lege: Si mulier susceptio semine conceperit filium, quadraginta diebus immunda erit. Nequaquam semen susceperat Virgo, sed de Spiritu fœcunda conceperat Redemptorem: ideo purificari non eguit, quæ pu-

Digitized by Google

rificantem hominum sordes genuit.

℟. Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ secundum legem Moysi, tulerunt Jesum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino, * Sicut scriptum est in lege Domini: quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur.

℣. Obtulerunt pro eo Domino par turturum, aut duos pullos columbarum. Sicut.

Lectio II.

Hinc est quod ascendit in Jerusalem, introivit in templum, portavit filium, et juxta Domini præceptum, redemit infantem. Adventante autem Maria cum filio, obviam eisdem occurrat spiritu, atque ministerium piæ devotionis exhibeat. Provectæ ætatis senem, et prophetissam Annam, pudicitia ac sanctitate decoratam, de infante Jesu multa narrantes cordis aure percipiat, dijudicet singula, et sedula cogitatione universa perlustret. De figuris veritatem eliciat, et de visibilibus ad invisibilia contemplando transcendat. Suscipiat demum sincero puritatis affectu in spirituales cordis sui ulnas vagientem Infantem, et dicat: Suscipe, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui; propterea secundum nomen tuum, ita et laus tua in præcordiis meis, et usque ad fines terræ.

℟. Nesciens Mater Virgo virum, peperit sine dolore, * Salvatorem sæculorum, ipsum Regem Angelorum, sola Virgo lactabat ubere de cælo pleno.

℣. Domus pudici pectoris, templum repente fit Dei: intacta nesciens virum, verbo concepit filium. Salvatorem. Gloria Patri. Salvatorem.

Lectio III.

In his igitur amoris præludiis fidei irradiatus splendore, charitatisque suavitate refertus, nec non mentis jubilatione debriatus, agnito diligentissime quem tenet in brachiis, probati Senis canticum assumat, inquiens: Nunc, post de-

Digitized by Google

sideriorum meorum fatiscentem ardorem, dimittis, o Domine, servum tuum agnoscentem, confitentem, diligentem, amplectentem, in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum, illud videlicet, quod grandævus patriarca Jacob aspicere cupiens ajebat: Salutare tuum expectabo, Domine; illud, inquam, quod Psaltes egregius ferventissimo amore poscebat, dicens: Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam, et salutare tuum da nobis.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

DIE IX. FEBRUARII.

Octava Purificationis B. M. V.

Omnia ut in festo præter lectiones.

Sermo Venerabilis Bedæ Presbyteri.

Comment. in Luc. Cap. 2.

Lectio I.

NON solum Dominus incarnatus, quantum a peccati contagione, tantum a conditione legis fuerit liber, quam ob hoc magis suscipere dignatus est, ut et eam sanctam, justam ac bonam esse probaret, et nos ab ejus servitute ac timore, fidei gratia liberaret; sed etiam ipsa Dei genitrix Maria sicut ab admixtione virili, sic et a legali sit jure immunis. Dicit enim Moyses: Mulier, quæ pepererit masculum, immunda erit septem diebus juxta dies separationis menstruæ, et die octavo circumcidetur infantulus. Ipsa vero triginta tribus diebus manebit in sanguine purificationis suæ. Omne sanctum non tanget, nec ingredietur sanctuarium, donec impleantur dies purificationis suæ: quæ ad ritum parientis pertinentia sequuntur.

℟. Obtulerunt pro eo Domino par turturum, aut duos pullos columbarum: * Sicut scriptum est in lege Domini.

℣. Postquam autem impleti sunt dies purgationis Mariæ secundum Legem Moysi, tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterunt eum Domino. Sicut.

Lectio II.

ERGO non omnis mulier pariens, sed ea, quæ

Digitized by Google

suscepto semine peperit, designatur immunda, rituque legis docetur esse mundanda, ad distinctionem videlicet illus, quæ virgo concepit, et peperit filium, et vocavit nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum nobiscum Deus. Non ergo filius, qui cum homine Deus est, non mater, quæ Spiritu Sancto operante peperit, victimis hostiarum quibus purgaretur, indigebat; sed ut nos a legis vinculo solveremur, sicut Dominus Christus, ita et beata semper Virgo Maria legi est sponte subjecta. Quod dicit, omne masculinum adaperiens vulvam, et hominis et pecoris primogenitum significat, quod utrumque sanctum Domino vocari, atque ideo sacerdotis esse præceptum est.

℟. Senex puerum portabat, puer autem senem regebat: * Quem Virgo concepit, virgo peperit, virgo post partum, quem genuit, adoravit.

℣. Accipiens Simeon puerum in manibus, gratias agens, benedixit Dominum. Quem. Gloria Patri. Quem.

Lectio III.

Non quod Dominus noster sacri ventris hospitium, quod ingressus sanctificaret, egressus devirginasse credendus sit, juxta hæreticos, qui dicunt beatam Mariam virginem usque ad partum, non virginem esse post partum, sed juxta fidem Catholicam clauso virginis utero, quasi sponsus, suo processisse de thalamo. De quo pulchre Propheta: Et convertit me, inquit, ad viam portæ sanctuarii exterioris, quæ respiciebat ad orientem, et erat clausa; et dixit Dominus ad me: Porta hæc clausa erit, non aperietur, et vir non transiet per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritque clausa principi, princeps in ea sedebit, et comedet panem coram Domino.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

Digitized by Google

DIE XXV. MARTII.

IN FESTO

ANNUNTIATIONIS B. M. V.

Ad vesperas, ad laudes, et per horas.

Ant. Missus est Gabriel Angelus ad Mariam Virginem desponsatam Joseph.

Psalmi ut in Feria occurrente.

Ant. Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus.

Ant. Ne timeas, Maria, invenisti gratiam apud Dominum: ecce concipies, et paries filium.

Ant. Dabit ei Dominus sedem David patris ejus, et regnabit in æternum.

Ant. Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.

CAPITULUM. *Isaiæ 7.*

Ecce Virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. Butyrum, et mel comedet, ut sciat reprobare malum, et eligere bonum. ℟. Deo gratias.

Hymnus ut in feria occurrente.

℣. Ave Maria, gratia plena.

℟. Dominus tecum.

AD MAGNIFICAT.

Ant. Spiritus Sanctus in te descendet, Maria, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.

ORATIO.

DEUS, qui de beatæ Mariæ Virginis utero Verbum tuum, Angelo nuntiante, carnem suscipere voluisti: præsta supplicibus tuis: ut qui vere eam genitricem Dei credimus, ejus apud te intercessionibus adjuvemur. Per eumdem Dominum.

AD MATUTINUM.

Invitatorium.

Ave Maria gratia plena: * Dominus tecum.

Psalm. Venite exultemus. *pag. 1.*

Digitized by Google

Hymnus, Psalmi et ℣. ad Noct. ut in Feria occurrente.

Sermo Sancti Joannis Damasceni.

Sermo in Annunt.

Lectio I.

HODIE Verbum caro factum est, et habitare cœpit in nobis. Hodie itaque Sapientia ædificare cœpit sibi domum corporis nostri in utero Virginis, et ad ædificandam unitatem Ecclesiæ, angularem lapidem de monte sine manibus abscidit, dum sine opere humano de corpore virginali carnem sibi nostræ redemptionis separavit. Ab hoc ergo die Dominus virtutum nobiscum, susceptor noster Deus Jacob; quia hodie Domini est assumptio nostra, ut inhabitet gloria in terra nostra. Prorsus hodie benedixisti, Domine, terram tuam, illam benedictam in mulieribus, ut daret benedictum fructum ventris sui, et rorantibus cœlis desuper uterus virginalis Salvatorem germinaret.

℟. Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum: * Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi: quod enim ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei.

℣. Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens Angelus dixit ei. Spiritus Sanctus.

Lectio II.

HODIE initium est renovationis humanæ naturæ. Hodie completum est tempus de quo prophetarum oracula personuerunt. Hodie Adam Creatori suo de progenie sua templum ædificavit, in quo tectus habitaret, et quod redimeret: Mariam Virginem, pretiosam, benedictam, sanctam, puriorem naturæ Adamicæ partem, et humanæ stirpis reginam: puram, qua nulla usquam corpore purior invenietur in omni genere humano: sanctam, qua nulla inter creaturas futura est intellectuales quoad animam sanctior: gloriam Israeliticæ gentis, ac stirpis Davidicæ lumen: de qua avus ipsius David exclamat, propheticam

Digitized by Google

vocem attollendo: Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum, et domum patris tui, et concupiscet Rex speciem tuam.

℟. Suscipe Verbum, Virgo Maria, quod tibi a Domino per Angelum transmissum est: concipies, et paries Deum pariter et hominem. * Ut benedicta dicaris inter omnes mulieres.

℣. Paries quidem filium, et virginitatis non patieris detrimentum, efficieris gravida et eris mater semper intacta. Ut. Gloria Patri. Ut.

Lectio III.

Hæc illa est, cujus pulchritudinem concupivit Rex cælestis, misitque ad eam ministrum suum Gabrielem ut ipsam salutatione lætitiæ compelleret, certioremque faceret se esse a Creatore electam, dicendo: Ave, gratia plena: Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus. Invenisti gratiam apud Deum. Et quomodo benedicta non esset, et gratia plena, cum qua creaturarum Dominus fuit, copulando sibi ex ea templum quo opem generi ipsius afferret? Profecto gloriosa hæc et illustris inter mulieres, gratiam nacta est apud Deum, cum ab eo electa est, ut corpus ex ipsa sumeret compingeretque ex sancto ejus sanguine: ut ei non fuerit in anterioribus puritate similis, nec futurus in posterioribus pari sanctitate præditus.

Hymnus. Te Deum, *vel* Te Matrem Dei.

Capitulum. Ecce Virgo. *ut supra.*

Hymnus ad Laudes ut in Feria occurr.

℣. Ave Maria etc.

AD BENEDICTUS.

Antiph. Quomodo fiet istud, Angele Dei, quoniam virum non cognosco? Audi, Maria Virgo: Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.

AD TERTIAM.

Capitulum. Ecce Virgo. *ut supra.*

℟. *br.* Specie tua etc. *ut in Feria.*

Digitized by Google

AD SEXTAM.

CAPITULUM. *Luc. 1.*

Dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus: et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis.

℟. Deo gratias.

℟. *br.* Adjuvabit eam etc.

AD NONAM.

CAPITULUM. *Isaiæ 11.*

Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet. Et requiescet super eum Spiritus Domini.

℟. Deo gratias.

℟. *br.* Elegit eam. etc.

IN II. VESPERIS.

℣. Ave Maria gratia plena.

℟. Dominus tecum.

AD MAGNIFICAT.

Ant. Gabriel Angelus locutus est Mariæ, dicens: Ave gratia plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus.

Oratio. Deus, qui. *ut supra.*

DIE XXVI. MARTII.

Secunda die infra Octavam Annuntiationis B. Mariæ V.

Omnia ut in festo præter lectiones.

Sermo Sancti Laurentii Justiniani.

In Annunt. Beatæ Mariæ Virginis.

Lectio I.

AD Angelicæ salutationis vocem expavit cor Virginis, et seipsa turbata est, non ex aspectu Angelico, sed ob excellentiam divini præsagii, quod propria merita præcellere videbatur. Revolvebat animo Virgo singula Nuntii cælestis verba, seque metiebatur in se, parvitatem suam, Dei altitudinem, profusam illius bonitatem, matura consideratione pensabat, nihilque tanti oraculi dignum sibi inesse cernebat, unde magno cogitationum æstu intus urebatur. Hoc autem, Deo revelante, ut agnovit Gabriel, humillimo eam demulcens affatu, inquit: Ne timeas, Maria, de iis quæ a me dicta sunt tibi. Præcipua quidem sunt, et hu-

Digitized by Google

manæ conditionis transcendunt metas.

℟. Ecce Virgo concipiet, et pariet Filium, dicit dominus: * Et vocabitur nomen ejus Admirabilis, Deus, Fortis.

℣. Super solium David, et super regnum ejus sedebit in æternum. Et vocabitur.

Lectio II.

VERUM, quoniam, Domino disponente, hæc dixi, vide ne paveat cor tuum. Invenisti gratiam apud Deum; non qualemcumque, sed a sæculis inauditam, cunctis mirandam, efferendam supra modum, quæ hominum, Angelorum præcedit gratiam: Ecce concipies in utero, et paries filium, vocabisque nomen ejus Jesum. Vide unde tibi tanta proveniat gratia, ut prolem concipias, quæ salutem afferat, præstet veniam, lucem infundat, remedia conferat, vitam donet, et cælorum patefaciat viam. Erit namque, quem paries, magnus, et filius Altissimi vocabitur. Erit plane magnus meritis, magnus potestate, dignitate præcelsus, incomparabilis sapientia; sanctitate conspicuus, decorus forma, honore dignissimus, et omnium charismatum largitate perfusus ita, ut filius vocetur Altissimi.

℟. Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet: * Et erit justitia cingulum lumborum ejus et fides cinctorium renum ejus.

℣. Et requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis. Et erit. Gloria Patri. Et erit.

Lectio III.

PLENAM oraculo angelico Maria præbuit fidem, sciens omnia Deum posse, quum vult. Prius quantumcumque fuerat turbata, atque perterrita, impellente ac discernente humilitate, metuens ambulare in magnis aut mirabilibus super se; nunc autem ex verbis Nuntii specialibus erudita, nec non charitatis concremata dulci incendio, pro communi omnium utilitate, re-

Digitized by Google

quisivit, dicens: Quomodo fiet istud, ut concipiam in utero, et filium pariam, quoniam virum nunquam agnoscere me duplici ex voto constrinxi? Noverat sane irrefragabile mentis suæ propositum; noverat neminem Dei bonitatem deserere benefacere simpliciter cupientem: noverat ista nuntiantem nullo modo posse mentiri.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

DIE XXVII. MARTII.

Tertia die infra Octavam Annuntiationis B. Mariæ V.

Omnia ut in festo præter Lectiones.

Sermo Sancti Bernardi Abbatis

In homil. 4. de laud. V. Matris.

Lectio I.

QUOMODO fiet istud ab Angelo requirit Maria. Primo quidem prudenter tacuit, cum adhuc dubia cogitabat, qualis esset ista salutatio; malens nimirum humiliter non respondere, quam temere loqui quod nesciret. Jam vero confortata, et bene præmeditata, Angelo quidem foris loquente, sed Deo intus persuadente (erat enim Dominus cum illa, dicente Angelo, Dominus tecum:) ita ergo confirmata, fide scilicet repellente timorem, lætitia verecundiam, dixit ad Angelum: Quomodo fiet istud? quoniam virum non cognosco. Non dubitat de facto, sed modum requirit et ordinem. Nec enim quærit an fiet istud, sed quomodo. Quasi dicat: Cum sciat Dominus meus, testis conscientiæ meæ, votum esse ancillæ suæ non cognoscere virum; qua lege, quo ordine placebit ei, ut fiat istud?

℟. Missus est Angelus Gabriel ad Mariam Virginem desponsatam Joseph, nuntians ei verbum: et expavescit Virgo de lumine. * Ne timeas, Maria: invenisti gratiam apud Dominum.

℣. Ecce concipies, et paries, et vocabitur Altissimi Filius. Ne timeas.

Lectio II.

QUOMODO ergo fiet istud? quoniam virum non cognosco. Et respondens

Digitized by Google

Angelus dixit ei: Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Superius dicta est fuisse gratia plena: et nunc quomodo dicitur: Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus altissimi obumbrabit tibi? Numquid potuit repleri gratia, et necdum habere Spiritum Sanctum, cum ipse sit dator gratiarum? Si autem jam Spiritus Sanctus in ea erat, quomodo adhuc tanquam noviter superventurus repromittitur? An forte ideo non dixit simpliciter, veniet in te, sed addidit super, quia et prius quidem in ea fuit per multam gratiam, sed nunc supervenire nuntiatur, propter abundantioris gratiæ plenitudinem, quam effusurus est super illam? At vero cum plena jam sit, illud amplius quomodo capere poterit?

℟. Gaude, Maria Virgo, cunctas hæreses sola interemisti, quæ Gabrielis Arcangeli dictis credidisti: * Dum virgo Deum et hominem genuisti, et post partum Virgo inviolata permansisti.

℣. Beata es quæ credidisti: quia perfecta sunt ea, quæ dicta sunt tibi a Domino. Dum. Gloria Patri. Dum.

Lectio III.

Quis enim, excepta fortasse illa quæ hoc sola in se felicissima meruit experiri, intellectu capere, ratione discernere possit, qualiter splendor ille inacessibilis virgineis sese visceribus infuderit: et ut illa inaccessibilem accedere ad se ferre potuisset, de particula ejusdem corporis, cui se animatæ contemperavit, reliquæ massæ umbraculum fecerit? Et fortasse propter hoc maxime dictum est, obumbrabit tibi, quia res nimirum in sacramento erat, et quod sola per se Trinitas in sola et cum sola Virgine voluit operari, soli datum est nosse, cui solum datum est experiri. Dicatur ergo: Spiritus Sanctus superveniet in te, qui utique sua potentia fœcundabit te: et virtus Altissimi obumbrabit tibi: hoc est,

Digitized by Google

illum modum quo de Spiritu Sancto concipies, Dei virtus et Dei sapientia Christus sic in suo secretissimo consilio obumbrando conteget et occultabit, quatenus sibi tantum notus habeatur et tibi.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

DIE XXVIII. MARTII.

Quarta die infra Octavam Annuntiationis B. Mariæ V.

Omnia ut in festo præter lectiones.

Sermo Sancti Ambrosii Episcopi.

Lib. 2. in Lucam. Cap. 1.

Lectio I.

HODIE primum auditur, Spiritus Sanctus superveniet in te. Et auditur et creditur. Dixit autem Maria: Ecce Ancilla Domini contingat mihi secundum verbum tuum. Et discessit ab ea Angelus. Vide humilitatem, vide devotionem. Ancillam se dicit Domini, quæ mater eligitur: nec repentino exaltata promisso est. Simul ancillam dicendo, nullam sibi prærogativam tantæ gratiæ vindicavit, quæ faceret quod juberetur. Mitem enim humilemque paritura, humilitatem debuit etiam ipsa præferre. Ecce ancilla Domini, contingat mihi secundum verbum tuum. Habes obsequium, vides votum. Ecce enim ancilla Domini, apparatus officii est: contingat mihi secundum verbum tuum, conceptus est voti.

℟. Missus est Angelus Gabriel ad Mariam Virginem desponsatam Joseph, nuntians ei verbum: et expavescit Virgo de lumine: * Ne timeas, Maria, invenisti gratiam apud Dominum.

℣. Ecce concipies, et paries, et vocabitur Altissimi Filius. Ne timeas.

Lectio II.

QUAM cito ergo etiam de impari conditione credidit Maria! Quid enim tam impar, quam Spiritus Sanctus, et corpus? Quid tam inauditum, quam Virgo prægnans contra legem, contra consuetudinem, contra pudorem, cuius carior cura est virgini? Zacharias autem non de

*

Digitized by Google

impari conditione, sed de senili ætate non credidit: nam conditio congruebat: Ex viro et fœmina solemnis est partus, nec incredibile debet videri, ubi natura concordat. Cum enim ætas naturæ sit, non natura ætatis, fit plerumque ut ætas impediat naturam: non est tamen irrationabile ut minor cedat causa majori, et potior prærogativa naturæ usum inferioris excludat ætatis.

℟. Gaude, Maria Virgo, cunctas hæreses sola interemisti, quæ Gabrielis Archangeli dictis credidisti: * Dum Virgo Deum et hominem genuisti, et post partum Virgo inviolata permansisti.

℣. Beata es quæ credidisti: quia perfecta sunt ea, quæ dicta sunt tibi a Domino. Dum. Gloria Patri. Dum.

Lectio III.

Huc accedit quod Abraham et Sara filium in senectute susceperant: et Joseph filius senectutis est. Quod si, quia risit Sara, reprehenditur: justus condemnatur, qui nec oraculo credidit, nec exemplo. Unde et meruit audire, Beata quæ credidisti. Et vere beata, quæ sacerdote præstantior, cum Sacerdos negasset, virgo correxit errorem. Nec mirum si Dominus redempturus mundum, operationem suam inchoavit a Matre, ut per quam salus omnibus parabatur, eadem prima fructum salutis hauriret ex pignore. Et bene quæsivit, quomodo fieret; legerat enim quia Virgo conciperet, sed non legerat quomodo generaret: legerat, ut dixi, ecce virgo in utero accipiet: quomodo autem acciperet, in Evangelio primum Angelus est locutus.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

DIE XXIX. MARTII.

Quinta die infra Octavam Annuntiationis B. M. V.

Omnia ut in festo præter lectiones.

Ex libro Sancti Anselmi Episcopi.

De Excellentia Virginis, Cap. 3.

Lectio I.

Cum venit plenitudo temporis, quod suo

Digitized by Google

adventu ipse Deus ante tempora prædestinavit, misit Deus Angelum Gabrielem, unum de primis principibus suis, scilicet regni sui, nuntiare tibi, o beatissima Virgo, instare salutem generis humani, et se eamdem salutem operaturum, et ex te castissima per Spiritus Sancti operationem, verum Deum, et hominem nasciturum. O Domina, audis quæ feruntur ad rem omni sæculo inauditam, paves, et miraris, nulla tamen incredulitate moveris: verum indubitanter tenes apud te omnimodo impossibile fore non fieri quod Angelus dixit futurum esse. Credidit ergo, et certissime intellexit Deum tam bonum, tam pium, tam omnis misericordiæ visceribus plenum, ut ad terras de cælesti sede descenderet, et homo fieret.

℟. Missus est Angelus Gabriel ad Mariam Virginem desponsatam Joseph, nuntians ei verbum: et expavescit Virgo de lumine. * Ne timeas, Maria; invenisti gratiam apud Dominum.

℣. Ecce concipies, et paries, et vocabitur Altissimi filius. Ne timeas.

Lectio II.

Respondens ergo nuntio cælesti, ait: Ecce Ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum. O fides Deo accepta! O humilitas grata! O obedientia omni sacrificio jucundius Deo oblata! Quid ergo quod venientis Dei oculos offenderet in illa poterat residere, in qua tantarum virtutum insignia veniens invenit redolere? Certe sola fide Abraham fertur Deo placuisse: et hoc, quia Deo credidit, ad justitiam illi reputatum fuisse. Super humiles autem, et quietos, ac verba sua trementes, Spiritum suum requiescere, et obedientiam se pro sacrificiis malle asserit Deus. Cum igitur in his quæ tantopere Deo placent, beata Virgo Maria tam excellenter illi placuit, ut nequaquam crederet, quis illam aliqua ratione excellentius placere potuisse?

℟. Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum:* Spiritus Sanctus super-

Digitized by Google

veniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi: Quod enim ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei.

℣. Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens Angelus dixit ei. Spiritus Sanctus. Gloria Patri. Spiritus Sanctus.

Lectio III.

HUNC igitur sibi tam unicum, quam dilectissimum, et in omnibus omnino æqualem, non passus est remanere solummodo suum, sed eumdem ipsum voluit in rei veritate esse beatæ Mariæ unicum et dilectissimum et naturalem filium, nec ita ut duo essent, unus videlicet filius Dei, alius filius beatæ Mariæ Virginis, sed unus idem ipse, qui filius Dei, in una persona esset filius beatæ Mariæ Virginis, et qui filius beatæ Mariæ, unus et idem ipse esset in una persona filius Dei. Quis hæc audiens non obstupescat, et quod Deus tale quid velle potuerit, non ultra omne quod dici potest admirabile ducat? Puella de progenie David nata, de peccatrice progenie orta, subito versa vice maledictionis Hevæ, benedicta prædicatur super omnes mulieres, et concipit, et parturit, et parit hominem Deum.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

DIE XXX. MARTII.

Sexta die infra Octavam Annuntiationis B. Mariæ V.

Omnia ut in Festo præter lectiones.

Sermo Sancti Gregorii Neocæsar. Episc.

Hom. 3. in Annunt.

Lectio I.

MISSUS est Gabriel, ut totius mundi salutem annuntiaret. Missus est Gabriel, ut revocationis subscriptionem Adamo deferret. Missus est ad Virginem Gabriel, ut mulieris ignominiam in honorem commutaret. Missus est Gabriel, ut dignum purissimoque sponso thalamum pararet. Missus est Gabriel, ut inter creaturam, et Creatorem sponsalia contraheret. Missus est Gabriel

Digitized by Google

ad animatum Regis Angelorum palatium. Missus est Gabriel ad Virginem desponsatam quidem Joseph, sed Jesu Filio Dei servatam. Missus est servus incorporeus ad Virginem inviolatam, atque immaculatam. Missus est a peccato liber, ad eam quæ omnis corruptionis expers erat.

℟. Ecce Virgo concipiet, et pariet filium, dicit Dominus: * Et vocabitur nomen ejus Admirabilis, Deus, Fortis.

℣. Super solium David, et super regnum ejus sedebit in æternum. Et vocabitur.

Lectio II.

Missus est Gabriel, ut eum, qui in sinu est Patris, etiam in Matris ulnis prædicaret. Missus est Gabriel, ut eum, qui in solio sedebat, etiam in spelunca jacere ostenderet. Missus est miles, qui magni Regis mysterium proclamaret: mysterium, inquam, quod fide cognoscitur, et curiositate non indagatur: mysterium, quod adoratur, et humano ingenio non ponderatur: mysterium quod divinis, et non humanis rationibus expenditur. Missus est Gabriel ad Virginem mense sexto, scilicet conceptionis Joannis. Conveniebat enim, ut miles præcederet. Oportebat ut satelles anteverteret. Decebat, ut nuntius præcurreret, qui Domini adventum indicaret. Missus est ad Virginem desponsatam viro: desponsatam, inquam, non conjunctam, desponsatam quidem, sed servatam.

℟. Suscipe verbum, Virgo Maria, quod tibi a Domino per Angelum transmissum est; concipies, et paries Deum pariter et hominem: * Ut benedicta dicaris inter omnes mulieres.

℣. Paries quidem filium, et virginitatis non patieris detrimentum, efficieris gravida, et eris mater semper intacta. Ut. Gloria Patri. Ut.

Lectio III.

Mense sexto missus est Gabriel ad Virginem, videlicet ad requirendum Adam, qui erraverat, meis commotus miserationibus, descendere propero. Peccatum inveteravit eum, qui ad ima-

Digitized by Google

ginem meam formatus est, et opus manuum mearum debilitavit, pulchritudinemque a me confectam obscuravit. Vade igitur ad Virginem Mariam: abi ad animatam civitatem, de qua dicebat Propheta: Gloriosa dicta sunt de te, Civitas Dei: abi ad paradīsum meum ratione præditum: abi ad portam orientalem: abi ad domicilium Verbo meo dignum: abi ad alterum, quod in terra est, cælum: abi ad nubem levem, et adventus mei imbrem ipsi annuntia: abi ad sanctuarium mihi præparatum: abi ad incarnationis meæ cubiculum. Vade ad purum meæ secundum carnem nativitatis thalamum. Tu illud, Ave gratia plena, ad Mariam Virginem dicito, et ego ærumnosæ, atque afflictæ miserear Hevæ.

Hymnus. Te Deum, *vel* Te Matrem Dei.

DIE XXXI. MARTII.

Septima die infra Oct. Annunt. B. Mariæ V.

Omnia ut in Festo præter lectiones.

Sermo Sancti Amedæi Lausanensis Episc.

Homilia 3. de Incarnatione Christi.

Lectio I.

DEI Verbum adiit virgineum habitaculum, et inde prodiit clauso virginis utero. Quippe qui facile posset extra Virginem corpus creare de nihilo, facile potuit corpus acceptum de Virgine, extra sine carnis scissione trajicere. Neque enim legi naturæ se subdidit, sed legem naturæ subdidit sibi. Ubi namque descenderit, simili modo manifestum est, qui descendit in uterum Virginis, uterum impollutum, immaculatum, consecratum manu unctionis divinæ. Ibi carni nostræ copulatum, naturæ associatum, implevit sacratissimum, et secretissimum sacramentum, ut essent duo in carne una, et uno contubernio fruerentur. Factus est ergo Deus invisibilis, homo visibilis: impassibilis et immortalis, passibilem et mortalem se exhibuit.

℟. Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet: * Et

Digitized by Google

erit justitia cingulum lumborum ejus, et fides cinctorium renum ejus.

℣. Et requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis. Et erit.

Lectio II.

CLAUDITUR alvo puerperæ, cujus immensitas claudit ambitum cæli et terræ, et quem cæli cælorum non continent; Mariæ viscera complectuntur. Gaude ergo et lætare, Maria, quia concipies de spiramine: gaude, quia inventa eris habens in utero de Spiritu Sancto. Desponsata quidem eras Joseph, sed a Spiritu Sancto præventa. Ille, qui te creavit, signavit, et assignavit te sibi: plasmator tuus, ipse factus est sponsus tuus, factus est amator formæ tuæ: qui plasmator ipse te vocat, dicens: Veni, amica mea, formosa mea, columba mea, jam enim hyems abiit et recessit. Veni. Ille decorem tuum concupivit, et tibi conjungi desiderat. Impatiens moræ, ad te venire festinat.

℟. Gaude, Maria Virgo, cunctas hæreses sola interemisti, quæ Gabrielis Archangeli dictis credidisti: * Dum Virgo Deum et hominem genuisti, et post partum Virgo inviolata permansisti.

℣. Beata es quæ credidisti; quia perfecta sunt ea, quæ dicta sunt tibi a Domino. Dum. Gloria Patri. Dum.

Lectio III.

SURGE ergo, induere vestimentum gloriæ tuæ, ornare pretiosissimis ornamentis tuis, quia complacuit Dominus in te. Surge in occursum sponsi et Dei tui, et dic ei: Ecce ancilla Domini. Festina, et noli tardare, quia ille non tardabit, sed exultabit ut gigas ad currendam viam. Festina, et tu obliviscere populum tuum, et domum patris tui, currens obviam ei, ut osculeris osculo oris ejus, ejusque beatissimis immiscearis amplexibus. Egredere, quia jam thalamus collocatus est, et sponsus veniet

Digitized by Google

tibi, veniet tibi Spiritus Sanctus. Ille superveniet non solum tibi, sed in te, ut propius revisat te, et inspiret tuam gratissimam dilectionem, insinuans tibi intima aspersione verbum bonum, verbum plenum congratulationis et admirationis, plenum consilii, plenum gaudii, plenum salutis.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag.* 9.

DIE I. APRILIS.

Octava Annuntiationis B. M. V.

Omnia ut in festo præter lectiones.

Sermo Sancti Petri Chrysologi Episcopi.

Serm. 142. *de Annuntiatione.*

Lectio I.

AUDISTIS hodie, Fratres charissimi, Angelum cum muliere de hominis reparatione tractantem. Audistis agi, ut homo cursibus eisdem, quibus dilapsus fuerat ad mortem, rediret ad vitam. Agit, agit cum Maria Angelus de salute, quia cum Eva Angelus egerat de ruina. Audistis Angelum de carnis nostræ limo templum Divinæ Majestatis arte ineffabili construentem. Audistis in terris Deum, in cælis hominem sacramento incomprehensibili collocari. Audistis inaudita ratione in uno corpore Deum hominemque misceri. Audistis fragilem carnis nostræ naturam ad portandam totam Deitatis gloriam Angelica exhortatione roborari.

℟. Ecce Virgo concipiet, et pariet filium, dicit Dominus: * Et vocabitur nomen ejus Admirabilis, Deus, Fortis.

℣. Super solium David, et super regnum ejus sedebit in æternum. Et vocabitur.

Lectio II.

DENIQUE ne tanto ponderi cælestis fabricæ in Maria subtilis nostri corporis arena succumberet, et in Virgine totius generis humani portatura fructum, virga tenuis frangeretur, fugatura metum vox Angeli mox præcessit, dicens: Ne timeas, Maria. Ante causam dignitas Virginis annuntiatur ex Nomine. Nam Maria hebræo sermone, latine Domina

Digitized by Google

nuncupatur. Vocat ergo Angelus Dominam, ut Dominatoris Genitricem trepidatio deserat servitutis, quam nasci, et vocari Dominam ipsa sui germinis fecit, et impetravit auctoritas. Ne timeas, Maria; invenisti enim gratiam. Verum est, quia qui invenit gratiam, nescit timere: Invenisti gratiam. Apud quem? Apud Deum.

℟. Suscipe verbum, Virgo Maria, quod tibi a Domino per Angelum transmissum est; concipies, et paries Deum pariter et hominem. * Ut benedicta dicaris inter omnes mulieres.

℣. Paries quidem filium, et virginitatis non patieris detrimentum, efficieris gravida, et eris mater semper intacta. Ut. Gloria Patri. Ut.

Lectio III.

BEATA, quæ inter homines audire sola meruit præ omnibus: Invenisti gratiam. Quantam? Plenam. Et vere plenam, quæ largo imbre totam funderet, et infunderet creaturam. Invenisti enim gratiam apud Deum. Hæc cum dicit, et ipse Angelus miratur aut fæminam tantum, aut omnes homines vitam meruisse per fæminam: stupet Angelus totum Deum venire intra virginalis uteri angustias, cui tota simul angusta est creatura. Hinc est, quod remoratur Angelus: hinc est, quod virginem vocat de merito, de gratia compellat; vix causam prodit audienti: sane ut sensim promoveat, vix longa trepidatione componit. Æstimate, fratres, qua reverentia, quo tremore nos tanto interesse deceat, et conveniat sacramento, quando ipse Angelus non sine metu metum discutit audientis.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

Digitized by Google

DIE II. JULII

IN FESTO

VISITATIONIS B. M. V.

Ad Vesperas, ad laudes, et per Horas.

Ant. Exurgens Maria, abiit in montana cum festinatione in civitatem Juda.

Psalmi ut in Feria occurrente.

Ant. Intravit Maria in domum Zachariæ, et salutavit Elisabeth.

Ant. Ut audivit salutationem Mariæ Elisabeth, exultavit infans in utero ejus, et repleta est Spiritu Sancto. Alleluja.

Ant. Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui.

Ant. Ex quo facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultavit infans in utero meo. All.

Capitulum, et Hymnus ut in feria occurrente.

℣. Benedicta tu in mulieribus.

℟. Et benedictus fructus ventris tui.

AD MAGNIFICAT.

Ant. Beata es, Maria, quæ credidisti: perficientur in te, quæ dicta sunt tibi a Domino. All.

ORATIO.

FAMULIS tuis, quæsumus Domine, cælestis gratiæ munus impertire: ut quibus beatæ Virginis partus extitit salutis exordium, Visitationis ejus votiva solemnitas pacis tribuat incrementum. Per Dominum.

AD MATUTINUM.

Invitatorium.

Visitationem Virginis Mariæ celebremus; * Christum ejus Filium adoremus Dominum.

Psalm. Venite exultemus. *pag. 1.*

Hymnus, Psalmi et vers. ad Noct. ut in Fer. occurr.

Digitized by Google

Sermo Sancti Maximi Episcopi.

Serm. 1. in Nativit. Ioan. Bapt.

Lectio I.

ELISABETH illa vetus mulier, et nova mater, quæ ante partum suum de futuri filii lætabatur officio, venienti ad se Beatæ Mariæ, in ipso salutationis occursu, ait: Ecce ex quo facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo. Quid hoc est miraculi, fratres, quæ tantorum novitas gaudiorum, ut habere se in utero Elisabeth testaretur infantem, qui necdum semetipsum sentiens, dominicum jam sentiret adventum? Vere hic omnium beatissimus parvulorum, qui intra viscera adhuc materna conclusus, adesse Salvatorem mundi, quia necdum sermone poterat, prophetico gaudio revelavit. Nullus ignorat omnem parvulum materno ab utero prodeuntem inter ipsa lucis exordia mœstis concrepare vagitibus, solus Baptista Domini, nativitatem suam lætitiæ exultatione prævenit.

℟. Surge, propera, amica mea, formosa mea et veni; jam enim hyems transiit, imber abiit, et recessit: * Vox turturis audita est in terra nostra.

℣. Intravit Maria in domum Zachariæ, et salutavit Elisabeth. Vox.

Lectio II.

ET quam decuit, fratres, ut de mætre sterili nasceretur qui fœcunditatem Virginis revelabat, quatenus mirabilem partum mirabiliter natus ostenderet. Illud etiam quam stupendum, quamque magnificum, quod Zacharias Sacerdos pater futurus Propheta, quia hoc ipsum quod gerebatur, Angelo loquenti non credidit, usum loquentis amisit, donec promissione completa, natus novi hominis præco paternæ linguæ vincula relaxaret. Os enim quod Angelus clauserat, promissus ab Angelo filius reseravit. Quid hac, fratres, religione gloriosius, quid hac insignius fide, in qua sterilis concipit, Virgo parturit, mutus loqui-

Digitized by Google

tur, et in secreto maternorum viscerum parvuli totius mundi gaudia futura præludunt?

℟. Repleta est Spiritu Sancto Elisabeth, et exclamavit: * Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui.

℣. Et unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me? Benedicta. Gloria Patri. Benedicta.

Lectio III.

Hic est ille, cujus per Angelum Gabrielem prænunciatur nativitas et nomen et meritum. Hic est qui judicio cælestis sententiæ cunctis mortalibus antefertur, dicente Domino: Non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptista. Quam pulchre dictum est inter natos mulierum non esse majorem! quia ille omnimodis major erat Joanne, qui de Virgine nascebatur. Hic est etiam qui maluit a Rege prosterni, quam regem non increpare peccantem. Quibus prospectis, advertite dilectissimi, quantam huic reverentiam, quantum devotionis debeamus impendere qui ut honorabilis sit, a Sancto est Spiritu prophetatus, promissus ab Angelo, laudatus a Domino, et perpetua sanctæ mortis gloria consecratus.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

AD LAUDES.

Capit. et Hymn. ut in Feria occurr.

℣. Benedicta tu in mulieribus.

℟. Et benedictus fructus ventris tui.

AD BENEDICTUS.

Ant. Cum audisset salutationem Mariæ Elisabeth, exclamavit voce magna, et dixit: Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me? Alleluja.

Oratio ut supra. Ad Horas omnia ut in Feria.

IN II. VESPERIS.

Psalmi, Capitula et Hymnus ut in Feria.

Ant. Beatam me dicent omnes generationes, quia ancillam humilem respexit Deus. Alleluja.

Oratio ut supra.

Digitized by Google

DIE III. JULII.

Secunda die infra Octavam Visitationis B. Mariæ V.

Omnia ut in festo præter lectiones.

Sermo Venerabilis Bedæ Presbyteri.

Ex homilia in solemnitate Deiparæ V. M. quando salutavit Elisabeth.

Lectio I.

ELISABETH illum in utero gestabat, quo in natis mulierum major nemo est: et eum advenisse gaudebat, qui conceptus ex carne matris virginis filius Altissimi vocaretur et esset. Exclamavit autem, et dixit: Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui. Non solum benedicta inter mulieres, sed inter mulieres benedictas majori benedictione specialiter insignis. Benedictus fructus ventris tui. Nec ipse generali sanctorum more benedictus, sed sicut Apostolus ait: Quorum patres et ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. De hujus ortu fructus Psalmista mystico sermone testatur, dicens: Etenim Dominus dabit benignitatem, et terra nostra dabit fructum suum.

℟. Quæ est ista, quæ processit sicut sol, et formosa tanquam Jerusalem? * Viderunt eam filiæ Sion, et beatam dixerunt, et reginæ laudaverunt eam.

℣. Et sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum, et lilia convallium. Viderunt.

Lectio II.

DEDIT quippe Dominus benignitatem, quia genus humanum a reatu prævaricationis per unigenitum suum liberare disposuit: dedit benignitatem, qui ejus ingressui virginalis uteri templum Spiritus Sancti gratia consecravit. Et terra nostra dedit fructum suum, quia eadem Virgo, quæ de terra corpus habuerat, filium genuit divinitate quidem Deo patri coequalem, sed sibi carnis veritate consubstantialem. De hoc et Isaias humanæ redemptionis tempus intuens, ait: In illa die erit germen Domini in magnificentia et glo-

Digitized by Google

ria, et fructus terræ sublimis. Germen namque Domini fuit in magnificentia et gloria, cum sempiternus Dei filius in carne temporaliter apparens, magnitudine virtutum cælestium mundo clarus effulsit.

℟. Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles: * Similis est dilectus meus capreæ, hinnuloque cervorum.

℣. Exultavit ut gigas ad currendam viam, a summo cælo egressio ejus. Similis. Gloria Patri. Similis.

Lectio III.

FRUCTUS quoque terræ sublimis effectus est, quando carnem, quam de nostra natura Deus mortalem susceperat, virtute resurrectionis immortalem jam redditam ad cælos sublimavit. Recte ergo dicitur: Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. Benedicta est enim incomparabiliter, quæ et divini germinis suscepit gloriam, et coronam integritatis servavit. Benedicta inter mulieres, per cujus partum virgineum a natis mulierum maledictio primæ matris exclusa est. Benedictus fructus ventris illius, per quem et semen incorruptionis, et supernæ hæreditatis, quam perdidimus in Adam, fructum recipimus. Et vere ac singulariter benedictus, qui non nostro more postquam natus est, gratiam a Domino benedictionis percepit, sed ipse ad salvandum mundum benedictus venit in nomine Domini.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

DIE IV. JULII.

Tertia die infra Octavam Visitationis B. Mariæ V.

Omnia ut in festo præter Lectiones.

Sermo Sancti Ambrosii Episcopi.

Lib. 2. in Luc. Cap. 1.

Lectio I.

CONTUENDUM est, quia superior venit ad inferiorem, ut inferior adjuvetur. Maria ad Elisabeth, Christus ad Joannem. Denique etiam postea ut sanctificaret baptismum Joannis, Domi-

Digitized by Google

nus venit ad baptismum. Citoquoque adventus Mariæ, et præsentiæ divinæ beneficia declarantur. Vide distinctionem, singulorumque verborum proprietatem. Vocem prior Elisabeth audivit, sed Joannes prior gratiam sensit. Illa naturæ ordine audivit, iste exultavit ratione mysterii: illa Mariæ, iste Domini sensit adventum. Istæ gratiam loquuntur, illi intus operantur, pietatisque mysterium maternis adoriuntur profectibus: duplicique miraculo prophetant matres spiritu parvulorum.

℟. Congratulamini mihi omnes, qui diligitis Dominum, quia cum essem parvula, placui Altissimo: * Et de meis visceribus genui Deum et hominem.

℣. Beatam me dicent omnes generationes, quia ancillam humilem respexit Deus. Et.

Lectio II.

EXULTAVIT infans, repleta est mater. Non prius mater repleta quam filius: sed cum filius esset repletus Spiritu Sancto, replevit et matrem. Exultavit Joannes, exultavit et Mariæ spiritus. Exultante Joanne, repletur Elisabeth: Mariam tamen non repleri spiritu, sed spiritum ejus exultare cognovimus. Incomprehensibiliter operabatur in matre. Et illa post conceptum repletur, ista ante conceptum. Et unde hoc mihi, ut veniat materDomini mei ad me? Hoc est, quo tantum bonum mihi accidit, ut mater Domini mei veniat ad me? Unde hoc mihi? qua justitia? quibus factis? pro quibus meritis? Miraculum sentio, agnosco mysterium: mater Domini verbo fæta, Deo plena est.

℟. Beata quæ credidisti, quoniam perficientur in te, quæ dicta sunt tibi a Domino. Et ait Maria: * Magnificat anima mea Dominum.

℣. Venite, audite, et narrabo quanta fecit Deus animæ meæ. Magnificat. Gloria Patri. Magnificat.

Lectio III.

BENE inducitur Sancta Maria, et exhibuisse officium, et mysticum

Digitized by Google

numerum custodisse. Non enim sola familiaritatis est causa quod diu mansit, sed etiam tanti Vatis profectus. Nam si primo ingressu tantus profectus extitit, ut ad salutationem Mariæ exultaret infans in utero, repleretur Spiritu Sancto mater infantis; quantum putamus usu tanti temporis sanctæ Mariæ addidisse præsentiam? Mansit autem Maria cum illa tribus mensibus. Ungebatur itaque, et quasi bonus athleta exercebatur in utero matris Propheta: amplissimo enim virtus ejus certamini parabatur. Denique tamdiu mansit Maria, quamdiu Elisabeth pariendi tempus implevit.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

DIE V. JULII.

Quarta die infra Octavam Visitationis B.M.V.

Omnia ut in festo præter lectiones.

Sermo Venerabilis Bedæ Presbyteri.

Ex homilia in Solemnitate Deiparæ V. M. quando salutavit Elisabeth.

Lectio I.

PER spiritum didicit Elisabeth, quæ Angelus ad Mariam verba protulerit, quod illa mox evangelizanti crediderit, quod hæc divina operante potentia absque ulla essent dubietate complenda. Mirumque in modum idem spiritus eam cum replevit, præsentium simul præteritorum et futurorum scientia instruxit. De præsentibus namque se edoctam monstravit, cum beatam Mariam matrem Domini sui vocans, quia Redemptorem humani generis in utero gestaret, indicavit. Unde etiam fructum ventris ejus singulariter benedictum esse professa est. Præteritorum se notitiam accepisse signavit, quæ et verba Angeli ad Mariam, et consensum Mariæ credentis sibi innotuisse prodidit. Sed et futurorum scientiam sibi non negatam intimavit, cum perficienda a Domino, quæ ei dicta essent, aperuit.

℟. Surge, propera, amica mea, formosa mea, et veni: Jam enim hyems transiit, imber abiit, et recessit: * Vox turturis audita est in terra nostra.

Digitized by Google

℣. Intravit Maria in Domum Zachariæ, et salutavit Elisabeth. Vox.

Lectio II.

Quis autem, fratres mei, dicere, quis æstimare sufficiat, quæ tunc gratia spiritus Dei genitricem repleverit, cum tanta in matre præcursoris lux doni cælestis emicuit? Audita ergo responsione Elisabeth, qua eam beatam inter mulieres prædicavit, matrem Domini sui cognominavit, fide fortem laudavit, ad cujus ingressum seipsam cum filio Spiritu Sancto repletam esse signavit, non amplius tacere potuit dona quæ perceperat, sed quæ semper animo gerebat, ubi aptum tempus invenit, etiam devota oris professione patefecit. Namque ut virginalem decebat pudorem, acceptum divinitus oraculum aliquandiu silentio tegebat, arcanum mysterii cælestis in sui pectoris abdito venerabatur occultum, expectabat reverenter donec ipse donorum distributor quid sibi doni specialis tribuisset, quid secreti revelasset, quandocumque vellet, ostenderet.

℟. Repleta est Spiritu Sancto Elisabeth, et exclamavit: * Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui.

℣. Et unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me? Benedicta Gloria Patri. Benedicta.

Lectio III.

At postquam eadem quæ sibi erant charismata præstita per alios spiritu revelante esse patefacta cernebat, mox ipsa etiam thesaurum cæli quem in corde servabat, aperuit. Ait ergo: Magnificat anima mea Dominum. Et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo. Quibus profecto verbis primo dona sibi specialiter concessa confitetur, deinde generalia Dei beneficia quibus generi humano in æternum consulere non desistit, enumerat. Ejus autem anima Dominum magnificat, qui omnes interioris hominis sui affectus divinis laudibus ac servitiis mancipat, qui

Digitized by Google

observantia præceptorum Dei semper ejus potentiam majestatis se cogitare demonstrat. Ejus spiritus in Deo salutari suo exultat, quem nihil in terrenis libet, nulla caducarum rerum affluentia emollit, nulla adversitas frangit, sed sola illius a quo salus speratur æterna, sui conditoris memoria delectat.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

DIE VI. JULII.

Quinta die infra Octavam Visitationis B. Mariæ V.

Omnia ut in festo præter Lectiones

Sermo Sancti Maximi Episcopi.

Serm. 6. in Nativit. Joannis Baptistæ.

Lectio I.

Quis revera renuat credere nativitatem nascentis Christi, quandoquidem de vetustis parentibus procedit desperata successio? Ibi de senibus Propheticus editur puer; hic vero de Virgine Dominus nascitur Prophetarum. Ibi disceptatio de senecta duorum est; hic autem de unius puellæ Virginitate miraculum. Nec sane mirum, si illa sterilis, et hæc Virgo concepit, quia ibi salutaris mysterii nuntius, hic ipsum vitæ nostræ mysterium nascebatur. Ibi temporalis lucerna resplenduit; hic Sol perpetuitatis illuxit. Ibi incomprehensibiliter genitus ab ingenito; hic mirabiliter natus e Virgine. Ibi paterna majestate editus; hic Spiritus operatione formatus. Ibi simplex in genitore natura est; hic gemina in Redemptore substantia.

℟. Surge, propera, amica mea, formosa mea, et veni: jam enim hyems transiit, imber abiit et recessit: * Vox turturis audita est in terra nostra.

℣. Intravit Maria in domum Zachariæ, et salutavit Elisabeth. Vox.

Lectio II.

Ibi totus impassibilis a patre suo Deus est; hic autem tantus processit a Matre, ut et pati non possit. Pati enim poterat, sicut et passa est

Digitized by Google

caro nata de carne, et pati non potuit Deus natus in carne. Edidit namque nobis per uterum Virginis Deus carnem et caro Deum. Ait enim Elisabeth ad beatam Mariam: Ecce ex quo facta est vox salutis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudium infans in utero meo. Intendite, fratres, quanta beatis illis matribus collata sint munera, quibusque miraculis parituræ fœminæ decorentur. Infans, inquit, exultavit in utero matris suæ: exultavit, ut pariter et suum meritum, et Virginei ventris gloriam revelaret. Nam inspirante Deo anilis ille uterus sensit adventasse Dominicum ventrem, novoque gaudio mortalibus nuntiat, quantam mundo lætitiam Christus nasciturus inferret.

℟. Quæ est ista, quæ processit sicut sol, et formosan tanquam Jerusalem? * Viderunt eam filiæ Sion, et beatam dixerunt, et reginæ laudaverunt eam.

℣. Et sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum, et lilia convallium. Viderunt. Gloria Patri. Viderunt.

Ex sermone nono.

Lectio III.

Siquidem Dominus de Virgine gignitur, Joannis de sterili procreatur: ille de adolescentula immaculata depromitur, hic de vetula jam fessa generatur. Quamvis enim vilior partus mulieris videatur esse, quam virginis: tamen sicut Mariam suscipimus, quod Virgo pepererit, in Elisabeth miramur quod anicula procreaverit. Maria conscia virginitatis, miratur fætum visceribus involutum; Elisabeth autem conscia senectutis, erubescit partu uterum prægravatum: dicit enim Evangelista: Occultabat se mensibus quinque. Illud autem quam mirandum, quod idem Gabriel Archangelus utriusque nativitatis officium repræsentat? Zachariam solatur incredulum, confidentem Mariam cohortatur. Ille quia dubitavit, vocem perdidit: hæc quia statim credidit, Verbum salutare concepit.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

Digitized by Google

DIE VII. JULII.

Sexta die infra Octavam Visitationis B. M. V.

Omnia ut in festo præter lectiones.

Sermo Venerabilis Bedæ Presbyteri.

Homilia in Solemnitate Deiparæ, quando salutavit Elisabeth.

Lectio I.

APERIENTE os ad salutandum beata Maria, repleta est mox Spiritu Sancto Elisabeth, repletus est et Joannes: atque uno eodemque Spiritu ambo edocti, illa salutantem quæ esset agnovit, et ut matrem Domini sui debita cum benedictione venerata est, ille ipsum Dominum esse, qui in utero Virginis portaretur intellexit: et quia lingua necdum valuit, animo exultante salutavit, officiumque suæ præcursionis quam devote, quam libenter juvenis esset impleturus, et antequam nasceretur, adveniente Domino, quibus valebat indiciis intimavit. Aderat namque tempus quo impleretur Angeli sermo quem dixerat, quia Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ.

℟. Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles: * Similis est dilectus meus capreæ hinnuloque cervorum.

℣. Exultavit ut gigas ad currendam viam, a summo cælo egressio ejus. Similis.

Lectio II.

ET exclamavit voce magna; recte voce magna, quia magna Dei dona cognovit: recte voce magna, quia illum quem ubique præsentem noverat, etiam corporaliter adesse sentiebat. Magna etenim voce non tam clamosa, quam devota intelligendum est. Neque enim modicæ vocis devotione Dominum laudare valebat, quæ Spiritu Santo plena flagrabat. Et unde hoc mihi, ut veniat mater Domini ad me? O quanta in prophetissæ mente humilitas, quam verus sermo Domini quem dixit: Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem et quietum, et trementem verba mea? Matrem quidem Domini, quæ ad se venerat, mox ut vidit, esse cognovit:

Digitized by Google

sed nihil in se talis meriti reperiens, quo digna fieret a tanta hospite visitari.

℟. Repleta est Spiritu Sancto Elisabeth, et exclamavit : Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui: * Et unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me.

℣. Ecce enim, ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo. Et unde. Gloria Patri. Et unde.

Lectio III.

INTELLEXIT Elisabeth eodem quo impleta erat spiritu revelante, quid illa exultatio sui significasset infantis, hoc est illius venisse matrem, cujus ipse præcursor ac demonstrator esset futurus. Et quam miranda, quam cita Sancti Spiritus operatio? Nulla quippe in discendo mora est, ubi Spiritus Sanctus doctor est. In uno eodemque momento cum voce salutantis gaudium nascitur infantis, quia dum vox ad aures pervenit corporales, virtus spiritalis cor intravit audientis, nec solum genitricem, sed et sobolem amore Domini advenientis accendit. Unde mox eadem præcursoris Domini genitrix ea, quæ in occulto cognoverat, his qui simul aderant, et audiebant palam evangelizare curavit.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

DIE VIII. JULII.

Septima die infra Octavam Visitationis B. Mariæ V.

Omnia ut in festo præter lectiones

Sermo Sancti Bernardi Abbatis.

Ex Homilia 4. super Missus est.

Lectio I.

QUID fuit necesse etiam hujus sterilis nuntiare conceptum? Numquid forte dubiam adhuc et incredulam oraculo, recentiori voluit confirmare miraculo? Absit. Legimus et Zachariæ incredulitatem ab hoc ipso Angelo fuisse castigatam. Mariam autem in aliquo reprehensam non legimus, quin potius fi-

Digitized by Google

dem ipsius Elisabeth prophetante laudatam agnovimus. Beata, inquit, quæ credidisti, quoniam perficientur in te, quæ dicta sunt tibi a Domino. Sed ideo sterilis cognatæ conceptus Virgini nuntiatur, ut dum miraculo miraculum additur, gaudium gaudio cumuletur. Porro necesse erat non modico lætitiæ et amoris prævenientе inflammari incendio, quæ Filium paternæ dilectionis gaudio Spiritus Sancti mox fuerat conceptura.

℟. Congratulamini mihi omnes, qui diligitis Dominum, quia cum essem parvula placui Altissimo: * Et de meis visceribus genui Deum et hominem.

℣. Beatam me dicent omnes generationes, quia ancillam humilem respexit Deus. Et.

Lectio II.

Neque enim nisi in devotissimo corde atque hilarissimo tanta se capere poterat dulcedinis, et alacritatis affluentia. Vel ideo conceptus Elisabeth nuntiatur Mariæ, quia profecto decebat, ut verbum mox divulgandum ubique, prius sciret Virgo per Angelum, quam audiret ab homine: ne Mater videlicet Dei a consiliis filii videretur amota, si eorum quæ in terris tam prope gererentur, remansisset ignara. Vel ideo potius conceptus Elisabeth Mariæ nuntiatus est, ut dum nunc Salvatoris, nunc Præcursoris edocetur adventus, rerum tempus et ordinem tenens, ipsa melius postmodum scriptoribus ac prædicatoribus Evangelii referat veritatem, quæ et plane de omnibus a principio cælitus fuerit instructa mysteriis.

℟. Beata quæ credidisti, quoniam perficientur in te, quæ dicta sunt tibi a Domino. Et ait Maria: * Magnificat anima mea Dominum.

℣. Venite, et audite, et narrabo quanta fecit Deus animæ meæ. Magnificat. Gloria Patri. Magnificat.

Lectio III.

Vel ideo adhuc nuntiatur Mariæ, conceptus

Digitized by Google

Elisabeth, ut audiens cognatam vetulam et gravidam, cogitet juvencula de obsequio; sicque illa properante ad visitandum, parvulo Prophetæ locus et occasio detur, quo minori adhuc Domino suo officii valeat exhibere primitias: et cum ad se invicem occurrit matrum infantumque ab alterutro excitata devotio, mirabilius fiat miraculum de miraculo. Potuerunt prævidere, et prædicere Prophetæ Virginem, vel sterilem concepturam ac paritura: sed numquid facere, ut conciperet et pareret? Deus autem qui dedit eis posse prævidere, quam facile potuit, tunc quod voluit per illos prædicere, tam facile potuit nunc, quando voluit, per seipsum quod promisit.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

DIE IX. JULII.

Octava Visitationis B. V. M.

Omnia ut in festo præter lectiones.

Sermo Venerabilis Bedæ Presbyteri.

Ex Homilia in feria sexta quatuor temporum.

Lectio I.

VISITAT junior seniorem, salutat Virgo uxorem. Decet enim, ut quo castior virgo, eo sit humilior, et senioribus deferens habitum castitatis præconio commendet humilitatis. Et exclamavit voce magna Elisabeth, et dixit: Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui. Iste enim est fructus, qui David Patriarchæ sub jurejurando promittitur, dicens: De fructu ventris tui ponam super sedem meam. Simulque intuendum quod eadem voce Maria ab Elisabeth, qua a Gabriele, benedicitur, quatenus et Angelis et hominibus veneranda, et cunctis merito fœminis præferenda monstretur. Et unde hoc mihi ut veniat mater Domini mei ad me? Non quasi nescia perquirit, quod nimirum Sancti Spiritus esse cognoscit, se videlicet a matre Domini ad pignoris sui profectum salu-

Digitized by Google

tari; sed miraculi novitate perculsa, non hoc sui meriti, sed muneris fatetur esse divini

℟. Surge, propera, amica mea, formosa mea, et veni: jam enim hyems transiit, imber abiit, et recessit: * Vox turturis audita est in terra nostra.

℣. Intravit Maria in domum Zachariæ, et salutavit Elisabeth. Vox.

Lectio II.

Erubescebat Elisabeth onus parentis, quamdiu nesciebat mysterium religionis. Sed quæ occultabat se quia conceperat filium, jactare se cæpit, quia generabat Prophetam. Et quæ ante erubescebat, benedicit; et quæ dubitabat ante, firmatur. Ecce enim, inquit, ut vox salutationis tuæ facta est in auribus meis, exultavit gaudio infans in utero meo. Itaque magna voce clamavit, ubi Domini sensit adventum, quia religiosum credidit partum. Nulla enim causa erat pudoris, ubi Prophetæ ortus, datæ non affectatæ fidem generationis adsciscerent. Et beata quæ credidit, quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt ei a Domino. Vides non dubitasse Mariam, sed credidisse, et ideo fructum fidei consecutam.

℟. Quæ est ista, quæ processit sicut sol, et formosa tanquam Jerusalem? * Viderunt eam filiæ Sion, et beatam dixerunt, et reginæ laudaverunt eam.

℣. Et sicut diès verni circumdabant eam flores rosarum, et lilia convallium. Viderunt. Gloria Patri. Viderunt.

Lectio III.

Beata, inquit, quæ credidit. Et vere beata quæ sacerdote præstantior: cum enim sacerdos negasset, virgo correxit errorem. Nec mirum si Dominus redempturus mundum, operationem suam inchoasset a matre, ut per quam salus omnibus parabatur, eadem prima fructum salutis hauriret ex pignore. Pariterque notandum quanta Elisabeth animum gratia Maria intrante ditavit, quem simul de

Digitized by Google

præterito, præsenti, atque futuro, per prophetiæ spiritum illustravit: dicens enim: Beata quæ credidisti, aperte indicat, quia verba Angeli quæ dicta ad Mariam fuerant, per spiritum agnovit: atque subjungens: Perficientur ea, quæ dicta sunt tibi a Domino, quæ etiam eam in futuro sequerentur, prævidit. Matrem vero Domini sui nominans, quia redemptorem humani generis in utero portaret, intellexit.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

Digitized by Google

DIE XV. AUGUSTI.

IN FESTO

ASSUMPTIONIS B. M. VIRGINIS.

Ad vesperas, ad laudes et per horas.

Ant. Assumpta est Maria in Cælum, gaudent Angeli, laudantes benedicunt Dominum.

Psalmi ut in fer. occurrente.

Ant. Maria Virgo assumpta est ad æthereum thalamum, in quo Rex regum stellato sedet solio.

Ant. In odorem unguentorum tuorum currimus; adolescentulæ dilexerunt te nimis.

Ant. Benedicta filia tua Domino, quia per te fructum vitæ communicavimus.

Ant. Pulchra es, et decora, filia Jerusalem, terribilis ut castrorum acies ordinata.

CAPITULUM. *Eccle. 24.*

In omnibus requiem quæsivi, et in hæreditate Domini morabor. Tunc præcepit, et dixit mihi Creator omnium: et qui creavit, me requievit in tabernaculo meo.

℟. Deo gratias.

Hymnus ad Vesperas, ut in feria occurrente.

℣. Exaltata est sancta Dei Genitrix.

℟. Super choros Angelorum ad cælestia regna.

AD MAGNIFICAT.

Ant. Virgo prudentissima, quo progrederis, quasi aurora valde rutilans? filia Sion tota formosa, et suavis es, pulchra ut luna, electa ut Sol.

ORATIO.

FAMULORUM tuorum, quæsumus Domine, delictis ignosce: ut qui tibi placere de actibus nostris non valemus, Genitricis Filii tui Domini nostri intercessione salvemur. Qui tecum vivit et regnat.

℟. Amen.

Digitized by Google

AD MATUTINUM

INVITATORIUM.

Venite, adoremus Regem regum: * Cujus hodie ad æthereum Virgo Mater assumpta est cælum.

Psal. Venite exultemus. *pag. 1.*

Hymnus, et Psalmi ad Noct. ut in fer. occurr.

℣. Exaltata est sancta Dei Genitrix.

℟. Super choros Angelorum ad cælestia regna.

Sermo Sancti Joannis Damasceni.

Orat. 2. de dormitione B. Mariæ.

Lectio I.

Hodie sacra et animata Arca Dei viventis, quæ suum in utero concepit Creatorem, requiescit in templo Domini, quod nullis est extructum manibus: et David exultat ejus parens, et cum eo choros ducunt Angeli, celebrant Archangeli, Virtutes glorificant, Principatus exultant, Potestates collætantur, gaudent Dominationes, Throni festum diem agunt, laudant Cherubim, gloriam ejus prædicant Seraphim. Hodie Eden, novi Adam paradisum suscipit animatum, in quo soluta est condemnatio, in quo plantatum est lignum vitæ, in quo operta fuit nostra nuditas.

℟. Vidi speciosam sicut columbam, ascendentem desuper rivos aquarum: * Cujus inæstimabilis odor erat nimis in vestimentis ejus.

℣. Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ, et thuris? Cujus.

Lectio II.

Hodie Virgo immaculata, quæ nullis terrenis inquinata est affectibus, sed cælestibus educata cogitationibus, non in terram reversa est, sed cum esset animatum cælum, in cælestibus tabernaculis collocatur. Ex qua enim omnibus vera vita manavit, quomodo illa mortem gustaret? Sed cedit legi latæ ab eo, quem genuit: et ut filia veteris Adam, veterem sententiam subiit: (nam et ejus Filius, qui est vita ipsa, eam non re-

Digitized by Google

cusavit) ut autem Dei viventis mater, ad illum ipsum digne assumitur.

℟. Sicut cedrus exaltata sum in Libano, et sicut cypressus in monte Sion: quasi myrrha electa, * Dedi suavitatem odoris.

℣. Et Sicut cinnamomum, et balsamum aromatizans. Dedi. Gloria Patri. Dedi.

Lectio III.

HEVA, quæ serpentis suggestioni assensum præbuit, partus dolore, et mortis sententia damnatur: et in inferorum collocatur penetralibus. Hanc autem vere beatam, quæ Dei verbo aures præstitit, et Spiritus Sancti operatione repleta est, atque ad Archangeli spiritalem salutationem, sine voluptate et virili consortio, Dei Filium concepit, et sine dolore aliquo peperit, ac totam se Deo consecravit, quonam modo mors devoraret? quomodo inferi susciperent? quomodo corruptio invaderet corpus illud, in quo vita suscepta est? Huic recta, plena, et facilis ad cælum parata est via. Si enim; Ubi ego sum, illic et minister meus erit, inquit vita et veritas Christus: quomodo non potius mater cum ipso erit?

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

AD LAUDES

Hymnus ut in feria occurr.

℣. Exaltata est etc.

AD BENEDICTUS.

Ant. Quæ est ista, quæ ascendit sicut aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata?

Oratio ut supra.

AD TERTIAM.

Capitulum ut supra.

℟. *br.* Exaltata est,* Sancta Dei Genitrix. Exaltata.

℣. Super choros Angelorum ad cælestia regna. Sancta. Gloria Patri. Exaltata.

℣. Assumpta est Maria in cælum, gaudent Angeli.

℟. Laudantes benedicunt Dominum.

Digitized by Google

AD SEXTAM.

CAPITULUM. *Eccl. 24.*

Et sic in Sion firmata sum, et in civitate sanctificata similiter requievi, et in Jerusalem potestas mea. Et radicavi in populo honorificato, et in parte Dei mei hæreditas illius, et in plenitudine sanctorum detentio mea.

℟. Deo gratias.

℟. *br.* Assumpta est Maria in cælum, * Gaudent Angeli. Assumpta.

℣. Laudantes benedicunt Dominum. Gaudent. Gloria Patri. Assumpta.

℣. Maria Virgo assumpta est ad æthæreum thalamum.

℟. In quo Rex regum stellato sedet solio.

AD NONAM.

CAPITULUM. *Eccl. 24.*

In plateis sicut cinnamomum et balsamum aromatizans odorem dedi: quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris.

℟. Deo gratias.

℟. *br.* Maria Virgo assumpta est, * ad æthereum thalamum. Maria.

℣. In quo Rex regum stellato sedet solio. Ad æthereum. Gloria Patri. Maria.

℣. Dignare me laudare te, Virgo sacrata.

℟. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

IN II. VESPERIS

AD MAGNIFICAT.

Ant. Hodie Maria Virgo cælos ascendit: gaudete, quia cum Christo regnat in æternum.

Oratio ut supra.

DIE XVI. Augusti.

Secunda die infra Octavam Assumptionis B. Mariæ V.

Omnia ut in festo præter lectiones.

Sermo Sancti Anselmi Episcopi.

In homiliam Evangelii Pars. 3. Opusc.

Lectio I.

INTRAVIT Jesus in quoddam castellum. Hoc castellum in quod intravit Jesus, singularem intemeratam Virginem ejusdem Jesu genitricem, salva Scripturarum regula, per similitudinem accipimus. Castellum enim dicitur quælibet turris et murus in circuitu ejus. Quæ

Digitized by Google

duo se invicem defendunt, ita ut hostes per muros ab arce, et a muro per arcem arceantur. Hujusmodi castello non incongrue Virgo Maria assimilatur, quam virginitas mentis et corporis quasi murus ita undique vallavit, ut nullus unquam libidini ad eam esset accessus, nec sensus ejus aliqua corrumperentur illecebra. Et quia virginitatem cum libido non possit, solet impugnare superbia, est in eadem virgine turris humilitatis, quæ a muro virginitatis omnem repellit superbiam.

℟. Quæ est ista, quæ processit sicut sol, et formosa tanquam Jerusalem? * Viderunt eam filiæ Sion, et beatam dixerunt, et reginæ laudaverunt eam.

℣. Et sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum, et lilia convallium. Viderunt.

Lectio II.

De humilitate vero dicendum est, quod cum ab Angelo salutaretur et mater Dei eligeretur, quomodo fieret salva virginitate, cui tantum timebat, doceretur: et benedicta super omnes mulieres prædicaretur, respondit: Ecce ancilla Domini: et in alio loco: quia respexit humilitatem ancillæ suæ. O sublimis virgo mater Dei! O mater humilis ancilla Dei! Quid sublimius esse posset? Quoddam, id est, singulare castellum fuit Virgo Maria. Quamvis enim et multæ aliæ murum virginitatis habeant, et turrim humilitatis, id est, et virgines sint, et humiles; tamen, salva virginitate matres esse non possunt, neque filios generare, quod ista sola fecit.

℟. Ornatam monilibus filiam Jerusalem Dominus concupivit: * Et videntes eam filiæ Sion, beatissimam prædicaverunt dicentes: * Unguentum effusum nomen tuum.

℣. Astiti Regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate. Et videntes. Gloria Patri. Unguentum.

Lectio III.

Et ideo castellum hoc merito quoddam, id est, singulare dicitur;

Digitized by Google

quia ista singulariter et mater et Virgo, quod nulla alia esse potuit, vel poterit: verum concedamus aliquam et matrem esse et virginem, quamvis impossibile. Etiam sic virgo Maria singularis erit, quia unicum Dei filium genuit, qui sicut est unicus unico patri: ita est unicus unicæ matri. Et ideo etiam si virgo pariat, nulla vel eumdem vel talem generabit alium. Est ergo castellum quoddam in quod intravit Jesus: porta vero per quam intravit est fides. Quia enim credidit, perfecta sunt a Domino ei, quæ ab Angelo dicta sunt, sicut ait ad eam Elisabeth: nec quia Jesus intravit in castellum hoc, violatum est. Jesus enim salvat, non violat; confracta solidat, non confringit solida.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

DIE XVII. AUGUSTI.

Tertia die infra Octavam Assumptionis B. Mariæ V.

Omnia ut in festo præter lectiones.

Sermo Sancti Bernardi Abbatis.

Sermone 4. de Assumptione.

Lectio I.

TEMPUS loquendi est omni carni, cum assumitur incarnati Verbi Mater in cælum: nec cessare debet a laudibus humana mortalitas, cum hominis sola natura super immortales spiritus exaltatur in Virgine. Sed de ejus gloria nec silere devotio patitur, nec dignum aliquid sterilis concipere cogitatio, aut inerudita potest locutio parturire. Hinc est, quod et ipsi cælestis curiæ principes in consideratione tantæ novitatis clamant non sine admiratione: Quæ est ista, quæ ascendit de deserto deliciis affluens? Ac si manifestius dicant: Quanta est hæc, aut unde ei ascendenti utique de deserto, affluentia tanta deliciarum?

℟. Beatam me dicent omnes generationes: * Quia fecit mihi magna, qui potens est, et sanctum nomen ejus.

℣. Et misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum. Quia.

Digitized by Google

Lectio II.

NEC enim pares inveniuntur deliciæ vel in nobis, quos in civitate Domini lætificat fluminis impetus, qui a vultu gloriæ, voluptatis gloria portamur. Quæ est ista, quæ de sub sole (ubi nihil est nisi labor et dolor, et afflictio spiritus) ascendit deliciis spiritualibus affluens? Quidni delicias dixerim, virginitatis decus cum munere fæcunditatis, humilitatis insigne, distillantem charitatis favum, misericordiæ viscera, plenitudinem gratiæ, prærogativam gloriæ singularis? Ascendens igitur de deserto Regina mundi, etiam Angelis sanctis, ut canit Ecclesia: Speciosa facta est et suavis in deliciis suis.

℟. Beata es, Virgo Maria, quæ Dominum portasti Creatorem mundi:* Genuisti qui te fecit, et in æternum permanes Virgo.

℣. Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum. Genuisti.

Gloria Patri.

Genuisti.

Lectio. III.

DESINANT tamen deserti hujus mirari delicias, quia Dominus dedit benignitatem, et terra nostra dedit fructum suum. Quid mirantur de terra deserta Mariam ascendere deliciis affluentem? Longe enim ampliori miraculo dignum videtur, Dei filium paulo minus ab Angelis minorari, quam Dei matrem super Angelos exaltari. Illius siquidem exinanitio, facta est repletio nostra: illius miseriæ, mundi deliciæ sunt. Denique cum dives esset, propter nos pauper factus est, ut nos ejus inopia ditaremur. Sed et crucis ignominia, credentium facta est gloria.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

DIE XVIII. AUGUSTI.

Quarta die infra Octavam Assumptionis B. M. V.

Omnia ut in festo præter lectiones.

Sermo Sancti Anselmi Episcopi.

In homiliam Evangelii. Pars. 3. Opusc.

Lectio I.

CUM Martham vel Mariam dico, eorum si-

Digitized by Google

gnificata intelligo. Et ut planius id faciamus, quid alii per Martham operantur, et quid est ista operata conferamus. Alii hospitem quemlibet in domo sua suscipiunt, ista non quemlibet, sed proprium Dei filium, qui non habet ubi caput reclinet, non in domo, sed in utero suscipit. Alii nudum quemlibet veste mutabili atque corruptibili undelibet composita operiunt, illa Verbum Dei in eadem virginea carne in unitate personæ assumpsit, quæ sine fine incommutabilis atque incorruptibilis permanet. Alii quemlibet esurientem et sitientem cibo vel potu exteriori reficiunt; ista Deum et hominem humanitatis indigentem, non solum exterioribus cibis vel potibus pavit, verum etiam interiori lacte suo aluit.

℟. Diffusa est gratia in labiis tuis: * Propterea benedixit te Deus in æternum.

℣. Myrrha, et gutta, et casia a vestimentis tuis, a Domibus eburneis, ex quibus te delectaverunt filiæ regum in honore tuo. Propterea.

Lectio II.

Et ut breviter illa sex misericordiæ opera percurramus, quæ cum uni ex minimis suis fecit, Deus sibi facta confitetur. Ista non quemlibet ex minimis, sed summum Dei Filium hospitem suscepit, nudum carne, vel etiam pannis operuit, esurientem pavit, sitientem lacte potavit, infirmum per infantiam et jacentem non solum visitavit, sed etiam balneando, fovendo, gestando frequentavit, ut merito de ea dicatur: Martha satagebat circa frequens ministerium. Inter hæc autem turbatur, et solicita erat cum fugeret in Ægyptum a facie Herodis, qui suum talem filium adeo persequebatur, ut multos suspectæ ætatis pueros occideret. Turbabatur cum Judæos insidiantes, et mortem inferre molientes cognosceret. Ad ultimum turbata est valde, et juxta Simeonis vocem, suam ipsius animam pertransivit gladius, cum vide-

Digitized by Google

ret suum talem filium crucifigi, mori, sepeliri. Unde ei congruit, quod dicitur: Martha, Martha, sollicita es, et turbaris erga plurima.

℟. Beata es, Virgo Maria, Dei genitrix, quæ credidisti Domino: perfecta sunt in te, quæ dicta sunt tibi: ecce exaltata es super choros Angelorum: * Intercede pro nobis ad Dominum Deum nostrum.

℣. Ave Maria, gratia plena. Dominus tecum. Intercede. Gloria Patri. Intercede.

Lectio III.

PORRO de parte Mariæ, quæ optima prædicatur, quanta et qualis in beata Maria fuerit, quis digne loquatur? Si talis est, ut diximus, imo quia melior est, quam diximus in beata Maria, pars Marthæ, quæ tamen a Domino non laudatur: sed tamen non vituperatur, qualis est pars, quam optimam Maria elegit, quæ sic laudatur, ut ab ea non auferri dicatur. O quam magna multitudo dulcedinis fuit in beata Virgine, quando Spiritus Sanctus super eam venit, et virtus Altissimi obumbravit ei, et de eodem Spiritu Sancto concepit! Quid de Deo non sapiebat, in qua Sapientia Dei latebat, et in cujus utero corpus sibi optabat? Pars ergo Marthæ ei aufertur, sed bono suo; pars vero Mariæ ei perficitur, quæ non auferetur ab ea. Exaltata est enim super choros Angelorum, repletum est in bonis desiderium suum, videt Deum facie ad faciem sicuti est, gaudet cum filio in æternum.

DIE XIX. AUGUSTI.

Quinta die infra Octavam Assumptionis B. Mariæ V.

Omnia ut in festo præter lectiones.

Sermo Sancti Amedæi Lausanensis Episcopi.

Homilia 7. de Beatæ Virginis obitu et Assumpt.

Lectio I.

QUIS digne laudibus efferat sacratissimam Mariæ Assumptionem? Quis fatu explicet quam læta migravit a corpore quam læta vidit filium, quam gaudens propera-

Digitized by Google

vit ad Dominum, Angelorum vallata chorîs, Apostolicis fulta obsequiis dum Regem cerneret in decore, et natum cum gloria præstolantem se videret, sicut expers totius corruptelæ, sic immunis ab omni molestia? De carnis habitaculo educta est perenniter habitura cum Christo. Transiit autem in visione Dei, et beatissimam illam animam sole clariorem, cælo celsiorem, Angelis digniorem Domino exhalavit. Enimvero in transitu ejus glorioso illustratur mons Sion, ubi provecta dierum decessit in senectute bona.

℟. Vidi speciosam sicut columbam, ascendentem desuper rivos aquarum, cujus inæstimabilis odor erat nimis in vestimentis ejus: * Et sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum, et lilia convallium.

℣. Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ, et thuris. Et.

Lectio II.

IBI explevit munus vitæ, dans plenam, atque perfectam virtutum omnium consummationem. Ibi orienti magis quam morienti, et abituræ plusquam obituræ occurrunt castra Dei, et ruunt obviam ei exercitus militiæ cælestis. O quam prætiosa in conspectu Domini mors Genitricis suæ! Egrediens vidit vitam, ne mortem videret: vidit filium, ne carnis abscessu doleret. Evadens ergo libera in tam felicissima visione, et potita optatu vultu Dei, venerandos cives cæli in sui obsequio, et deductione paratos invenit. Mirantur illi animam meriti singularis exutam æterna labe, nullam carnis aut sæculi maculam habere. Mirantur exutam artubus gratia totius puritatis candore. Unde Dominus prædicans laudes ejus, ait: Tota pulchra es, mater mea, et macula non est in te.

℟. Quæ est ista, quæ processit sicut Sol, et formosa tanquam Jerusalem? * Viderunt eam filiæ Sion, et beatam dixerunt, et reginæ laudaverunt eam.

℣. Et sicut dies verni

Digitized by Google

circumdabant eam flores rosarum, et lilia convallium. Viderunt. Gloria Patri. Viderunt.

Lectio III.

TOTA, ait, pulchra es, pulchra in cogitatu, pulchra in verbo, pulchra in actu, pulchra ab ortu usque ad finem, pulchra in conceptu virgineo, pulchra in partu divino, pulchra in rubore passionis meæ, pulchra in insigni candore resurrectionis. Surge ergo, amica mea, columba mea, formosa mea, immaculata mea, et veni. Jam enim hyems transiit absentiæ meæ, imber lacrymarum tuarum abiit, et recessit, et redeunte sole justitiæ flores Angelici apparuerunt tibi. Vox tua, o turtur castissima, exaudita est. Tempus Assumptionis advenit. Igitur cum Virgo virginum a Deo et filio suo rege regum, exaltantibus Angelis, collætantibus Archangelis, et cælo laudibus acclamante deduceretur. Impleta est Prophetia David dicentis ad Dominum: Astitit Regina a dextris tuis, in vestitu deaurato, circumdata varietate.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

DIE XX. AUGUSTI.

Sexta die infra Octavam Assumptionis B. M. V.

Omnia ut in festo præter lectiones.

Sermo Sancti Bernardi Abbatis.

Sermo 1. in Assumpt. B. V. Mariæ.

Lectio I.

VIRGO gloriosa cælos ascendens, supernorum gaudia civium copiosis sine dubio cumulavit augmentis. Hæc est enim, cujus salutationis vox et ipsos exultare facit in gaudio, quos materna adhuc viscera claudunt. Quem enim in castellum mundi hujus intrantem prius ipsa susceperat, ab eo suscipitur hodie sanctam ingrediens civitatem. Sed cum quanto putas honore, cum quanta putas exultatione, cum quanta gloria? Nec in terris locus dignior uteri virginalis templo, in quo Filium Dei Maria suscipit: nec in cælis regali solio, in quo Mariam hodie Mariæ filius sublimavit. Felix ni-

Digitized by Google

mirum utraque susceptio; ineffabilis utraque, quia utraque inexcogitabilis est.

℟. Ornatam monilibus filiam Jerusalem Dominus concupivit: * Et videntes eam filiæ Sion, beatissimam prædicaverunt, dicentes: Unguentum effusum nomen tuum.

℣. Astitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate. Et.

Lectio II.

Quis enim, etiamsi linguis hominum Angelorumque loquatur, explicare queat, quemadmodum, superveniente Spiritu, obumbrante virtute Altissimi, caro factum sit Verbum Dei, per quod facta sunt omnia; et Dominus majestatis, quem non capit universitas creaturæ, intra virginea se se clauserit viscera factus homo? Sed et illud quis vel cogitare sufficiat, quam gloriosa hodie mundi Regina processerit, et quanto devotionis affectu tota in ejus occursum cælestium legionum prodierit multitudo? Quibus ad thronum gloriæ canticis sit deducta; quam placido vultu, quam serena facie, quam lætis divinis amplexibus suscepta a filio, et super omnem exaltata creaturam, cum eo honore, quo tanta mater digna fuit, cum ea gloria, quæ tantum decuit filium?

℟. Beata es, Virgo Maria, quæ Dominum portasti Creatorem mundi:* Genuisti qui te fecit, et in æternum permanes Virgo.

℣. Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum. Genuisti. Gloria Patri. Genuisti.

Lectio III.

Felicia prorsus oscula labiis impressa lactentis, cujus virgineo mater applaudebat in gremio. Verum numquid non feliciora censebimus, quæ ab ore sedentis in dextera Patris hodie in beata salutatione suscepit, cum ascenderet ad thronum gloriæ, canens, et dicens: Osculetur me osculo oris sui? Christi generationem, et Mariæ assumptionem quis enar-

Digitized by Google

rabit? Quantum enim gratiæ in terris adepta est præ cæteris, tantum et in cælis obtinet gloriæ singularis. Quod si oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se; quod præparavit gignenti se, et præ omnibus diligenti, quis loquatur? Felix plane Maria, sive cum excipit Salvatorem, sive cum a Salvatore suscipitur.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

DIE XXI. AUGUSTI.

Septima die infra Octavam Assumptionis B. Mariæ V.

Omnia ut in Festo præter lectiones.

Sermo Sancti Thomæ a Villanova Episc.

Concio 2. in Assumpt.

Lectio I.

QUID de tuis deliciis dicam, o Maria? Si oculus non vidit, nec auris audivit, neque in cor hominis ascendit quæ præparavit Deus diligentibus se, quid præparavit gignenti se, et proculdubio præ omnibus diligenti? Hanc deliciarum et gaudiorum affluentiam inter alia cælorum cives mirantur in Virgine. Admirantur quoque dignitatem et sublimitatem ejus nimiam; cum enim cæteris quibusque, quantumvis dilectis et sanctis ad honoris et dignitatis culmen satis sit, quod Angelorum aut Archangelorum manibus deferantur ad gloriam: hæc Regina potens non Angeli aut Archangeli alicujus manibus, sed, innixa super dilectum suum, supernam civitatem ovanter ingreditur.

℟. Beatam me dicent omnes generationes: * Quia fecit mihi Dominus magna, qui potens est, et sanctum nomen ejus.

℣. Et misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum. Quia.

Lectio II.

OMNIS militia cælestis, omnis Angelorum candidus et decorus senatus, omnis illa potestatum, et dominationum cælestium celsitudo, cum Dei Filio Virgini Deiparæ obviam venit, et coram

Digitized by Google

Arca Testamenti tripudiat, cum in templum deducitur, Dei sui aspectibus præsentanda. Quis ibi fuerit angelorum jubilantium concentus, quis etiam cælestium instrumentorum et citharœdorum strepitus, quis jubilus, quæ harmonia, dicere quis sufficiat? Edissere nobis, o Virgo beata, dulcissimos illos dialogos, familiares locutiones et arcana colloquia, quæ habuisti cum Filio, quando in gremio tuo recumbens, cælestia tibi secreta pandebat, et dulcia illi in doctrinæ præmium oscula referebas.

℟. Sicut cedrus exaltata sum in Libano, et sicut cypressus in monte Sion: quasi myrrha electa, * Dedi suavitatem odoris.

℣. Et sicut cinnamomum, et balsamum aromatizans. Dedi. Gloria Patri. Dedi.

Lectio II.

NOVERAS enim optime eum quis esset: noveras divinæ sapientiæ in eo latere thesauros: noveras abyssum luminis profundissimam intra tenerrimi pectoris angustias latitantem, omniaque ejus verba sicuti Dei omnipotentis oracula conservabas. O felicem fœminam, quæ nectareo illo divinæ sapientiæ poculo tam diu potata es! O dies tanti occursus gloriosa et felix! Dies tam præclaræ exultationis! Dies enim illa non solum te ineffabiliter sublimavit, sed cælum ipsum, quod penetrasti, nec non cuncta, quæ in eo sunt, nova et ineffabili gloria decoravit. Nova quidem cælum gloria decoravit, quia priorem gloriam ejus ex præsentia tui, ultra quam dici possit, magnificavit.

Hymnus. Te Deum, *vel* Te Matrem Dei.

DIE XXII. AUGUSTI

Octava Assumptionis B. V. M.

Omnia ut in Festo præter lectiones.

Sermo Sancti Laurentii Justiniani.

Sermo 23. in Assumptione.

Lectio I.

SANCTA Dei Genitrix exaltata est super cho-

Digitized by Google

ros Angelorum ad cælestia regna, supra omnem, inquam, principatum, et potestatem, et virtutem elevata est Virgo, tantoque dignitate cæteris est effecta excellentior, quanto propinquior erat Verbo. Tunc una omnium in cælo vox est facta lætantium atque dicentium. Benedictio, claritas, sapientia et gratiarum actio, honor, virtus, et fortitudo Deo nostro sedenti super thronum, et agno, qui Genitrici suæ incomparabili pulchritudinis cathedram prærogavit. Porro pro honore sanctissimæ Virginis tota civitas illa repletur gaudio, dies lætitiæ agitur, nullusque a Virginis laude reperitur extraneus. Mariæ prædicabantur præconia, innotescebat gratia, patebat gloria, ac nomen personabat. Nemo invidebat illi, quoniam ab ejus beneficiis nullus reperiebatur immunis.

℟. Diffusa est gratia in labiis tuis: * Propterea benedixit te Deus in æternum.

℣. Myrrha, et gutta, et casia a vestimentis tuis, a domibus eburneis, ex quibus te delectaverunt filiæ regum in honore tuo. Propterea.

Lectio II.

Fructus quippe ventris Mariæ civitatem illam fundaverat sanctitate, exultatione, et jubilo adeo, ut sicut lætantium omnium ipsa habitatio fieret. Merito quidquid honoris, quidquid felicitatis habebatur in singulis, totum exuberabat in virgine. Hauriebat enim de Fonte vitæ, Verbique cellario, in quo introducebatur ut sponsa, nonnulla contemplationis solatia, quæ Angelos cunctos latebant et Sanctos. Hinc Sanctorum admiratio de Maria, hinc Angelorum congratulationis affectus effundebatur ad Virginem, sicque eadem, quemadmodum in omnibus, ita lætabatur in singulis, Dominum inenarrabili jubilatione collaudans.

℟. Beata es, Virgo Maria, Dei Genitrix, quæ credidisti Domino: perfecta sunt in te, quæ dicta sunt tibi: ecce exaltata es super Choros Angelorum: * Intercede

Digitized by Google

pro nobis ad Dominum Deum nostrum.

℣. Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum. Intercede. Gloria Patri. Intercede.

Lectio III.

Nos itaque in hac lacrymarum exultantes valle, pia cum devotione clamemus ad Virginem. Ipsam prosequamur votis, sociemus in canticis, laudibus efferamus, quatenus agnoscat mater filios, liberet captivos, deliciis cælestibus impinguet famelicos. Convertat misericordes oculos suos ad miseros, deprecetur veniam, et offensi filii sui justitiam flectat ad gratiam. Donet filius, Matre pro nobis interpellante, justitiam, spei præstet fiduciam, spontaneæ servitutis amorem conferat, et pium præroget sinceræ charitatis affectum, quo dirigente et deducente, pertingamus ad ipsum, qui hodie Genitricem suam immortalitatis stola, et divinitatis sublimavit honore.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

Digitized by Google

DIE VIII SEPTEMBRIS

IN FESTO

NATIVITATIS B. M. VIRGINIS

Ad Vesperas, ad Laudes, et per Horas.

Ant. Nativitas gloriosæ Virginis Mariæ, ex semine Abrahæ, ortæ de tribu Juda clara ex stirpe David. *Psalmi ut in feria currente.*

Ant. Nativitas est hodie sanctæ Mariæ virginis, cujus vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias.

Ant. Regali ex progenie Maria exorta refulget; cujus precibus nos adjuvari mente, et spiritu devotissime poscimus.

Ant. Corde et animo Christo canamus gloriam, in hac sacra solemnitate præcelsæ Genitricis Dei Mariæ.

Ant. Cum jucunditate Nativitatem beatæ Mariæ celebremus, ut ipsa pro nobis intercedat ad Dominum Jesum Christum.

Capitulum, et Hymnus ad Vesperas ut in feria occurrente.

℣. Nativitas est hodie sanctæ Mariæ Virginis.

℟. Cujus vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias.

AD MAGNIFICAT.

Ant. Gloriosæ Virginis Mariæ ortum dignissimum recolamus, quæ et genitricis dignitatem obtinuit, et virginalem pudicitiam non amisit.

ORATIO.

FAMULIS tuis, quæsumus Domine, cælestis gratiæ munus impertire: ut quibus beatæ Virginis partus extitit salutis exordium, Nativitatis ejus votiva solemnitas, pacis tribuat incrementum. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum qui tecum vivit et regnat.

Digitized by Google

AD MATUTINUM

INVITATORIUM.

Nativitatem Virginis Mariæ celebremus: * Christum ejus Filium adoremus Dominum.

Psalm. Venite exultemus. *pag. 1.*

Hymnus, psalmi et ℣. ad Noct. ut in feria occurr.

Sermo Sancti Petri Damiani.

De homil. 46. in Nativit. B. V. Mariæ.

Lectio I.

GAUDEAMUS, dilectissimi, et exultemus in nativitate beatissimæ Dei Genitricis Mariæ, quæ novum mundo nuntiavit gaudium, et totius extitit humanæ salutis exordium. Exultemus, inquam, et sicut gaudere solemus in nativitate Christi, ita etiam nihilominus gaudeamus in nativitate Matris Christi. Hodie nata est Regina mundi, fenestra cæli, janua paradisi, tabernaculum Dei, stella maris, scala cælestis, per quam supernus Rex humiliatus ad ima descendit; et homo, qui prostratus jacebat, ad superna exaltatus ascendit. Hodie apparuit stella mundo, per quam Sol justitiæ illuxit mundo. Illa videlicet, de qua per Prophetam dicitur: Orietur Stella ex Jacob, et exurget homo de Israel.

℟. Hodie nata est beata Virgo Maria ex progenie David: * Per quam salus mundi credentibus apparuit, cujus vita gloriosa lucem dedit sæculo.

℣. Nativitatem beatæ Mariæ virginis cum gaudio celebremus. Per quam.

Lectio II.

HODIE nata est splendidissima illa Virgo, ex qua processit speciosus forma præ filiis hominum tanquam sponsus de thalamo suo. Hodie prodiit ex utero matris, quæ templum fieri meruit divinitatis. Hodie impleta est prophetia illa, quam eximius prophetarum Isaias, quasi præco factus ad adventum Reginæ mundi, magna voce clamabat, dicens: Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet:

Digitized by Google

Hæc est denique porta illa, de qua Ezechiel testatur dicens. Porta hæc, quam vides, clausa erit, et non aperietur, et vir non transibit per eam, et semper erit clausa. Vere semper clausa, quia semper incorrupta, concipiens virum, nesciens virum; sicut per Jeremiam dicitur: faciet Dominus novum super terram, et mulier circumdabit virum.

℟. Beatissimæ Virginis Mariæ Nativitatem devotissime celebremus:* Ut ipsa pro nobis intercedat ad Dominum Jesum Christum.

℣. Cum jucunditate Nativitatem beatæ Mariæ Virginis devotissime celebremus. Ut. Gloria Patri. Ut.

Lectio III.

NULLO viri semine gravida, sola Sancti Spiritus gratia fœcundatur. Quæ et dignitatem Genitricis obtinuit, et virginalem pudicitiam non amisit. Quæ sine contaminatione concepit, et sine dolore filium procreavit. Non secutus est dolor partum, quia non præcessit libido conceptum. Dictum namque fuerat Hevæ: In dolore paries filium. Quæ sententia in aliis matribus viguit, in Maria vero modum sui juris amisit. In mulieribus fixa perstitit, in virgine prævalere non potuit. Quæ enim Virgo permansit concipiendo, dolorem sentire non potuit pariendo. Ille quippe, qui ex ea ineffabiliter prodiit, claustrum virginalis pudicitiæ non corrupit. Virginem denique veniens, introivit, Virginem nihilominus exiens, dereliquit. Hæc enim est hortus conclusus, fons signatus, quæ et fructum fœcunditatis edidit, et virginitatis meritum non imminuit.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

AD LAUDES.

Capitulum et hymnus ut in Feria occurr.

℣. Nativitas est hodie Sanctæ Mariæ Virginis.

℟. Cujus vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias.

AD BENEDICTUS.

Ant. Nativitatem hodiernam perpetuæ virgi-

Digitized by Google

nis Genitricis Dei Mariæ solemniter celebremus, qua celsitudo throni processit. Alleluja.

Oratio ut supra.

Ad horas omnia ut in Feria, præter ant.

IN II. VESPERIS

AD MAGNIFICAT.

Ant. Nativitas tua, Dei Genitrix virgo, gaudium annuntiavit universo mundo: ex te enim ortus est sol justitiæ, Christus Deus noster: qui solvens maledictionem, dedit benedictionem: et confundens mortem, donavit nobis vitam sempiternam.

Oratio ut supra.

DIE IX. SEPTEMBRIS.

Secunda die infra Octavam Nativitatis B. M. Virginis.

Omnia ut in festo præter lectiones.

Sermo Sancti Joannis Chrysostomi.

Apud Metaphrastem.

Lectio I.

DEI filius non divitem, aut locupletem aliquam fœminam sibi matrem elegit, sed beatam Virginem illam, cujus anima virtutibus ornata erat. Cum enim beata Maria supra omnem humanam naturam castitatem servaret, propterea Christum Dominum in ventre concepit. Ad hanc igitur sanctissimam Virginem, et Dei matrem accurrentes, ejus patrociniis utilitatem assequamur. Itaque quæcumque estis virgines, ad matrem Domini confugite. Illa enim pulcherrimam, pretiosissimam, et incorruptibilem possessionem patrocinio suo vobis conservabit.

℟. Nativitas gloriosæ Virginis Mariæ ex semine Abrahæ, ortæ de tribu Juda, clara ex stirpe David: * Cujus vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias.

℣. Hodie nata est beata Virgo Maria ex progenie David. Cujus.

Lectio II.

MAGNUM revera miraculum, fratres dilectissimi, fuit beata semper Virgo Maria. Quid namque illa majus, aut illustrius ullo unquam tempore inventum est,

Digitized by Google

seu aliquando inveniri poterit? Hæc sola cælum ac terram amplitudine superavit. Quidnam illa sanctius? Non Prophetæ, non Apostoli, non Martyres, non Patriarchæ, non Angeli, non Throni, non Dominationes, non Seraphim, non Cherubim, non denique aliud quidpiam inter creatas res visibiles aut invisibiles, majus aut excellentius inveniri potest. Eadem ancilla Dei est et mater: eadem Virgo et Genitrix. Hæc ejus mater est, qui a Patre ante omne principium genitus fuit, quem Angeli et homines agnoscunt Dominum rerum omnium.

℟. Gloriosæ Virginis Mariæ ortum dignissimum recolamus: * Cujus Dominus humilitatem respexit, quæ Angelo nuntiante concepit Salvatorem mundi.

℣. Beatissimæ Virginis Mariæ Nativitatem devotissime celebremus. Cujus. Gloria Patri. Cujus.

Lectio III.

VIS ne cognoscere, quanto Virgo hæc præstantior sit cælestibus Potentiis? Illæ cum timore et tremore assistunt, faciem velantes suam: hæc humanum genus illi offert, quem genuit. Per hanc et peccatorum veniam consequimur. Ave igitur Mater, cælum, puella, virgo, thronus, Ecclesiæ nostræ decus, gloria, et firmamentum, assidue pro nobis precare Jesum filium tuum et Dominum nostrum: ut per te misericordiam invenire in die judicii, et quæ reposita sunt iis, qui diligunt Deum, bona consequi possimus, gratia, et benignitate Domini nostri Jesu Christi: cum quo Patri simul, et sancto Spiritui gloria, et honor, et imperium nunc, et semper in sæcula sæculorum. Amen.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

DIE X. SEPTEMBRIS.

Tertia die infra Octavam Nativitatis B. M. V.

Omnia ut in festo præter lectiones.

Sermo Sancti Cyrilli Episcopi Alexandrini.

Homil. contra Nestor.

Lectio I.

HILAREM video cætum Sanctorum omnium,

Digitized by Google

qui convenerunt promptis animis, a Sancta et Dei matre Maria semper Virgine convocati. Laus et gloria sit tibi, sancta Trinitas, quæ omnes nos ad hanc celebritatem convocasti. Sit etiam tibi, sancta Dei Mater, laus. Tu enim es pretiosa margarita orbis terrarum: Tu lampas inextinguibilis, corona virginitatis, sceptrum Orthodoxæ Fidei, templum indissolubile, continens eum, qui nusquam contineri potest, mater et virgo, per quam benedictus, qui venit in nomine Domini, in sanctis Evangeliis nominatur. Per te Trinitas sanctificatur, per te crux pretiosa celebratur, et adoratur in toto orbe terrarum.

℟. Cum jucunditate Nativitatem beatæ Mariæ celebremus: * Ut ipsa pro nobis intercedat ad Dominum Jesum Christum.

℣. Corde et animo Christo canamus gloriam in hac sacra solemnitate præcelsæ genitricis Dei Mariæ. Ut.

Lectio II.

PER te exultat cælum, lætantur Angeli et Archangeli, fugantur dæmones, et homo ipse ad cælum revocatur. Per te omnis creatura idolorum errore detenta, conversa est in agnitionem veritatis, et fideles homines ad sanctum baptisma pervenerunt, atque in toto orbe terrarum constructæ sunt Ecclesiæ. Te adjutrice, gentes veniunt ad pœnitentiam. Quid plura? Per te unigenitus Dei Filius, vera illa lux effulsit sedentibus in tenebris, et in umbra mortis. Per te Prophetæ prænuntiarunt, per te Apostoli salutem Gentibus prædicarunt. Quisnam poterit tuarum laudum præconia explicare, Maria Mater et Virgo?

℟. Nativitas tua, Dei Genitrix virgo, gaudium annuntiavit universo mundo: * Ex te enim ortus est Sol justitiæ, * Christus Deus noster.

℣. Qui solvens maledictionem, dedit benedictionem, et confundens mortem, donavit nobis vitam sempiternam. Ex te. Gloria Patri. Christus.

Digitized by Google

Lectio III.

Et jam, scilicet, audi filia Davidis, et Abrahæ, et inclina aurem tuam in preces nostras, et ne obliviscaris populi tui, neque nostri, qui sumus de familia, et domo patris tui. Parentes enim tui sumus secundum generis, prosapiæque rationem, nostraque filia es, quia ex nobis genita es: decet enim te matrem, regeneratricem, Dominam, ac heram cognominari, eo quod ex te prodiit Rex Dominus ac Deus noster: assistentem illi: nobis quidem terribili, tibi autem dulci, omnemque gratiam largienti: qua de causa factum est, ut gratia plena appellata sis, utpote quæ omni gratia abundares, idque per superventum in te Spiritus Sancti: ideoque vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag.* 9.

DIE XI. SEPTEMBRIS.

Quarta die infra Octavam Nativitatis B. M. Virginis.

Omnia ut in festo præter lectiones.

Sermo Sancti Petri Damiani.

Serm. 45. *et* 2. *in Nativit. B. V. Mariæ.*

Lectio I.

Sicut impossibile erat, ut humani generis redemptio fieret, nisi Dei filius de Virgine nasceretur; ita etiam necessarium fuerat, ut Virgo, ex qua Verbum caro fieret, nasceretur. Oportebat quippe prius ædificari domum, in quam descendens cælestis Rex habere dignaretur hospitium. Illam videlicet, de qua per Salomonem dicitur: Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem. Septem namque virginalis hæc domus suffulta columnis extitit, quia venerabilis Mater Domini septem Sancti Spiritus Donis, id est, sapientiæ, et intellectus; consilii et fortitudinis; scientiæ et pietatis, atque timoris Dei dotata fuit.

Digitized by Google

℟. Beatam me dicent omnes generationes: * Quia fecit mihi magna, qui potens est, et sanctum nomen ejus.

℣. Et misericordia eius a progenie in progenies timentibus eum. Quia fecit.

Lectio II.

QUAM utique æterna Sapientia, quæ attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter, talem construxit, quæ digna fieret illum suscipere, et de intemeratæ carnis suæ visceribus procreare. Necesse erat prius erigi thalamum, qui venientem ad nuptias sanctæ Ecclesiæ susciperet Sponsum, cui David exultans in spiritu, canit, dicens: Tanquam Sponsus Dominus procedens de thalamo suo. Quæ ergo lingua explicare sufficiat, vel quæ ratio humana non obstupescat, cum cogitare coeperit, quia Creator oritur ex creatura, Factor fit ex factura? Quod in virginea puellæ vulva concipitur, qui vastissima totius mundi amplitudinem non tenetur? Jacet intra materna viscera parvulus, qui cum coæterno Patre rerum omnium jura gubernat immensus.

℟. Felix namque es, sacra Virgo Maria, et omni laude dignissima: * Quia ex te ortus est Sol justitiæ, * Christus Deus noster.

℣. Ora pro populo, interveni pro Clero, intercede pro devoto fæmineo sexu: sentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuam sanctam Nativitatem. Quia. Gloria Patri. Christus.

Lectio III.

ECCE; intemerata, et gloriosa Virgo Maria, cujus hodie splendidissima Nativitate universa per orbem sancta illustratur Ecclesia, in lege præfigurata, in Patriarcharum, et Prophetarum oraculis prænuntiata, ab Angelo singulari honorificentiæ privilegio salutata, thronus Dei, solium divinitatis, palatium Regis æterni, gazophylacium thesauri, quo sumus de cruenti prædonis servitio comparati, nobis proponitur in exemplum. Hæc tam singula-

*

Digitized by Google

ris, tam incomparabilis Virgo, si non sequeretur humilitatem Christi, numquam pertingeret ad celsitudinem Christi: si injuncta mandata contemneret, ad promissa præmia nullatenus perveniret. Nam dum, prædicante eo, quædam mulier extollens vocem de turba, dicens: Beatus venter, qui te portavit, et ubera quæ suxisti; respondit: Quinimo beati, qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

DIE XII. SEPTEMBRIS.

Quinta die infra Octavam Nativitatis B. M. Virginis.

Omnia ut in Festo præter lectiones.

Sermo Sancti Augustini Episcopi.

Sermone 18, de Sanctis.

Lectio I.

VENERABILIS semper Virgo Maria est flos campi, de qua ortum est pretiosum lilium convallium, per cujus partum mutatur natura protoplastorum, deletur et culpa. Præcisum est in ea illud Evæ infelicitatis elogium, quo dicitur: In dolore paries filios tuos, quia ista in lætitia Dominum peperit. Eva enim luxit, ista exultavit: Eva lacrymas, Maria gaudium in ventre portavit, quia illa peccatorem, ista edidit innocentem. Virgo quippe genuit, quia virgo concepit: inviolata peperit, quia in conceptu concupiscentia non fuit. Utrobique miraculum, et sine corruptione gravida, et in partu virgo puerpera. Maria impleta est gratia, et Eva vacuata est a culpa: maledictio Evæ, in benedictione mutatur Mariæ.

℟. Hodie nata est beata Virgo Maria ex progenie David: * Per quam salus mundi credentibus apparuit, cujus vita gloriosa lucem dedit sæculo.

℣. Nativitatem Beatæ Mariæ Virginis cum gaudio celebremus. Per quam.

Lectio II.

PLAUDAT nunc organis Maria, et inter veloces articulos tympana puerperæ concrepent. Concinnant lætantes chori, et alternantibus mo-

Digitized by Google

dulis dulcisona carmina misceantur. Audite igitur quemadmodum tympanistria nostra cantaverit. Ait enim: Magnificat anima mea Dominum: et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna qui potens est. Causam igitur invalescentis errati miraculum novi partus evicit, et Evæ planctum Mariæ cantus exclusit. Concepit ad credulitatem Verbi virilis ignara consortii, impletur uterus nullo humano pollutus amplexu.

℟. Beatissimæ Virginis Mariæ Nativitatem devotissime celebremus:* Ut ipsa pro nobis intercedat ad Dominum Jesum Christum.

℣. Cum jucunditate Nativitatem beatissimæ Mariæ Virginis devotissime celebremus, Ut. Gloria Patri. Ut.

Lectio III.

NULLO itaque modo virginitatem matris suæ nascendo Christus ademit, qui Ecclesiam suam de fornicatione Dæmonum redimendo virginem fecit. Ille quippe est natus ex fœmina, qui non est a viro factus in fœmina. Qui vobis adtulit quod amaveratis, matri non abstulit quod amatis. Qui sanat in vobis quod extraxistis ex Eva, absit ut vitiaret quod dilexistis in Maria. Illa igitur cujus vestigia sancta sectamini, et cum concipere cum viro non mansit, et ut pareret virgo permansit. Imitamini eam quantum potestis non fœcunditate, quia hoc non potestis salva virginitate. Sola utrumque potuit, quæ omnipotentem peperit, qui et utrumque posse concessit. Solum enim unicum Dei filium in incorrupto partu fieri oportebat hominis filium.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

DIE XIII. SEPTEMBRIS.

Sexta die infra Octavam Nativitatis B. M. V.

Omnia ut in festo præter Lectiones.

Digitized by Google

Sermo S. Epiphanii Ep.
De Orat. Sanctæ Deiparæ.

Lectio I.

DE radice Jesse ortus est rex David, et de tribu regis Davidis sancta Virgo; sancta, inquam, et sanctorum virorum filia, cujus parentes fuerunt Joachim et Anna: qui quidem in vita sua Deo placuerunt, atque etiam fructum germinaverunt, sanctam Virginem Mariam, templum simul et matrem Dei. Joachim porro, Anna, et Maria, hi tres Trinitati palam sacrificium laudis offerebant. Joachim enim interpretatur præparatio Domini, eo quod ex illo præparatum sit templum Domini, nempe Virgo. Anna rursum similiter gratia interpretatur, propterea quod Joachim et Anna gratiam acceperunt, ut accedentibus precibus, talem fructum germinarent, sanctam Virginem adepti. Joachim siquidem precabatur in monte, et Anna in horto suo.

℟. Nativitas gloriosæ Virginis Mariæ ex semine Abrahæ, ortæ de tribu Juda, clara ex stirpe David, * Cujus vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias.

℣. Hodie nata est beata Virgo Maria ex progenie David. Cujus.

Lectio II.

ANNA vero gravida effecta, cælum et thronum cherubicum peperit, sanctam puellam Virginem Mariam. Illa enim reperietur esse cælum, templum, et thronus, quia Mariam interpretari solemus Dominam, atque etiam spem. Peperit enim Dominum, qui est spes totius mundi, nempe Christum. Rursum nomen illud Maria interpretatur myrrha maris. Myrrham vero aliquis dicet (quod etiam ego ajo) de immortalitate, eo quod paritura esset gemmam immortalem in mari, hoc est in mundo. Mare autem dicet universum mundum, cui Virgo serenitatem, et tranquillitatem contulit, dum portum peperit Christum.

℟. Cum jucunditate Nativitatem beatæ Mariæ celebremus: * ut ipsa pro nobis intercedat ad Dominum Jesum Christum.

Digitized by Google

℣. Corde et animo Christo canamus gloriam in hac sacra solemnitate præcelsæ Dei Genitricis Mariæ. Ut. Gloria Patri. Ut.

Lectio III.

RURSUM itaque præclaræ puellæ Mariæ beatum nomen interpretatur illustrata, utpote quæ illustrata sit a Filio Dei, et cunctos credentes usque ad terminos terræ Trinitati illuminaverit. Sancta enim puella Virgo Maria est sponsa Trinitatis, et thesaurus dispensationis plane arcanus, et Pater misit de cælo Spiritum Sanctum: præparavit virginem Filio Unigenito, cælesti sponso, quam Pater dilexit, Filius inhabitavit, Spiritus Sanctus percupivit. Ipsa est enim sponsa et thalamus, et ex ea sponsus procedit Christus, virgineum indumentum, juxta suavem Davidis prophetæ canticum: In sole posuit tabernaculum suum, et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo.

Hymnus. Te Deum, *vel* Te Matrem Dei.

DIE XIV. SEPTEMBRIS.

Septima die infra Octavam Nativitatis B. Mariæ Virginis.

Omnia ut in Festo præter lectiones.

Sermo Sancti Andreæ Cretensis Episc.

Homilia 2. de Dormitione B. Dei Genitricis Mariæ.

Lectio I.

BEATA es in mulieribus, et benedicta in generationibus, benedicta in cælis, et glorificata in terra. Te enim grate omnis lingua glorificat, matrem vitæ prædicans. Impletum est quidquid est creatum tua gloria, sanctificatum est universum unguento boni tui odoris. Per te deleta est peccati occasio, transmutata est in lætitiam primæ parentis execratio. Propter te omnes nobiscum canunt: Gloria in cælo, pax in terra. Tu es lucerna luminosa, quæ a Deo es contexta purpura; indumentum regale, amictus a Deo variatus, manu non factum regni diadema; thronus excelsus; porta sublata supra cælos cælorum; regina

Digitized by Google

omnis humanæ naturæ, quæ habes non incomparabilem cum aliis appellationem, quæ, excepto Deo solo, es homnibus altior.

℟. Gloriosæ Virginis Mariæ ortum dignissimum recolamus: * Cujus Dominus humilitatem respexit, quæ Angelo nuntiante concepit Salvatorem mundi.

℣. Beatissimæ Virginis Mariæ Nativitatem devotissime celebremus. Cujus.

Lectio II.

Accurramus simul omnes ad Deiparam, Chori Patrum et Patriacharum, Spiritus Prophetarum et conventus Sacerdotum, cœtus Apostolorum, populi Martyrum, Doctorum congregatio, justorum animæ, piorum ordines, Reges et Potentes, Principes et qui parant imperio, adolescentes et virgines, senes cum junioribus, laudate, et Dei matri dicite: Quam beata domus David, ex cujus lumbis germinasti Dei mater. Matres et virgines glorificate eam, quæ est sola mater et semper virgo. Sponsæ præcedite eam, quæ inter adolescentulas sponsa quidem fuit; sed plane incorrupta, et sola sine dolore peperit eum, qui non potest comprehendi. Benedicite gentes, linguæ beatam prædicate. Cantate matri Dei omnes tribus terræ, cantate, deducite eam cum canticis, jubilate, magnificate, psallite.

℟. Nativitas tua, Dei Genitrix Virgo, gaudium annuntiavit universo mundo: * Ex te enim ortus est sol justitiæ, * Christus Deus noster.

℣. Qui solvens maledictionem, dedit benedictionem, et confundens mortem, donavit nobis vitam sempiternam. Ex te. Gloria Patri. Christus.

Lectio III.

Ecce enim Dei gloriæ nova arca, in qua est urna aurea, et virga Aaron, quæ germinavit, et tabulæ testamenti. Ecce summa, de qua clamarunt oracula Prophetarum: ecce scala, quam vidit Jacob, qui in divinis erat initiatus,

Digitized by Google

in qua vidit Angelos Dei ascendentes et descendentes, quicumque is esset ascensus et descensus. Hæc est porta cælorum, de qua dixit ille: Quam terribilis est locus iste; non est hic aliud, quam domus Dei, et hæc est porta cæli. Ecce propitiatorium, quod sanctum supra Sancta est positum mystici tabernaculi, et adytorum. Tunc quidem aliis adumbratum Seraphicis; nunc autem nostra peccata expians per mysticam Jesu contemplationem.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag.* 9.

DIE XV. SEPTEMBRIS.

Octava Nativitatis B. V. M.

Omnia ut in Festo præter lectiones.

Sermo Sancti Joannis Damasceni.

De Serm. 3. *in Natali V. M.*

Lectio I.

VITIS uberrima ex Anna pullulavit, uvaque suavissima effloruit, potum nectaris terrigenis fundens in vitam æternam. Joachim et Anna ad justitiam sibi ipsi seminarunt, ac vitæ fructum messuerunt. Scientiæ lumen sibi illuminarunt, ac Dominum exquisierunt, venitque illis germen justitiæ. Gaudete in Domino Deo vestro, quia germinavit desertum: sterilis protulit fructum suum. Joachim et Anna uti montes spirituales dulcedinem stillaverunt. Lætare, beata Anna, quod fœminam pepereris. Hæc enim fœmina Dei Mater futura est, porta lucis, fons vitæ, et fœminarum crimen abolebit. Hujus fœminæ vultum deprecabuntur omnes divites plebis. Fœminam hanc reges gentium muneribus oblatis adorabunt. Hanc fœminam Deo universorum Regi offeres, virtutum, tamquam fimbriis aureis, Sanctique Spiritus gratia coronatam.

℟. Beatissimæ Virginis Mariæ Nativitatem devotissime celebremus:* Ut ipsa pro nobis intercedat ad Dominum Jesum Christum.

℣. Cum jucunditate Nativitatem beatæ Ma-

Digitized by Google

riæ Virginis devotissime celebremus. Ut.

Lectio II.

O desiderabilissima fœmina, ac terque beata! Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. O fœmina Regis David filia, Deique omnium Regis Mater! O divinum, vivumque simulacrum, cujus conditor Deus pulchritudine delectatus est, quod mentem quidem divinitus gubernatam habet, Deoque soli addictam: cupiditatem vero omnem ad id quod solum expetendum est, et amore dignum, intentam: iram autem erga peccatum dumtaxat ejusque parentem vitam natura potiorem habebis. Habebis autem non tibi ipsa: quippe quæ non tui ipsius causa genita sis. Quocirca Deo hanc habebis, cujus gratia in mundum prodiisti: ut orbis universi saluti obsequaris: Deique antiquum consilium, nimirum incarnationis Unigeniti Dei Verbi, ac nostræ deificationis, per te impleatur.

℟. Gloriosæ Virginis Mariæ ortum dignissimum recolamus: * Cujus Dominus humilitatem respexit, quæ Angelo nuntiante concepit Salvatorem mundi.

℣. Beatissimæ Virginis Mariæ Nativitatem devotissime celebremus. Cujus. Gloria Patri. Cujus.

Lectio III.

O miraculum omnibus miraculis excellentius! Mulier sublimior Seraphim effecta est, quia Deus visus est Angelis paulo minus minoratus! O Virgo divinis gratiis affluens, templum Dei sanctum, quod spiritualis Salomon, ille princeps pacis ab se constructum inhabitavit: templum, inquam, non auro et inanimis lapidibus decoratum, sed auri loco Spiritu fulgens: pro lapidibus pretiosis pulcherrimam margaritam habens Christum! Merito te beatam prædicant omnes generationes, ut eximium humani generis decus. Tu sacerdotum gloria, christia-

Digitized by Google

norum spes, virginitatis uberrima planta. Per te enim virginitatis honestas sese latissime effudit. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. Qui te Dei Genitricem confitentur, hi benedicti sunt: qui inficiantur, maledicti.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag.* 9.

Digitized by Google

DIE XXI. NOVEMBRIS

IN FESTO

PRÆSENTATIONIS B. M. VIRGINIS

Ad Vesperas, ad laudes et per horas.

Ant. Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suavitatis.

Psalmi ut in feria occurrente.

Ant. Leva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me.

Ant. Nigra sum, sed formosa, filiæ Jerusalem: ideo dilexit me Rex, et introduxit me in cubiculum suum.

Ant. Jam hyems transiit, imber abiit, et recessit: surge amica mea, et veni.

Ant. Speciosa facta es, et suavis in deliciis tuis, Sancta Dei genitrix.

Capitulum, Hymnus et ℣. ut in feria occurrente.

AD MAGNIFICAT

Ant. Beata Dei Genitrix Maria, Virgo perpetua, templum Domini, Sacrarium Spiritus Sancti, soia sine exemplo placuisti Domino nostro Jesu Christo.

ORATIO.

DEUS, qui beatam Mariam semper virginem, Spiritus Sancti habitaculum, hodierna die in templo præsentari voluisti: præsta quæsumus; ut ejus intercessione, in templo gloriæ tuæ præsentari mereamur. Per Dominum.

AD MATUTINUM

Invitator., hymnus, psalmi, et ℣. ut in fer. occurr.

Sermo Sancti Joannis Damasceni.

Orat. 1. de Virg. Mariæ Nativitate.

Lectio I.

QUONIAM futurum erat, ut Dei Genitrix, et Virgo ex Anna oriretur, naturæ gratiæ fœtum antevertere minime ausa

Digitized by Google

est; verum tantisper expectavit, dum gratia fructum suum produxisset. Siquidem oportebat eam primogenitam in lucem edi, quæ rerum omnium conditarum primogenitum, in quo omnia coagmentata sunt, paritura erat. O par beatum Joachim et Anna! Vobis omnis creatura obstricta est. Per vos enim donum, omnium donorum præstantissimum, Creatori obtulit, nempe castam matrem, quæ sola Creatore digna erat. Exulta Joachim, quoniam ex filia tua filius natus est nobis, et vocatur nomen ejus magni consilii, hoc est, salutis totius mundi, Angelus.

℟. Sancta, et immaculata virginitas, quibus te laudibus efferam, nescio: * Quia quem cæli capere non poterant, tuo gremio contulisti.

℣. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. Quia.

Lectio II.

QUONIAM igitur modo ea Dei Genitrix non sit, quæ peperit? Si quis sanctam Dei Genitricem non confitetur, a Deitate remotus est. Mea non est hæc oratio, quamquam alioqui mea: hanc enim divinissimam hæreditatem a Theologo Patre Gregorio accepi. O beatum par Joachim, et Anna! Ac profecto ex ventris vestri fructu immaculati agnoscimini, quemadmodum Christus quodam loco dixit: Ex fructibus eorum cognoscetis eos. Ut Deo gratum erat, ac dignum ea, quæ a vobis orta est, vitæ vestræ rationes instituistis. Caste enim ac sancte munere vestro functi, virginitatis thesaurum produxistis.

℟. Beata es, Virgo Maria, quæ Dominum portasti Creatorem mundi: * Genuisti qui te fecit, et in æternum permanes Virgo.

℣. Ave Maria, gratia plena: Dominus tecum. Genuisti. Gloria Patri. Genuisti,

De Fide Orthodoxa lib. 4. cap. 15.

Lectio III.

ITAQUE gratia (nam hoc sonat Annæ vocabulum) Dominam parit (id enim Mariæ nomine significatur) vere etenim

Digitized by Google

rerum omnium conditarum Domina facta est, cum Creatoris mater extitit. In lucem autem editur in domo probaticæ Joachim, atque ad templum adducitur: ac deinde in domo Dei plantata, atque per Spiritum saginata, instar olivæ frugiferæ, virtutum omnium domicilium efficitur: ut, quæ videlicet ab omni hujusce vitæ, et carnis concupiscentia mentem abstraxisset, atque ita virginem una cum corpore animam conservasset, ut eam decebat, quæ Deum sinu suo exceptura erat.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

AD LAUDES

Capitulum, hymnus et ℣. ut in fer. occur.

AD BENEDICTUS

Ant. Beata es, Maria, quæ credidisti: perficientur in te, quæ dicta sunt tibi a Domino. Allel.

Oratio ut supra.

Ad horas omnia ut in feria praeter Ant.

IN II. VESPERIS

AD MAGNIFICAT.

Ant. Beatam me dicent omnes generationes, quia ancillam humilem respexit Deus.

Oratio ut supra.

DIE XXII. Novembris. Secunda die infra Octavam Præsentationis B. Mariæ. V.

Omnia ut in feria præter orationem, ant., et lectiones.

Ex Libro Sancti Anselmi Episcopi.

De Excellentia Virginis. Cap. 4.

Lectio I.

VIRGO itaque et tenera et delicata, regali stirpe progenita et speciosissima, totam intentionem suam, totum amorem suum, totum studium suum ad hoc intendit, ut corpus et animam suam Deo virginitate perpetua consecraret. Sciebat enim quod quanto sanctius eam servaret, tanto sublimius ei, qui omnium castissimus, imo qui ipsa castitas est, appropinquaret. Amplectendo igitur quod acceptabilius Deo esse cognovit, legem superavit, sprevitque maledictum datæ legis, et credidit, reputans secum illum, cui

Digitized by Google

placere quærebat tantæ bonitatis, et tantæ sapientiæ, ut ante se, vel de se totum consilium, ne quid peccati in istis subiret, inveniret, nec decepta est.

℟. Sancta et immaculata virginitas, quibus te laudibus efferam, nescio:* Quia quem cæli capere non poterant, tuo gremio contulisti.

℣. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. Quia.

Lectio II.

Ubi tam sanctam intentionem ejus, tam castum propositum ejus, tam firmam fidem, constantem spem et indeficientem vidit charitatem ejus, misericordiæ suæ intuitu egit circa illam, ut nec sanctitas intentionis ejus frustraretur, nec castitas propositi ejus violaretur, ne aut sanitas fidei infirmata, a spei constantia titubaret, aut charitatis in ea plenitudo deficeret. Dedit ergo illi, ut et virgo, quod magis optabat, permaneret, et ut nemo illam a maledicto legis liberrimam dubitaret, fœcunda fieret. Et unde fœcunda? De illo sine quo omnis fœcunditas in sterilitatem convertitur, et igni consummanda succiditur. Et revera dignum fuit, ut ea in virgine superveniente illa fœcundaretur, quæ paritura erat Deum per quem totus mundus salveretur.

℟. Beata es, Virgo Maria, quæ Dominum portasti creatorem mundi:* Genuisti qui te fecit, et in æternum permanes Virgo.

℣. Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum. Genuisti. Gloria Patri. Genuisti.

Lectio III.

Erigite ergo, fratres mei, erigite aciem mentis vestræ ad contemplandam tam ineffabilem, et stupendam omni sæculo hujus mulieris gratiam et exaltationem. Et tu, o beatissima fœminarum, in quam fluxit tam copiosa et supereminens gratia omnium gratiarum, quid enim animi quæso gerebas ad eum, qui tibi hæc magna fecit? Unde sicut

Digitized by Google

ipsa dixisti, jam ab omni generatione beata dici meruisti. Vere magnificavit anima tua Dominum, et Spiritus tuus exultavit in Deo salutare ipsius. Salutare mirabile, quod non solum, Domina, te inæstimabili salute sublimavit, sed et totum mundum, peccatorum vulneribus putridum, ex te prodiens mirabili dispensatione sanavit.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

DIE XXIII. NOVEMBRIS.

Tertia et quarta die infra Octavam Præsentationis B. M. V.

Omnia ut in feria præter ant. Orationem et lectiones.

Ex Libro Sancti Ambrosii Episcopi.

Libro 2. de Virginitate.

Lectio I.

TALIS fuit Maria, ut ejus unius vita omnium sit disciplina. Si igitur auctor non displicet, opus probemus, ut quæcumque sibi ejus exoptat præmium, imitetur exemplum. Quantæ in una virgine species virtutum emicant? Secretum verecundiæ, vexillum fidei, devotionis obsequium, virgo intra domum, comes ad ministerium, mater ad templum. O quantis illa virginibus occurret! Quantas complexa ad Dominum trahet, dicens: Hæc thorum filii mei, hæc thalamos nuptiales immaculato servavit pudore. Quæ pompa illa, quanta Angelorum lætitia plaudentium, quod habitare mereatur virgo in cælo, quæ cælestem vitam vixit in sæculo?

℟. Congratulamini mihi omnes, qui diligitis Dominum, quia cum essem parvula placui Altissimo: * Et de meis visceribus genui Deum et hominem.

℣. Beatam me dicent omnes generationes, quia ancillam humilem respexit Deus. Et.

Lectio. II.

QUID ergo exequar? ciborum parsimoniam, officiorum redundantiam; alterum ultra naturam superfuisse; alterum pene ipsi naturæ defuisse.

Digitized by Google

Illic nulla intermissa tempora, hic congeminatos jejunio dies. Et si quando reficiendi successisset voluntas, cibus plerumque obvius, qui mortem arceret, non delicias ministraret. Dormire non prius cupiditas, quam necessitas fuit; et tamen cum quiesceret corpus, vigilaret animus, qui frequenter in somnis, aut læta repetit, aut somno interrupta continuat, aut disposita gerit, aut gerenda prænuntiat. Quam vero religiosa in propinquas fuerit, Scriptura divina significat. Nam et humilior facta est, ubi a Deo se cognovit electam, et statim ad cognatam suam in montana processit.

℟. Sicut cedrus exaltata sum in Libano, et sicut cypressus in monte Sion: quasi myrrha electa, * Dedi suavitatem odoris,

℣. Et sicut cinnamomum et balsamum aromatizans. Dedi. Gloria Patri. Dedi.

Lectio III.

Et hoc postea, quam in utero parentis exiliens puer matrem Domini salutavit, prius compos devotionis, quam naturæ. Inde tot sequentibus signis, cum sterilis pareret, virgo conciperet, loqueretur mutus, adoraret magus, expectaret Simeon, sidera nuntiarent. Maria mobilis ad introitum, immobilis ad miraculum, conservabat, inquit, hæc omnia in corde suo. Quamvis mater Domini, discere tamen præcepta desiderabat; et quæ Deum genuerat, tamen Deum scire cupiebat. Quid quod annis omnibus quoque ibat in Jerusalem solemni die Paschæ, et ibat cum Joseph? Ubique in Virgine comes singularum virtutum est pudor. Hic individuus debet esse virginitatis; sine quo non potest esse virginitas. Nec ad templum igitur Maria sine pudoris sui custode processit.

Hymnus. To Matrem Dei. *pag. 9.*

DIE XXIV. NOVEMBRIS.

Quinta die infra Octavam Præsentationis B. Mariæ V.

Digitized by Google

Omnia ut in feria præter ant. Orationem et lectiones.

Sermo Sancti Bernardi Abbatis.

Sermonis 1. in Assumptione V. Mariæ.

Lectio I.

OMNIUM Beatorum beatissima est Maria, quæ de numero omnium electorum singulariter est electa et prælecta, quoniam elegit eam Dominus, elegit eam in habitationem sibi, dicens: Hæc requies mea in sæculum sæculi; hic habitabo quoniam elegi eam. Habitavit in ea novem mensibus, habitavit cum ea, et sub ea annis plurimis. Habitans in ea, replebat eam singulari gratia charismatum: habitans cum ea, pascebat eam incomparabili piorum suavitate morum, et divinorum desiderabili sapientia sermonum. Nunc autem in ea, et cum ea, sicut interminabili ævo, sic incomprehensibili modo habitans, satiat eam beatificantium gloria visionum, foris quidem glorificatæ carnis formam exhibens, intus autem formam Verbi glorificantis imprimens.

℣. Quæ est ista, quæ processit sicut sol, et formosa tamquam Jerusalem? * Viderunt eam filiæ Sion, et beatam dixerunt; et reginæ laudaverunt eam.

℣. Et sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum, et lilia convallium. Viderunt.

Lectio II.

O Maria, non vocaberis, ait Dominus, ultra derelicta, et terra tua non vocabitur ultra desolata, ut quia Virgo, ideo sis infæcunda; sed vocaberis voluntas mea, idest dilectus filius meus in ea, quia complacuit Domino in te, et terra tua inhabitabitur. Veni, inquit, electa mea, et ponam in te thronum meum. Parum est, inquit, ut judicanti consedeas, nisi et ipsa mihi sedes fias; ut majestatem regnantis eo felicius, quo familiarius in te contineas, et specialius præ cæteris incomprehensibilem comprehendas. Constituisti parvulum in gremio, continebis immensum in animo. Fuisti diversorium peregrinatio-

Digitized by Google

nis, eris palatium regnantis. Fuisti tabernaculum pugnantis in mundo, eris solium triumphantis in cælo. Fuisti thalamus sponsi incarnati, eris thronus Regis æterni.

℟. Ornatam monilibus filiam Jerusalem Dominus concupivit: * Et videntes eam filiæ Sion, beatissimam prædicaverunt, dicentes: * Unguentum effusum nomen tuum.

℣. Astitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate. Et. Gloria Patri. Unguentum.

Lectio III.

ADORNAVERAT thalamum Virgo prudentissima, te Regem Christum non solum hospitem susceptura, sed et Sponsum habitura. Adornaverat, inquam, multiplici decore virtutum, et gloria tanto fortasse locupletius, quanto interius totum erat. Hunc ornatum mirabatur qui dicebat: Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus, in fimbriis aureis circumamicta varietate. Et alius: O quam pulchra est casta generatio cum claritate. Domum tuam, Domine, decet hujusmodi sanctitudo et decor. Is decor te invitavit, ut intrares: illexit, ut redires. Intrans, benedictionis gratiam multiplicasti: sed rediens, copulasti. Cum intrasti, homo natus es in ea: cum redisti, Deus glorificatus es in ea. Tunc tibi posuisti in ea sacrarium gratiæ: nunc autem thronum gloriæ.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag.* 9.

DIE XXV. NOVEMBRIS.

Sexta die infra Octavam Præsentationis B. Mariæ V.

Omnia ut in feria præter ant. Orationem et lectiones.

Sermo Sancti Laurentii Justiniani.

In Annuntiatione Mariæ Virginis.

Lectio I.

IN sacrosancto Incarnationis Filii Dei Sacramento intervenit totius Trinitatis summa dignatio, Patris videlicet, mittentis auctoritas, Sancti Spiritus veneranda operatio, et ab ipso Verbo humanæ naturæ

*

Digitized by Google

susceptio. Interfuit etiam cælestis nuntii vera assertio, et virginalis pudicitiæ illibata cognitio. Quis certior esse valuit de se, quam ipsa, quæ mysterium Spiritus experiebatur in se? Sentiebat gratiam, et incarnati Verbi agnoscebat præsentiam. Quamobrem irreprehensibilis est testificatio Virginis, prærogativa sanctitatis ornatæ, et gratiæ plenitudine fæcundatæ, cujus asseverationis oraculo non minus, quam Angelico, est adhibenda credulitas.

℟. Felix namque es, sacra Virgo Maria, et omni laude dignissima:* Quia ex te ortus est sol justitiæ, Christus Deus noster.

℣. Ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto fæmineo sexu: sentiant omnes tuum juvamen quicumque celebrant tuam sanctam præsentationem Quia.

Lectio II.

Ad Deum totum est conversum cor Virginis, nova irradiatum luce, insolito charitatis desiderio liquefactum, atque repletum sincero piæ devotionis affectu. Solo igitur mente et corpore prostrata, humillime inquit; Ecce ancilla Domini. Isto unico responso complevit cælum gaudio, Angelis omnibus exultationem præbuit, captivo sæculo spem dedit, dæmones universos exterruit, astantem lætum fecit Nuntium, ac detentis in inferno Patribus libertatis gratiam repromisit. Affectu quippe avido, extensis in cælum manibus, propatulo cordis auditu hujusmodi præstolabantur responsum. Erat nempe illis præ libertatis amore diuturna nimis expectatio, paviduque observatio, ne, ob humilitatis virtutem, reniteretur Virgo consensumque negaret.

℟. Beatam me dicent omnes generationes: * Quia fecit mihi Dominus magna, qui potens est, et sanctum nomen ejus.

℣. Et misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum. Quia. Gloria Patri. Quia.

Lectio III.

Verum, ut datum est a Maria percepere re-

Digitized by Google

sponsum, omnes pariter prorumpentes in laudes, Domino decantavere, dicentes: Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit, et fecit redemptionem plebis suæ. Respondit itaque Maria, quod obtemperanti congruebat humiliter. Neque enim propter humilitatis affectum, obedientiam: nec, ut obediret alacriter, humilitatis decuit præteriri censuram. Utriusque igitur virtutis constituta in medio, demisso inquit eloquio. Ecce, ancilla Domini, divino paratissima famulari imperio. Non renuit gratiam, non contradicit oraculo, non ultra exigit informari de modo. Ecce se offert, se subiicit, se prosternit Altissimo: non filiam, non sponsam, nec facturam, sed Domini se fatetur ancillam.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

DIE XXVI. NOVEMBRIS.

Septima die et Octava Præsentationis B. M. V.

Omnia ut in feria præter ant. Orationem et lectiones.

Sermo Venerabilis Bedæ Presbyteri.

In Festo Annunt. B. M. V.

Lectio I.

Superveniens in Virginem Spiritus Sanctus, duobus modis in ea divinæ suæ potentiæ efficaciam ostendit; quia et mentem illius adeo, quantum humana fragilitas patitur, ab omni vitiorum sorde castificavit ut cælesti digna esset partu, et in utero illius sanctum ac venerabile Redemptoris nostri corpus, sola sui operatione creavit: idest, nullo interveniente virili attactu carnem de carne Virginis sacrosantam de intemerata formavit. Quem enim prius aperte Spiritum Sanctum dixit, hunc ipsum denuo virtutem altissimi nominavit: juxta quod Dominus, cum ejusdem Spiritus adventum discipulis promitteret, ait: Et ego mitto promissum patris mei in vos: vos autem sedete in civitate quoadusque induamini virtute ex alto.

℟. Congratulamini mihi omnes, qui diligitis Dominum, quia cum essem parvula, placui Al-

Digitized by Google

tissimo: * Et de meis visceribus genui Deum et hominem.

℣. Beatam me dicent omnes generationes, quia ancillam humilem respexit Deus. Et.

Lectio II.

OBUMBRAVIT autem beatæ Dei Genitrici virtus Altissimi, quia Spiritus Sanctus cor illius cum implevit, ab omni æstu concupiscentiæ carnalis temperavit, emundavit a desideriis temporalibus, ac donis cælestibus mentem simul illius consecravit, et corpus. Congruit conceptionis nativitas, ut quæ contra humanæ conditionis morem virgo concipit, supra humanæ consuetudinis modum Dei filium generet. Omnes quippe homines in iniquitate concipimur, et in delictis nascimur: quotquot autem donante Deo ad vitam prædordinati sumus æternam, ex qua et Spiritu Sancto renascimur. Solus vero Redemptor noster pro nobis incarnari dignatus, mox sanctus natus est, quia sine iniquitate conceptus est.

℟. Sicut cedrus exaltata sum in Libano, et sicut cypressus in monte Sion: quasi myrrha electa; * Dedi suavitatem odoris.

℣. Et sicut cinnamomum, et balsamum aromatizans. Dedi. Gloria Patri. Dedi.

Lectio III.

REDEMPTOR ergo noster non immerito solis luce vel ardore designatur, qui nos veritatis scientia illustrat, et amore inflammat. Unde ipse per Prophetam dicit: Vobis autem timentibus nomen meum, orietur Sol justitiæ. Cujus scilicet solis radios beata Virgo suscepit, quando Dominum concepit. Sed idem sol, idest, divinitas Redemptoris nostri tegumine se humanæ naturæ quasi umbraculo quodam obtexit, quo mediante Virginis eum viscera ferre sufficerent: sicque virtus Altissimi obumbravit ei, dum divina Christi potentia et eam præsentialiter implevit, et ut capi ab illa posset, substantia se nostræ fragilitatis obnubilavit.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

Digitized by Google

IN FESTO

IMMAC. CONCEPTIONIS B. M. V.

Ad Vesperas, ad laudes et per horas.

Ant. Tota pulchra es Maria, et macula originalis non est in te.

Psalmi ad Vesperas ut in feria occurrente.

Antiph. Vestimentum tuum candidum quasi nix, et facies tua sicut sol.

Ant. Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri.

Ant. Benedicta es tu, Virgo Maria, a Domino Deo excelso præ omnibus mulieribus super terram.

Ant. Trahe nos, Virgo immaculata, post te curremus in odorem unguentorum tuorum.

CAPITULUM. *Prov. 8.*

Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio. Ab æterno ordinata sum, et ex antiquis antequam terra fieret. Nondum erant abyssi, et ego jam concepta eram.

℟. Deo gratias.

Hymnus ad Vesperas ut in feria occurrente.

℣. Immaculata Conceptio est hodie sanctæ Mariæ virginis.

℟. Quæ serpentis caput virgineo pede contrivit.

AD MAGNIFICAT.

Ant. Beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna qui potens est. Alleluja.

ORATIO.

DEUS, qui per Immaculatam Virginis Conceptionem dignum Filio tuo habitaculum præparasti; quæsumus, ut qui ex morte ejusdem Filii tui prævisa, eam ab omni labe præservasti, nos quoque mundos ejus intercessione ad te perve-

Digitized by Google

nire concedas. Per eumdem.

AD MATUTINUM

INVITATORIUM.

Immaculatam Conceptionem Virginis Mariæ celebremus * Christum ejus Filium adoremus Dominum.

Psalm. Venite exultemus. *pag. 1.*

Hymnus et Psalmi ad Noct. ut in feria occurr.

℣. Deus omnipotens præcinxit me virtute.

℟. Et posuit immaculatam viam meam.

Sermo Sancti Anselmi Episcopi.

In die Conceptionis B. M. V.

Lectio I.

Hodie, fratres charissimi, sanctæ Dei Genitricis Virginis Mariæ Conceptionem celebramus, quæ omnium rerum nobis genuit Creatorem, et ideo cum summis præconiis, et summa devotione hujus est excolenda Conceptio, quæ salutem mundo perdito contulit. Quis non tantæ Conceptionis obstupescat miraculum? Hodie concepta est Virgo Maria, quæ Altissimi Patris filium ex virginali utero edidit nobis. Hodie concepta est stella cæli, palma virtutum; Hodie concepta est janua cælorum. O ineffabile gaudium! O admirabile sacramentum! o inauditum miraculum!

℟. Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit in quo omnes peccaverunt.* Ne timeas Maria invenisti gratiam apud Deum.

℣. Eripuit Dominus animam tuam de morte, et contra inimicum factus est protector tuus. Ne timeas.

Lectio II.

Deus ante sæcula ex hac Virgine carnem assumere dignatus est. Lætentur igitur cæli, quia hodie concepta est Virgo, per quam restaurantur perdita agmina Angelorum. Exultet mundus, quia hodie concepta est Virgo, per quam diluitur omnis culpa. Contremiscat infernus, quia hodie concepta est Virgo, per quam reddidit illos, quos tenebat crudeli carcere inclusos. Congaudeamus et nos pa-

Digitized by Google

ri consensu, fratres charissimi, et cum suavibus hymnis dulcia cantica modulamur, quia hodie concepta est Virgo, per quam meruimus accipere Dominum nostrum Jesum Christum.

℟. Transite ad me omnes, qui concupiscitis me* Et narrabo vobis quanta fecit Deus animæ meæ.

℣. Vivit Dominus, quoniam adimplevit in me misericordiam suam. Et narrabo. Gloria Patri. Et Narrabo.

Lectio III.

QUÆ enim festivitas huic est præponenda, per quam omnium festivitatum est exorta devotio? Hæc namque Virgo est mater æterni luminis: hæc est sponsa cælestis sponsi, Angelorum gubernantis imperium: hæc est Virgo puerpera, domicilium castum, receptaculum Dei omnipotentis dignissimum: cujus Reginam generationem ex Davidica stirpe, Sanctorum Evangelistarum ordo nobis descripsit: unus enim illorum per Regiam stirpem descendens, de hujus Virginis conceptione sic est exortus. Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham.

Hymnus. Te Matrem Die. *pag. 9.*

AD LAUDES.

Capitulum ut supra: et hymnus ut in feria occurr.

℣. Immaculata Conceptio est hodie Sanctæ Mariæ Virginis.

℟. Quæ serpentis caput virgineo pede contrivit.

AD BENEDICTUS.

Ant. Ait Dominus Deus ad serpentem: Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius: ipsa conteret caput tuum. Allel.

Oratio ut supra.

AD TERTIAM.

Capitulum. Dominus possedit, *ut supra.*

℟. *br.* Deus omnipotens.* Præcinxit me virtute. Deus.

℣. Et posuit immaculatam viam meam. Præcinxit. Gloria Patri. Deus.

℣. In hoc cognovi quoniam voluisti me.

Digitized by Google

℟. Quoniam non gaudebit inimicus meus super me.

AD SEXTAM.

CAPITULUM. *Ezech. 44.*

Porta hæc clausa erit, non aperietur, et vir non intrabit per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam: eritque clausa Principi. Princeps ipse sedebit in ea.

℟. Deo gratias.

℟. *br.* In hoc cognovi, * Quoniam voluisti me. In hoc.

℣. Quoniam non gaudebit inimicus meus super me. Quoniam. Gloria Patri. In hoc cognovi.

℣. Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me.

℟. Nec delectasti inimicos meos super me.

AD NONAM.

CAPITULUM. *Apoc. 12.*

Signum magnum apparuit in cælo. Mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus, et in capite ejus corona stellarum duodecima. ℟. Deo gratias.

℟. *br.* Exaltabo te, Domine. * Quoniam suscepisti me. Exaltabo.

℣. Nec dilectasti inimicos meos super me. Quoniam. Gloria Patri. Exaltabo.

℣. Immaculata Conceptio tua, Dei Genitrix Virgo.

℟. Gaudium annuntiavit universo mundo.

IN II. VESPERIS.

AD MAGNIFICAT.

Ant. Hodie egressa est virga de radice Jesse: hodie sine ulla peccati labe concepta est Maria: hodie contritum est ab ea caput serpentis antiqui. Alleluja.

DIE IX. DECEMBRIS.

Secunda die infra Octavam Conceptionis B. Mariæ V.

Omnia ut in festo præter lectiones

Sermo Sancti Germani Episcopi.

Ex Hom. In Præsent. Deiparæ.

Lectio I.

O Purissima et omni laude et obsequio dignissima Virgo Deo dicatum donarium omni creaturarum conditioni præcellens, terra non secta, inaratus ager, vitis floridissima, fons aquas ef-

Digitized by Google

fundens, virgo generans; et mater viri nescia, innocentiæ thesaurus absconditus, et sanctimoniæ decus: acceptissimis tuis ac materna auctoritate validis precibus ad Dominum ac Deum omnium conditorem filium tuum ex te sine Patre genitum, ecclesiastici ordinis gubernacula fac dirigas, et ad portum tranquillum perducas.

℟. Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam: Ego feci in cælis ut oriretur lumen indeficiens. * Nondum erant abyssi, et ego jam concepta eram.

℣. Deus enim creavit me in justitia, et apprehendit manum meam, et servavit me. Nondum.

Lectio II.

SACERDOTES justitia, et probatæ, immaculatæ ac sinceræ fidei exultatione splendidissime induito. Orthodoxis Principibus, qui præ omni purpuræ aut auri splendore, et præ margaritis ac lapidibus pretiosis, te nacti sunt diadema et indumentum, ac firmissimum regni sui ornamentum, in tranquillo ac prospero statu sceptra dirige. Male fidas nationes in te ac Deum ex te genitum blasphemantes, eorum pedibus sternens subjicito: subjectumque populum, ut secundum Dei præceptum in suavi obedientiæ obsequio perseveret, confirmato.

℟. Electa mea candida sicut nix in Libano; sicut favus distillans labia ejus: * Mel et lac sub lingua illius.

℣. Veni de Libano Sponsa mea, veni coronaberis corona gratiarum. Mel. Gloria Patri. Mel.

Lectio III.

TUAM hanc civitatem, quæ te tanquam turrim ac fundamentum habet, victoriæ triumphis coronato, et fortitudine circumcingens custodito Dei habitationem, templi decorem semper conservato; laudatores tuos ab omni discrimine, et animi angore eximе: captivis redemptionem tribuito: peregrinis tecto, et quovis præsidio destitutis, solamen te exhibe.

Digitized by Google

Universo mundo auxiliatricem manum tuam porrige, ut in lætitia et exultatione solemnitates tuas simul cum ista, quam modo celebramus, festivitate splendidissimo exitu transigamus, in Christo Jesu universorum Rege ac vero Deo nostro, cui gloria et fortitudo una cum Sancto vitæque principio Patre, et coæterno consubstantiali et conregnante Spiritu, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

DIE X. DECEMBRIS.

Tertia die infra Octavam Conceptionis B. M. V.

Omnia ut in festo præter lectiones.

Sermo Sancti Bernardi Abbatis.

Ex homilia 2. super Missus est.

Lectio I.

LÆTARE, pater Adam, sed magis tu, o Eva mater, exulta qui sicut omnium parentes, ita omnium fuistis peremptores: et quod infelicius est, prius peremptores quam parentes. Ambo, inquam, consolamini super filia et tali filia; sed illa amplius de qua malum ortum est prius, cujus opprobrium in omnes pertransivit mulieres. Istat namque tempus, quo jam tollatur opprobrium, nec habeat vir quid causetur adversus fæminam; qui utique, dum se imprudenter excusare conaretur, crudeliter illam accusare non cunctatus est, dicens: Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, et comedi.

℟. Nihil inquinatum in eam incurrit: * Candor est lucis æternæ, et speculum sine macula.

℣. Est enim hæc speciosior sole, et luci comparata invenitur purior. Candor est.

Lectio II.

PROPTEREA curre, Eva, ad Mariam: curre mater ad filiam: filia pro matre respondeat: ipsa matris opprobrium auferat: ipsa patri pro matre satisfaciat: quia ecce si vir cecidit per fæminam, jam non erigitur nisi per fæminam. Quid dicebas, o Adam? Mulier

Digitized by Google

quam dedisti mihi sociam dedit mihi de ligno, et comedi. Verba malitiæ sunt hæc quibus magis augeas quam deleas culpam. Veruntamen Sapientia vicit malitiam, cum occasionem veniæ, quam a te Deus interrogando elicere tentavit, sed non potuit, in thesauro indeficientis suæ pietatis invenit.

℟. Signum magnum apparuit in cælo: Mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus: * et in capite ejus corona stellarum duodecim.

℣. Induit eam Dominus vestimentis salutis, indumento justitiæ, et quasi sponsam ornavit eam monilibus suis. Et in capite. Gloria Patri. Et in capite.

Lectio III.

REDDITUR nempe fœmina pro fœmina, prudens pro fatua, humilis pro superba, quæ pro ligno mortis gustum tibi porrigat vitæ, et pro venenoso cibo illo amaritudinis, dulcedinem pariat fructus æterni. Muta ergo iniquæ excusationis verbum in vocem gratiarum actionis, et dic: Domine, mulier quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno vitæ, et comedi: et dulce factum est super mel ori meo, quia in ipso vivificasti me. Ecce enim ad hoc missus est Angelus ad Virginem. O fœminam singulariter venerandam, super omnes fœminas admirabilem, parentum reparatricem, posterorum vivificatricem.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

DIE XI. DECEMBRIS.

Quarta die infra Octavam Conceptionis B. M. V.

Omnia ut in Festo præter lectiones.

Sermo Sancti Tharasii Episcopi.

Ex Hom. In Præsent. Deiparæ.

Lectio I.

UBI abundavit delictum, superabundavit gratia. Per mulierem mortem lucrati sumus; per mulierem universa Ipse rursus instaurabit. Per serpentem cibum accepimus amari saporis; per Ipsum vero rursum vescemur cibo immortalitatis. Prima parens Eva

Digitized by Google

Cainum in lucem edidit invidiæ, et nequitiæ principem; Unigenitus filius tuus erit primogenitus vitæ et resurrectionis. O inauditum prodigium! O admirandam novitatem? O sapientiam nullis verbis coæquandam! Nos autem populus Dei, gens sancta, congregatio acceptabilis, filii columbæ, sobolés gratiæ in hac Virginis celebritate, puris animis, impollutis labiis, multisonis linguis hymnos suavidicos extollamus.

℟. Hortus conclusus, fons signatus; * Emissiones tuæ Paradisus, o Maria.

℣. Aperi mihi, soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea. Emissiones.

Lectio II.

Illustre hoc festum, principem solemnitatem angelis lætam et hominum prædicatione dignissimam (pro uti par est) venerantes illud ave Gabrielis cum reverentia et gaudio sancto conclamemus. Ave delicium Patris, per quam ad ultimos terræ fines Dei cognitio manavit. Ave filii domicilium, de qua ille carne indutus, prodivit. Ave Sancti Spiritus habitaculum ineffabile. Ave Sanctior Cherubim; ave gloriosior Seraphim; ave cælo latior: ave sole splendidior; ave luna micantior; ave multiplex astrorum nitor; ave levis nubes, quæ cælestem pluviam inspergis.

℟. Magnificat anima mea Dominum; * Quia fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen ejus.

℣. Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quia. Gloria Patri. Quia.

Lectio III.

Ave aurora sancta, quæ spiritum malitiæ a terra dissipasti. Ave nobile præconium prophetarum, ave Apostolorum auditus per totum orbem sonus; ave Martyrum excellens confessio; ave Patriarcharum laudatissima prædicatio; ave Sanctorum summum ornamentum. Ave causa salutis omnium mortalium; ave Regina pacis conciliatrix; ave matrum

Digitized by Google

splendor immaculatus. Ave mediatrix omnium, qui sub cælo sunt; ave totius orbis reparatio; ave gratia plena, Dominus tecum, qui ante te, et ex te, et nobiscum. Ipsi laus cum Patre et sanctissimo et vivifico Spiritu, nunc, et semper, et in infinita sæcula sæculorum. Amen.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

DIE XII. DECEMBRIS.

Quinta die infra Octavam Conceptionis B. M. V.

Omnia ut in festo præter lectiones.

Ex libro Sancti Ephræm Syri.

Oratio ad Deiparam.

Lectio I.

DOMINA mea Snctissima Dei Genitrix, et gratia plena, Mater Dei benedictissima, Deo gratissima Deipara, vas divinitatis Unigeniti filii tui, immortalis, et invisibilis Patris, sedes igniformis quadriformibus longe gloriosior, tota pura, tota immaculata, tota illibata, tota impolluta, tota irreprehensibilis, tota laudabilis, tota incorrupta, tota beatissima, tota inviolata, tota venerabilis, tota honorabilis, tota benedicta, tota memorabilis, tota desiderabilis, virgo anima et corpore et mente, Cathedra Regis æterni, qui sedet super Cherubim, Porta cælestis per quam nos a terra ad cælum currimus.

℟. Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit in quo omnes peccaverunt. * Ne timeas, Maria, invenisti gratiam apud Deum.

℣. Eripuit Dominus animam tuam de morte, et contra inimicum factus est protector tuus. Ne timeas.

Lectio II.

TU es Sponsa Dei per quam ipsi reconciliati sumus, inopinatum miraculum, inexplicabilis auditio, absconditi Sacramenti divini manifestatio, inexpugnabile patrocinium, defensio fortis, fons vivificus, pelagus inexhaustum divinarum, secretarumque largitionum ac munerum, altitudo divinis potestatibus sublimior, profun-

Digitized by Google

dum ininvestigabile absconsarum cogitationum, naturæ communis gloria, bonorum omnium erogatio, omnium post Trinitatem Domina, post Paraclitum alius consolator, et post Mediatorem mediatrix totius mundi, vehiculum intelligibilis solis, veræ lucis, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, ferens verbo omnia verbo portantem.

℟. Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, * Et narrabo vobis quanta fecit Deus animæ meæ.

℣. Vivit Dominus, quoniam adimplevit in me misericordiam suam. Et. Gloria Patri. Et.

Lectio III.

VIRGO Domina mea, vere vestis immaculata ejus qui induit lucem sicut vestimentum; pons mundi totius ad altissimum cælum nos ducens: Cherubim ac Seraphim sine ulla comparatione superior ac longe gloriosior, Angelorum splendor, hominum tutela, clavis in cælum nos introducens, Mater et Ancilla non occidentis stellæ: splendor veri mysticique diei, ininvestigabilis Dei bonitatis abyssus: currus divinus, et multi nominis, veræ fidei firmissimum fundamentum: ejus qui capi non potest, locus amplissimus: vitis vera vitæ fructum proferens, oliva fructifera fidelium animas exhilarans, universalis protectio mundi.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

DIE XIII. DECEMBRIS.

Sexta die infra Octavam Conceptionis B. M. V.

Omnia ut in festo præter lectiones.

Ex libro Sancti Ephræm Syri.

De Oratione ad Deiparam.

Lectio I.

SANCTISSIMA Domina Dei genitrix, sola purissima anima et corpore, sola supergressa integritatem omnem, et pudicitiam, et virginitatem: sola tota facta domicilium universarum gratiarum Sanctissimi Spiritus, atque inde etiam ipsas incorporeas virtutes sine ulla comparatic-

Digitized by Google

nè antecellens puritate, ac sanctitate animæ et corporis: porta mysterii supra intellectum venerabilis, complementum gratiarum Trinitatis veluti secundas portas tenens post divinitatem: fulgor fidelium animas illuminans, peccatorum reconciliatio, stantium securitas, lapsorum revocatio, excitatio socordium, bene valentium robur, Ecclesiarum concordia, et exercituum felicitas.

℟. Ego ex ore altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam: ego feci in cælis ut oriretur lumen indeficiens. * Nondum erant abyssi, et ego jam concepta eram.

℣. Deus enim creavit me in justitia, et apprehendit manum meam, et servavit me. Nondum.

Lectio II.

TU es Scala cælestis per quam Angeli ad nos descendunt, bonorum omnium suppeditatio, urbium bona institutio, totius mundi pax, tolerantia Monachorum, fortitudo athletarum; thesaurus vitæ incorruptæ, nubes fundens cælestem rorem in terram, portus tempestate jactatis, afflictorum gaudium, affectis injuria Patrona, derelictorum auxilium, infirmorum confirmatio, oppressorum recreatio, aberrantium salutaris dux, in necessitatibus auxiliator securus; Arca sancta per quam ab iniquitatis diluvio salvati sumus: rubus incombustus, quem vidit Moyses Divinitatis spectator.

℟. Electa mea candida sicut nix in Libano: sicut favus distillans labia ejus: * Mel et lac sub lingua illius.

℣. Veni de Libano Sponsa mea, veni coronaberis corona gratiarum. Mel. Gloria Patri. Mel.

Lectio III.

THURIBULUM aureum, in quo Verbum carnem incedens, mundum odore replevit, atque inobedientiæ combusta sunt crimina: tabula a Deo exarata, septem luminum candelabrum, cujus splendor solares radios

Digitized by Google

superavit. Tabernaculum Sanctum, quod spiritalis Beseleel ædificavit, regium vehiculum, vas manna repletum, hortus conclusus, fons signatus cujus rivi purissimi irrigant totum mundum: Virga Aaron divinitus florens, vellus Gedeonis rore madens, liber divina manu scriptus per quem Adami chirographum scissum est, Mons Dei, Mons sanctus in quo beneplacitum est Deo habitare in eo.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

DIE XIV. DECEMBRIS.

Septima die infra Octavam Conceptionis B. Mariæ V.

Omnia ut in festo præter lectiones.

Ex libro Sancti Ephræm Syri.

Ex Oratione ad Deiparam.

Lectio I.

VIRGO Domina Deipara, benedicta Dei genitrix, benedictissima Mater Dei, Deo gratissima, supra omnes benedicta, vas divinitatis Uuigeniti filii immortalis, et invisibilis Patris: radix sancta Jesse: civitas Dei de qua gloriosa dicta sunt de te, ut David loquitur: mæstitiæ dissolutio, captivitatis liberatio, mortalium Deificatio: pulchra natura, omnisque reprehensionis incapax, illa, quæ a Libano virginitatis redit, et mundum odoramentis replet, ex qua dulcedo defluens antiquam ligni acerbitatem dulcem effecit, quæ totius divinæ substantiæ horrendum in modum capax fuit: munus quocumque pretio excellentius, omnibusque bonis æstimabilius ornamentum.

℟. Nihil inquinatum in eam incurrit: * Candor est lucis æternæ, et speculum sine macula.

℣. Est enim hæc speciosior sole, et luci comparata invenitur purior. Candor.

Lectio II.

LECTUS Salomonis vere tu es, quem circum assistunt sexaginta Potentes, sermones nempe Scripturæ divinitus inspiratæ. Locus luce repletus ex quo salutis radii universo mundo illuxerunt: porta ad orien-

Digitized by Google

tem respiciens Ezechielis, tremendæ dispositionis magnificentia, speciosum divinæ demissionis hospitium, mundi reconciliatio, nostrum propitiatorium et refugium, omnium bonorum donum optabilissimum, forceps ignifera quam Isaias conspexit, mons virtutibus umbrosus quem Habacuc prævidit, Mons Danielis, a quo lapis abscissus est sine manibus, Porta ad orientem versa Ezechiel.

℟. Signum magnum apparuit in cælo: Mulier amicta sole et luna sub pedibus ejus: * Et in capite ejus corona stellarum duodecim.

℣. Induit eam Dominus vestimentis salutis, indumento justitiæ, et quasi sponsam ornavit eam monilibus suis. Et. Gloria Patri. Et.

Lectio III.

PARADISUS sanctissimus es, Domina mea benedictissima, in Eden, lignum vivificum pulcherrimum, jucundissimum fructum ferens, malum odoriferum, rosa suave olens, flos immarcescibilis, lilium candidissimum, liber signatus quem nemo legere potest, Virginitatis exemplar sine scripto expressum, visio pretiosa Prophetarum, purpura a Deo contexta, omnis prophetiæ manifestissima adimpletio, os loquax Apostolorum, Vincentium fiducia invisibilis, Regum firmitas, Sacerdotum gloriatio, delictorum remissio, justi Judicis placatio, lapsorum resurrectio, mundi desiderium, animæ meæ corporisque restauratio, salus et consolatio mea.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag.* 9.

DIE XV. DECEMBRIS.

Octava Conceptionis B. M. V.

Omnia ut in festo præter lectiones.

Ex libro Sancti Ephræm Syri.

De Oratione ad Deiparam.

Lectio I.

DOMINA laudabilissima, immaculata et intemerata, incorrupta et prorsus pudica, atque ab omni sorde ac labe peccati alienissima, Virgo Dei sponsa, quæ Deum

Digitized by Google

et hominem mundo mirifica ac gloriosa conceptione tua peperisti: vitis vera, vas continens manna, cadentium correctio, cunctorum refugium, totiusque mundi vita: lux et spes mea, refrigerium meum, animi mei voluptas, protectio et robur meum, lætitia, dulcedo, murus, subsidium, munitio mea, armatura, defensio et gloria mea, Patrona, mediatrix et tranquillitas, tuitio, exultatio, pax mea, laudatio, gaudium, benedictio, anchora, abundantia et ros meus.

℟. Hortus conclusus, soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus: * Emissiones tuæ Paradisus, o Maria.

℣. Aperi mihi, soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea. Emissiones.

Lectio II.

O DOMINA mea gloriosissima, dignitas et sanctitas mea, magnificentia, liberatio, molestiarum mearum consolatio, illuminatio ac sanctificatio animæ meæ, peccatorum meorum redemptio, oblectatio ex Deo animæ meæ, mei avidi cordis divina aspersio, tenebrosæ meæ animæ lampas lucidissima, nuditatis meæ operimentum, gemituum meorum sedatio, meorum infortuniorum correctio, continentia et purificatio, fortitudo et temperantia, virtutum ornamentum, mea libertas, portus et thesaurus meus, negotiatio vere æterna, stabilis pœnitentia, et bonum consilium meum, Domina mea, gaudium meum, splendor meus, et ad Deum meum vigil custodia non erubescenda.

℟. Magnificat anima mea Dominum; * Quia fecit mihi magna, qui potens est, et sanctum nomen ejus.

℣. Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quia. Gloria Patri. Quia.

Lectio III.

AVE fons gratiæ et totius consolationis. Ave peccatorum refugium atque diversorium. Ave laborantium propitiatorium et perfugium in Jerosolimis. Ave throne

Digitized by Google

creatoris nostri gloriosissime. Ave ævi splendor illustrissime et fulgentissime. Ave spes omnium proborum, rebus adversis afflictorum. Ave virorum atque mulierum regina et patrona. Ave Dei et hominum mediatrix optima. Ave totius terrarum orbis conciliatrix efficacissima. Ave Domina nostra, fœdus pacemque fidelibus tuis impetrans, et sceptrum cunctis imperans. Ave gloria et lætitia omnium sacerdotum. Ave virgo, solitariorum solatium. Ave Regina supernorum civium, et Domina Angelorum. Ave nostra consolatrix, quæ mærores sedasti, et oppressorum molestias leniisti, cunctasque oppressiones sustulisti.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

Digitized by Google

DIE XXV. DECEMBRIS

IN

NATIVITATE DOMINI

Ad vesperas ad laudes, et per horas.

Antiph. O admirabile commercium! Creator generis humani animatum corpus sumens, de Virgine nasci dignatus est: et procedens homo sine semine, largitus est nobis suam deitatem.

Psalmi ad Vesperas ut in feria occurrente.

Ant. Quando natus es ineffabiliter ex Virgine, tunc impletæ sunt scripturæ: sicut pluvia in vellus descendisti, ut salvum facere genus humanum; te laudamus Deus noster.

Ant. Rubum quem viderat Moyses incombustum, conservatam agnovimus tuam laudabilem virginitatem, Dei Genitrix insercede pro nobis.

Ant. Germinavit radix Jesse orta est stella ex Jacob; Virgo peperit Salvatorem: te laudamus Deus noster.

Ant. Ecce Maria genuit nobis Salvatorem, quem Joannes videns exclamavit, dicens: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Alleluja.

Capitulum et Hymnus ut in feria occurrente.

℣. Post partum, Virgo, inviolata permansisti.

℟. Dei Genitrix intercede pro nobis.

AD MAGNIFICAT.

Ant. Magnum hæreditatis mysterium: templum Dei factus est uterus nescientis virum: non est pollutus ex ea carnem assumens; omnes Gentes venient, dicentes, Gloria tibi Domine.

ORATIO.

DEUS, qui salutis æternæ, beatæ Mariæ Virginitate fæcunda, humano generi præmia præstitisti: tribue quæsumus: ut ipsam pro no-

Digitized by Google

bis intercedere sentiamus, per quam meruimus auctorem vitæ suscipere, Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum: Qui tecum.

AD MATUTINUM.

INVITATORIUM.

Ave Maria, gratia plena: * Dominus tecum.

Psalm. Venite exultemus. *pag. 1.*

Hymnus, Psalm. et ℣. ad Noct. ut in fer. occur.

Sermo Sancti Augustini Episcopi.

Ex Sermone 10. de Tempore.

Lectio I.

HODIE peperit Virgo, qui Deo filios faceret, qui sententiam prævaricationis excluderet, pœnam mortis eriperet, et vitam perpetuam credentibus condonaret. Portavit in utero filium mater omnibus, quæ sunt ante nutrimenta, majorem, et hunc fudit forma servi in terris, quem habent Angeli imperatorem in cælis. Peperit filium mater, a quo ipsa nutriretur potius quam nutriret: mortali alvo immortalem suscepit hospitem, et in terrestri hospitio cælestem Virgo imperatorem suscepit. Beata virginitas desinit esse jam mortis ancilla, quia illum intra se gestat in mente, quem Maria portavit in ventre. Nulli virginitas servituti succumbit, quia illum diligit, qui humano generi attulit libertatem.

℟. O magnum mysterium, et admirabile Sacramentum, ut animalia viderent Dominum natum, jacentem in præsepio: * Beata virgo, cujus viscera meruerunt portare Dominum Christum.

℣. Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum. Beata.

Lectio II.

CÆLESTIS propago germinabat in utero, et in eximio partu virginea viscera coruscabant. Humanis gressibus portabatur vectura deifica, et in angusto pudoris cubiculo eum quem cæli non capiunt, sancta virgo portabat inclusum: et peperit eum, non qui nascendo pollueret parientem, sed qui a pollutione sæculum dilavaret. Sancta credidit, sancta concepit, sanctior

Digitized by Google

efficitur post partum. Extitit autem ipsi virgini ipse filius qui erat sponsus, ipse genitus qui erat genitor. Illic fuit paranympha credulitas, paranymphus Archangelus: mater sponsa, et ipse, quem peperit Christus sponsus, quem Sanctus Spiritus copulavit, Gabriel Angelus nuntiavit, Angelorum exercitus decantavit, et stella fulgida demonstravit.

℟. Beata Dei genitrix Maria, cujus viscera intacta permanent: * Hodie genuit Salvatorem sæculi.

℣. Beata quæ credidit, quoniam perfecta sunt omnia, quæ dicta sunt ei a Domino. Hodie. Gloria Patri. Hodie.

Lectio III.

Fecit gravidam Virginem ipse, qui erat nasciturus ex virgine. Expavit in partu suo subito mater: Deus per Angelum loquebatur, et virgo auribus imprægnabatur. Virgo partu suo nupsit, virginitatem dum pareret duplicavit, filium, quem genuit adoravit. Cesset omnis sollicitudo: Christus nobis vera securitas advenit. Cesset omnis infirmitas: hodie Salvator apparuit. Cessent bella, desinant lites; hodie pax vera de cælo descendit. Cesset omnis amaritudo; hodie per totum mundum melliflui facti sunt cæli. Fugiat mors, quia vita nobis hodie de cælo est data. Hodie in terra canunt Angeli, lætantur Archangeli, gloriantur Prophetæ, invitantur Sancti. Plena sit ergo diei hujus festivitas, in qua Deus nostri memor terrena visitare dignatus est, et amissam mortalibus lucem adventus sui claritate vestivit.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

AD LAUDES.

Capitulum, et hymnus ut in feria occurr.

℣. Post partum etc.

AD BENEDICTUS.

Ant. Beata Dei Genitrix Maria, cujus viscera intacta permanent: hodie genuit Salvatorem sæculi.

Oratio ut supra.

Ad horas omnia ut in feria, præter antiph.

Digitized by Google

IN II. VESPERIS.

AD MAGNIFICAT.

Ant. Mirabile mysterium declaratur hodie: innovantur naturæ, Deus homo factus est: id quod fuit permansit, et quod non erat assumpsit: non commixtionem passus, neque divisionem.

DIE XXVI. DECEMBRIS.

Secunda die infra Octavam Nativitatis D. N. J. C.

Omnia ut in festo præter lectiones.

Sermo Sancti Augustini Episcopi.

De Sermone 17. de Tempore.

Lectio I.

O SACRUM, et cæleste mysterium in nativitate Domini! concepit Virgo antequam sponsum haberet, parit antequam nubat; et quod ad laudem pertinet nominis Domini, et mater et virgo cœpit esse post partum. Virgo enim concepit, virgo peperit, virgo post partum illibata permansit. Quem cum portaret, timuit; quem cum pareret, adoravit; quem cum peperisset, minor erat mater quam filius. Grande nobis mysterium divina majestas in Adæ figura præmisit. Sicut enim Deus noster cum primum Adam facere vellet, non ex conjunctione viri aut mulieris hominem ut esset effecit: sed accipiens terram, unde hominem facit, divina quadam arte formavit; ita sine virili conjunctione Deum in virginali alvo incorporari dispensavit.

℟. Sancta et immaculata virginitas, quibus te laudibus efferam nescio: * Quia quem cæli capere non poterant, tuo gremio contulisti.

℣. Benedicta tu in mulieribus et benedictus fructus ventris tui. Quia.

Lectio II.

ERGO si tunc licuit hominem sine homine nasci, cur non licuit hominem sine homine per Mariam Virginem procreari? Quoniam sicut Adam ex terra virgine figuratus est, ita et Christus ex Virgine natus agnoscitur. Ibi tunc flatus Dei de terra vivum hominem surgere fecit ad

Digitized by Google

vitam: hic mundo Spiritus Sanctus de Maria Virgine Christum hominem figuravit, in quo Deus ad reparationem hominis habitaret. Adam enim ibi tunc nascitur; hic renovatur, et resuscitatur in Christo. Fuit ergo similis reparatio, quomodo fuit et hominis creatio.

℟. Beata viscera Mariæ Virginis, quæ portaverunt æterni Patris filium: * Et beata ubera, quæ lactaverunt Christum Dominum.

℣. Qui hodie pro salute mundi de Virgine nasci dignatus est. Et. Gloria Patri. Et.

Lectio III.

DENIQUE sicut tunc in alvo terræ Salvator Adæ membra composuit: ita etiam nunc in Virginis alvo Christus sua membra composuit. O grandis potentia Salvatoris, expectat nasci sua membra quæ fecit! Sed ideo ille voluit nasci, ut nos iterum viveremus. Deus latebat in homine: humiliata est virtus, ut pietas augeretur: et quod ad laudem nominis ejus pertinet, visa est potestas minus velle quam possit. Sed quare Deus noster nascendo per Virginem nos sic voluit reformare ad vitam? Ut quia per mulierem in hunc mundum mors intravit, salus per Virginem redderetur.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

DIE XXVII. DECEMBRIS.

Tertia die infra Octavam Nativitatis D. N. Jesu Christi.

Omnia ut in festo præter lectiones.

Sermo Sancti Augustini Episcopi.

Ex Sermone 22. de Tempore.

Lectio I.

HAC die est natus ex Virgine matre, qui ante sæcula æternus est genitus ex Deo Patre: In illa nativitate ex impossibili nascitur genitore; in ista ex incorrupta natus est Virgine: Illam solus Pater scivit, qui genuit; hanc in se sola Virgo et mater intemerata cognovit, quæ virum in concipiendo non pertulit. In Patre impassibilitas, in matre incorruptibilitas. In Patre

Digitized by Google

perpetua divinitas, in matre æterna virginitas. Sic enim ad eam Dominus loquitur per Prophetam: et desponsabo te mihi in æternum. Semper ergo virgo est, quæ semper sponsa est: et quæ vocabulo sponsæ non caruit, in æternum Virgo permansit. Et dispensabo te, inquit, mihi in æternum; quia quæ sponsa æterna dicitur, æterna Virgo probatur.

℟. Congratulamini mihi omnes, qui diligitis Dominum:* Quia cum essem parvula placui Altissimo, et de meis visceribus genui Deum et hominem.

℣. Beatam me dicent omnes generationes, quia ancillam humilem respexit Deus. Quia.

Lectio II.

Ex Patre invisibiliter, ex matre visibiliter: sed incomparabiliter ex Patre, atque incomparabiliter ex Matre, quia incorruptibiliter in illa nativitate Patrem Deum habet sine homine matre; in ista matrem habet virginem, sed hominem non habet patrem: in illa coæternus est Patris et coæternus auctoris; in ista filius est virginis et auctor est matris. Ipse enim formavit uterum, qui descendit in uterum; exivit de utero, et non corrupit uterum: ut qui Deum patrem habet in cælis, virginem matrem haberet in terris. In illo sine tempore genitus, in ista in fine temporum natus. In illo nascitur sine fine; in ista concipitur sine semine. In illo sine initio generationis, in ista sub conditione legis et carnis.

℟. Confirmatum est cor Virginis in quo divina mysteria, Angelo nuntiante, concepit: tunc speciosum forma præ filiis hominum castis suscepit visceribus: * Et benedicta in æternum, Deum nobis protulit et hominem.

℣. Domus pudici pectoris, templum repente fit Dei, intacta nesciens virum, verbo concepit filium. Et. Gloria Patri. Et.

Lectio III.

In illo invisibilis Deus, in ista visibilis homo

Digitized by Google

per corpus: Quia Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. In illo impassibilis, in ista mortalis. In illo excelsissimus, in ista subiectus. Igitur cum gaudio dicamus sanctæ virgini Mariæ matri Domini nostri Jesu Christi, dicamus, et non confundamus: Lacta mater Christum, et Dominum nostrum, et cibum. Lacta eum, qui talem te fecit ut et ipse fieret in te, qui tibi et munus fæcunditatis adtulit conceptus, et donum virginitatis non abstulit natus: qui sibi antequam nasceretur, et uterum de quo nasceretur, et civitatem in qua nasceretur, et diem in quo nasceretur elegit, et ipse condidit quod elegit. Sic namque olim prædictum est: Mater Sion dicet, homo et homo factus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

DIE XXVIII. DECEMBRIS.

Quarta die infra Octavam Nativitatis D. N. J. C.

Omnia ut in festo præter lectiones.

Sermo Sancti Maximi Episcopi.

De homilia 5. in Nativitate Domini.

Lectio I.

CONCEPIT Virgo, virilis ignora consortii: impletur uterus, nullo libatus amplexu: et Spiritum Sanctum castus venter excepit, quem pura membra servarunt, innocens corpus gessit. Videte miraculum Matris Dominicæ. Virgo est cum concipit, Virgo cum parturit, Virgo post partum. Gloriosa virginitas et præclara fæcunditas! Virtus mundi nascitur, et nullus est gemitus parturientis: vacuatur uterus, infans excipitur, nec tamen Virginitas violatur. Dignum enim erat, ut Deo nascente, meritum cresceret castitatis: nec per ejus adventum, violaretur integritas, qui venerat sanare corrupta: nec per eum pudicitia corporis læderetur, per quem donatur virginitas baptismatis impudicis.

℟. O magnum mysterium, et admirabile sacramentum, ut animalia viderent Dominum natum, jacentem in præse-

Digitized by Google

pio: * Beata Virgo, cujus viscera meruerunt portare Dominum Christum.

℣. Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum. Beata.

Lectio II.

NATUS igitur puer ponitur in præsepio; et hæc sunt Dei prima cunabula: nec regnator cælis has indignatur angustias, cui habitaculum fuit virgineus venter. Idoneum plane Maria Christo habitaculum, non pro habitu corporis, sed pro gratia originali. Ergo exonerata felici onere Maria, matrem se lætam agnoscit, quæ se nescit uxorem: et est gloriosa de sobole, quæ est ignora de conjuge: atque infantem se ingenuisse miratur, cum Spiritum Sanctum se suscepisse testatur: nec quia peperit innupta, terretur, quia testimonio utitur virginitatis, et sobolis. Soboles enim Dominum patrem indicat, virginitas stupentium suscipionem excusat. Inde virginitati divinitas testimonium perhibet, hinc naturæ secretum.

℟. Beata Dei Genitrix Maria, cujus viscera intacta permanent: * Hodie genuit Salvatorem sæculi.

℣. Beata quæ credidit, quoniam perfecta sunt, quæ dicta sunt ei a Domino. Hodie. Gloria Patri. Hodie.

Lectio III.

IN Nativitate ergo Salvatoris completa est divina illa sententia, quæ dicit: In duobus, aut tribus testibus stabit omne verbum. Ecce enim Verbum Dei nascitur testimonio Trinitatis. Nam utique in utero Sanctæ Mariæ cum Spiritus Sanctus supervenit, cum obumbrat Altissimus, cum Christus generatur, confessio in eo fidei continetur. Dignum enim erat, ut mater salutem populis editura, prius in visceribus suis confirmaret mysterium Trinitatis: et intelligeremus ante Salvatoris ortum, confirmatum esse fidei sacramentum. Maria enim tanquam in sacrario ventris sui portavit cum mysterio Sacerdotem, nam quidquid in sæculo pro-

Digitized by Google

futurum erat, id totum in ejus ventre.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag.* 9.

DIE XXIX. DECEMBRIS.

Quinta die infra Octavam Nativitatis D. N. J. C.

Omnia ut in festo præter lectiones.

Sermo Sancti Ambrosii Episcopi.

Sermone 2. in Nativitate Domini.

Lectio I.

DESCENDET sicut pluvia in vellus. Quid enim tam silenter, et sine strepitu fit, quam cum imber in lanæ vellus infunditur? Nullius aures sono verberat, nullius corpus humore repercussi roris aspergit: sed sine inquietudine omnium totum imbrem per multiplices effusum partes toto corpore in se trahit, unius meatus scissuram nesciens, solida mollitie plures præbens meatus; et quod clausum videtur per densitatem, est patulum per tenuitatem. Recte ergo Maria velleri comparatur, quæ ita concepit Dominum, ut toto eum hauriret corpore, nec ejusdem discissuram corporis pateretur: sed esset mollis ad obsequium, solida ad sanctimoniam.

℟. O magnum mysterium, et admirabile sacramentum, ut animalia viderent Dominum natum, jacentem in præsepio: * Beata Virgo, cujus viscera meruerunt portare Dominum Christum.

℣. Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum. Beata.

Lectio II.

RECTE, inquam, Maria velleri comparatur, de cujus fructu salutaria populis vestimenta texuntur. Vellus plane Maria est, siquidem de molli sinu ejus Agnus egressus est, qui et ipse matris laniciem, hoc est carnem gestans, molli vellere cunctorum operit vulnera populorum. Omne enim peccati vulnus Christi lana suffunditur, Christi fovetur sanguine, et ut sanitatem recipiat, Christi indumento vestitur. Divinitatis ergo est filius, divinitatis, inquam, incorruptæ, integræ, illibatæ, intelligo plane my-

Digitized by Google

sterium. Ideo enim secunda nativitas per immaculatam Mariam, quæ prior per divinitatem constiterat illibata, ut cui prior nativitas gloriosa extitit, ejus secunda contumeliosa non fieret.

℟. Beata Dei Genitrix Maria, cujus viscera intacta permanent: * Hodie genuit Salvatorem sæculi.

℣. Beata quæ credidit, quoniam perfecta sunt omnia, quæ dicta sunt ei a Domino. Hodie. Gloria Patri. Hodie.

Ex Sermone tertio.

Lectio III.

QUEMADMODUM Virgo divinitatem ediderat, ita eum et Virgo Maria generasset. Habere etiam apud homines Patrem scribitur, sicut legimus in Evangelio dicentibus Pharisæis: Nonne hic est filius Joseph fabri, et mater ejus Maria est? In hoc quoque adverte mysterium: faber dicitur pater Christi. Et plane faber Deus, qui totius mundi opera fabricatus est. Et plane faber, sed qui in diluvio Noe arcam fabricare disposuit. Faber, inquam, est qui ordinavit Moysi tabernaculum, arcam testamenti instituit, templum Salomonis erexit. Fabrum dixerim, qui mentes rigidas expolit, cogitationes superbas rescindit, humilia facta sublimat.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

DIE XXX. DECEMBRIS.

Sexta die infra Octavam Nativitatis D. N. J. C.

Omnia ut in festo præter lectiones.

Sermo Sancti Petri Damiani Episcopi.

Homilia 61. in Nativitate Domini.

Lectio I.

DEUS, qui ut nos erigeret, se misericorditer inclinavit, nos quidem in suam gloriam transtulit; sed nihilominus ipse in sua divinitate permansit. Nobis contulit, sibi nihil minuit. Ita magnus in forma Dei, sic brevis in forma servi: ut nec ista brevitate magnitudo illa minueretur, nec illa magnitudine ista brevitas premeretur. Nec enim quando membra humana su-

Digitized by Google

scepit, opera divina deseruit. Carnis autem nomine homo totus accipitur, cum quo intra Virginis viscera Sancto Spiritu fœcundata, tam inseparabiliter Dei filius est unitus, ut qui erat sine tempore de essentia Patris genitus, sit ipse temporaliter de utero Virginis natus.

℟. Beata viscera Mariæ Virginis, quæ portaverunt æterni Patris filium, et beata ubera, quæ lactaverunt Christum Dominum. * Quia hodie pro salute mundi de Virgine nasci dignatus est.

℣. Dies sanctificatus illuxit nobis: venite gentes, et adorate Dominum. Qui.

Lectio II.

Quis non obstupescat, quod is, qui cæli immensitate non capitur, in angusto præsepio reclinatur? Qui electos suos stola immortalitatis induit, vilibus pannis contegi non contempsit? In stramine recubuit animalium, qui cibus est Angelorum? Qui marium procellas mitigat, qui aquarum abundantiam fluminibus subministrat, raras de Virgineo pectore guttas lactis expectat? Exprimitur lac ex uberibus Virginis et in carnem vertitur Salvatoris. Felix ista puerpera, quæ sic gaudet de fœcunditate prolis, ut nequaquam doleat de amissione virginitatis; quæ illum fovebat, a quo fovebatur; illum in ulnis gestabat, a quo totius mundi machina continetur. Stringitur a Matre puerilibus fascis infantulus, qui cum Patre omnium rerum jura gubernat immensus.

℟. Benedicta et venerabilis es, Virgo Maria, quæ sine tactu pudoris inventa es mater Salvatoris: * Jacebat in præsepio, et fulgebat in Cælo.

℣. Domine audivi auditum tuum, et timui: consideravi opera tua, et expavi, in medio duorum animalium. Jacebat. Gloria Patri. Jacebat.

Lectio III.

O Bethleem Civitas Dei summi, in te visa sunt mirabilia hodie. Deus pendet ab ube-

Digitized by Google

ribus, ponitur in præsepio, ligatur in cunis, pannis involvitur, et laxatis fasciolis, felices manus, et sancta brachiola per cunarum parvitatem expandit. Alludit Virgini, Matri arridet, et blandientes oculos ad Mariam intorquet. Stat perterrita tantis miraculis Regina cælorum, confert in corde suo salutationem Archangeli, conceptionem Dei, nativitatem pueri: et miratur quod ille, qui sic potuit ad nos venire, sic voluit subvenire. Adest et Joseph, sed ab utroque remotus, et in excessu mentis miratur, et mirari satis non potest, qualiter sit ad tantæ dignationis admissus arcanum.

DIE XXXI. DECEMBRIS.

Septima die infra Octavam Nativitatis D. N. Jesu Christi.

Omnia ut in festo præter lectiones.

Sermo S. Leonis Papæ.

Serm. 2. Nativit. Domini.

Lectio I.

EXULTEMUS in Domino, dilectissimi, et spiritali jucunditate lætemur, quia illuxit nobis dies redemptionis novæ, reparationis antiquæ, felicitatis æternæ. Deus enim omnipotens et clemens, cujus natura bonitas, cujus voluntas potentia, cujus opus misericordia est: statim ut nos diabolica malignitas veneno suæ mortificavit invidiæ, prædestinata renovandis mortalibus suæ pietatis remedia, inter ipsa mundi primordia præsignavit: denuntians serpenti futurum semen mulieris, quod noxii capitis sua virtute elationem contereret, Christum scilicet in carne venturum, Deum, hominemque signans, qui natus ex Virgine, violatorem humanæ propaginis incorrupta nativitate damnaret.

℟. Sancta et immaculata virginitas, quibus te laudibus efferam nescio: * Quia quem cæli capere non poterant, tuo gremio contulisti.

℣. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. Quia.

Lectio II.

ADVENIENTIBUS ergo temporibus, quæ re-

Digitized by Google

demptioni hominum fuerant præstituta, ingreditur hæc infima Jesus Christus Dominus noster, de cælesti sede descendens, et a paterna gloria non recedens, novo ordine, nova nativitate generatus. Novo ordine, quia invisibilis in suis, visibilis factus est in nostris. Nova autem nativitate genitus est, conceptus a Virgine, natus ex Virgine, sine paternæ carnis concupiscentia, sine maternæ integritatis injuria: quia futurum hominem Salvatorem talis ortus decebat, qui et in se haberet humanæ substantiæ naturam, et humanæ carnis inquinamenta nesciret. Auctor enim in carne nascens, Deus est, testante Archangelo ad beatam Virginem Mariam: Quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur filius Dei.

℟. Nesciens mater Virgo virum, peperit sine dolore, * Salvatorem sæculorum, ipsum Regem Angelorum, sola Virgo lactabat ubere de cælo pleno.

℣. Domus pudici pectoris, templum repente fit Dei, intacta nesciens virum, verbo concepit filium. Salvatorem. Gloria Patri. Salvatorem.

Lectio III.

Oportuit enim, ut primam genitricis integritatem nascens incorruptio custodiret, et complacitum sibi claustrum pudoris et sanctitatis hospitium, divini Spiritus infusa servaret, quæ statuerat dejecta erigere, confracta solidare, et superandis carnis illecebris, multiplicatam pudicitiæ donare virtutem: ut virginitas, quæ in aliis non poterat salva esse generando, fieret in aliis imitabilis confitendo, renascendo. Et cum omnibus matribus non fiat sine peccati sorde conceptio: hæc inde purgationem traxit, unde concepit. Quo enim paterni seminis transfusio non pervenit, peccati se illic rubigo non miscuit. Inviolata virginitas concupiscentiam nescivit, substantiam ministravit. Assumpta est de matre hominis natura, non culpa.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

Digitized by Google

DIE I. JANUARII.

Octava Nativitatis D. N. J. C.

Omnia ut in festo præter Lectiones.

Sermo Sancti Maximi Episcopi.

Homilia 6. in Nativitate Domini.

Lectio I.

In adventu Dominico, fratres charissimi, cujus honorem debitum præsenti festivitate deferimus, multimoda cælestium mysteriorum gratia revelatur. Hodie enim hoc est, in fine temporum editus est ille, cujus æternitatem nulla sæculorum tempora comprehendunt. Hodie cæli terrarumque Dominus pro libertate servorum formam induit servitutis. Hodie nova fœminei sexus gloria peperit Virgo, et quod universa nobiscum creatura miratur, natus est homo non per hominem procreatus. Sed quamvis novum videatur, non tamen incredulum, quod Christus in utero Mariæ sine generatione conceptus est, qui de Deo Patre sine conceptione processit.

℟. O magnum mysterium, et admirabile sacramentum, ut animalia viderent Dominum natum jacentem in præsepio: * Beata Virgo, cujus viscera meruerunt portare Dominum Christum.

℣. Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum. Beata.

Lectio II.

Quod enim Deus est, solus Patris est unigenitus, quod homo est, solius matris est filius. Atque ideo illum qui ex Patre Deus, et ex matre homo, hoc est, Deum et hominem unum Dominum confitemur. Hoc autem totum factum, ut et Deus per carnem hominis mysterium salutaris susciperet passionis, et homo per virtutem Dei æternitatis suæ reciperet dignitatem. Nascitur itaque Christus ex Maria, ut et sexus fœmineus hominem daret, et Deum proderet integritas virginalis. Nascitur Christus ex fœmina, ut sicut Adam decipientem per Evam diabolum non potuit præcavere, ita diabolus adventaneum per Mariam Deum

Digitized by Google

non deprehenderet esse præsentem.

℟. Confirmatum est cor Virginis, in quo divina mysteria Angelo nuntiante concepit: tunc speciosum forma præ filiis hominum castis suscepit visceribus: * Et benedicta in æternum, Deum nobis protulit et hominem.

℣. Domus pudici pectoris, templum repente fit Dei, intacta nesciens virum, verbo concepit filium. Et. Gloria Patri. Et.

Lectio III.

PARTURIT ergo fœmina salutem mundi, ut quæ extiterat fomes iniquitatis, fieret ministra justitiæ, et per quam mors sibi in hunc mundum aditum patefecit, per eam ad nos vitæ haberet ingressum. Atque ut ostenderet Creator humani generis utriusque se sexus curam habere, et utrumque se velle salvare, vir nascitur, et procedit ex fœmina, quatenus advertemus nullam esse apud Deum inter virum et fœminam in percipienda salute distantiam. Exultemus ergo, fratres, et lætemur celebrantes natalem Domini nostri Jesu Christi: quia in ejus nativitate nos omnes natos sentimus ad vitam. Factus est enim homo, non ut sibi viveret, qui auctor est vitæ, sed ut morte sua vitam redimeret mortuorum.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

Digitized by Google

IN

EPIPHANIA DOMINI

Ad Vesperas, ad laudes, et per horas.

Antiph. O Admirabile commercium! Creator generis humani, animatum corpus sumens de Virgine nasci dignatus est: et procedens homo sine semine, largitus est nobis suam Deitatem.

Psalmi ad Vesperas ut in feria occurrente.

Ant. Quando natus es ineffabiliter ex Virgine, tunc impletæ sunt Scripturæ: sicut pluvia in vellus descendisti, ut salvum faceres genus humanum: te laudamus Deus noster.

Ant. Rubum quem viderat Moyses incombustum conservatam agnovimus tuam laudabilem virginitatem: Dei Genitrix intercede pro nobis.

Ant. Germinavit radix Jesse, orta est stella ex Jacob, Virgo peperit Salvatorem: te laudamus Deus noster.

Ant. Ecce Maria genuit nobis Salvatorem, quem Joannes videns exclamavit, dicens: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Allel.

Capitulum et hymnus ad Vesperas ut in feria occurrente.

℣. Post partum Virgo, inviolata permansisti.

℟. Dei Genitrix intercede pro nobis.

AD MAGNIFICAT.

Ant. Mirabile mysterium declaratur hodie: innovantur naturæ, Deus homo factus est: id quod fuit permansit, et quod non erat assumpsit, non commixtionem passus, neque divisionem.

ORATIO.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui hunc diem per partum beatæ Mariæ Virginis consecrasti; concede propitius, ut ejus intercessione in mentibus nostris semper tuæ appareat stella justitiæ, et noster in tua sit confessione thesaurus. Per Dominum.

Digitized by Google

AD MATUTINUM

INVITATORIUM.

Ave Maria, gratia plena, * Dominus tecum.

Psalm. Venite exultemus. *pag. 1.*

Hymnus, Psalmi et ℣. ad Noct. ut in fer. occur.

Sermo Sancti Petri Damiani Episcopi.

De Serm. in Epiphania.

Lectio I.

JUDÆIS tanquam ratione utentibus loquitur vox Angelorum: Gentibus vero quasi brutis, et jumentis in campis sylvæ loquitur lingua, sive stella cælorum. Lux nostra itaque demonstrat lucem, et creatura suum indicat Creatorem, suum loquitur factura Factorem, et nova stella denuntiat verum Solem. Gaudeant Gentiles, exultent Judæi, quia ecce Sol de stella enituit, et Factor Virginis factus est in virgine factura sua. Homo enim qui factus est in ea, ipse fundavit eam Altissimus. Ortus est itaque Sol de stella, sanitas ex ægritudine, ex morticinio vita, lux ex tenebris, dulcedo ex amaritudine, ex spina rosa, pater ex filia, Dominus ex ancilla, et de exiguo rivulo fons aquæ salientis in vitam æternam. Oritur ergo Sol de stella, et demostratur Sol per stellam.

℟. Congratulamini mihi omnes, qui diligitis Dominum, quia cum essem parvula placui Altissimo: * Et de meis visceribus genui Deum et hominem.

℣. Beatam me dicent omnes generationes, quia ancillam humilem respexit Deus. Et.

Lectio II.

HÆC eadem ipsa Virgo stella maris obtulit soli nato in persona sua. Obtulit enim aurum regiæ dignitatis, quia fuit ipsa de regia tribu, secundum quod in dicta Genealogia legitur: Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus. Obtulit thus et myrrham: unde in Cantico amoris hæc duo in ipsa junguntur, ubi dicitur: Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ et thu-

Digitized by Google

ris, universi pulveris pigmentarii? Myrrha arcet vermes a corporibus mortuorum, et ipsa corpora conservat a corruptione, propter quod Nicodemus attulit mixturam myrrhæ et aloes, ut condiret corpus Jesu.

℟. Benedicta et venerabilis es, Virgo Maria, quæ sine tactu pudoris inventa es Mater Salvatoris: * Jacebat in præsepio, et fulgebat in cælo.

℣. Domine audivi auditum tuum et timui: consideravi opera tua et expavi: in medio duorum animalium. Jacebat. Gloria Patri. Jacebat.

Lectio III.

Per myrrham carnis integritas designatur: thus vero mentis exprimit devotionem. Bene ergo hæ duæ species in stella et virga nostra junguntur: quia in Virgine Maria carnis integritas, et mentis devotio semper indivisa manserunt. Et merito additur: Universi pulveris pigmentarii, quia ipsa adeo fuit donis Spiritus Sancti referta, ut audire meruerit: Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. Sic ergo, fratres, obtulerunt Magi, obtulit et Virgo Maria stella nostra. Et quia exempla dederunt nobis: ergo et nos ita faciamus.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag.* 9.

AD LAUDES

Capitulum et hymnus ut in feria occurr.

℣. Post partum etc.

AD BENEDICTUS

Ant. Remansit Virgo incorrupta post partum, et inviolata post filium. Omnes Gentes plaudite manibus, et jubilate Virgini gloriosæ.

Oratio ut supra.

Ad horas omn. ut in fer. præter Antiph.

IN II. VESPERIS

Omnia ut in primis.

AD MAGNIFICAT

Ant. Magnum hæreditatis mysterium: templum Dei factus est uterus nescientis virum: non est pollutus ex ea carnem assumens: omnes gentes venient, dicentes: Gloria tibi Domine.

Oratio ut supra.

Digitized by Google

DIE VII. JANUARII.

Secunda, et tertia die infra Octavam Epiphaniæ.

Omnia ut in festo præter lectiones.

Sermo Sancti Maximi Episcopi.

De Homilia 1, in Epiphania.

Lectio I.

UNIGENITUS Dei Filius sic humiliter ingressus est in mundum, ut indubitata divinitatis suæ deferret indicia. Natus enim de fœmina, natus ex Virgine jacebat in præsepio, sed in sidere rutilabat, ut hominem illum, Deumque esse, et terrena mater, et signum cæleste monstraret. Quibus vero radiis, quantove lumine illam Domini stellam antequam credimus tunc inter astra fulsisse? Nec sane quemquam moveat hæc tanta perfidia Judæorum, quod Christi illos fidem suscipere, neque novi stella fulgoris, nec parturiens Virgo compulerit, qui nec tunc quidem Deo credidere suo, cum illos per arentia deserta, ipso comitante Deo, cælum pasceret, petra potaret.

℟. Confirmatum est cor Virginis, in quo divina mysteria Angelo nuntiante concepit: tunc speciosum forma præ filiis hominum castis suscepit visceribus: * Et benedicta in æternum, Deum nobis protulit et hominem.

℣. Domus pudici pectoris, templum repente fit Dei, intacta nesciens virum, verbo concepit filium. Et.

Lectio II.

VADIT ergo ad nuptias Dei filius, non sumpturus pocula, sed daturus. Nam cum defecisset nuptiantibus vinum, ait illi beatissima Maria: Vinum non habent. Cui velut indignans respondit Jesus: Quid mihi et tibi est mulier? Nondum venit hora mea. Hæc verba indignantis esse quis dubitet? Sed idcirco, ut reor, quia tam temere ei mater de defectu carnalis poculi suggerebat, qui venerat totius orbis gentibus novum salutis æternæ calicem propinare. Quod enim ait: Nondum venit hora mea, illam nimirum gloriosissimam pas-

Digitized by Google

sionis suæ horam, atque illud redemptionis nostræ vinum, quod vitæ omnium proficeret, promittebat. Nam quod petebat Maria, erat gratiæ temporalis; quod Christus parebat, gaudii sempiterni.

℟. Nesciens Mater Virgo virum, peperit sine dolore, * Salvatorem sæculorum, ipsum Regem angelorum, sola Virgo lactabat ubere de cælo pleno.

℣. Domus pudici pectoris, templum repente fit Dei, intacta nesciens virum, verbo concepit filium. Salvatorem. Gloria Patri. Salvatorem.

Lectio III.

Nec tamen piguit benignissimum Dominum, dum magna veniunt, parva præstare. Et ideo venerabilis Maria, vere ut mater Domini, in spiritu futura prænoscens, ac Dominicam prævidens voluntatem, sollicite ministros admonuit, dicens: Quodcumque dixerit vobis, facite. Sciebat profecto mater Sancta objurgationem illam Domini filiique sui non irascentis offensam prætendere, sed miserantis portare mysterium. Tunc Dominus increpatæ matris revelans pudorem, suamque jam aperiens majestatem, expectantibus ait ministris: Implete hydrias aqua. Neque mora obsequium suum obediens minister exhibuit, ecce repente aquæ illæ cæperunt mirabiliter fortitudinem sumere, ducere colorem, odorem præbere, saporem concipere, totamque simul mutare naturam.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag.* 9.

DIE VIII. JANUARII.

Quarta et quinta die infra Octavam Epiphaniæ.

Omnia ut in festo præter lectiones.

Sermo Venerabilis Bedæ Presbyteri.

Ex homilia in Aurora Nativitatis Domini.

Lectio I.

Maria virginalis pudicitiæ jura custodiens, secreta Christi, quæ noverat, nemini divulgare volebat; sed ipsum hæc quando vellet, et quomodo vellet divulgari, reverenter expectabat.

Digitized by Google

Ipsa autem eadem secreta ore tacito, vigili tamen corde sedula scrutabatur. Et hoc est quod ait: Conferens in corde suo: Conferebat quippe ea quæ acta videbat his, quæ agenda legerat. Videbat namque se de stirpe David ortam in Nazareth de Spiritu Sancto filium Dei concepisse. Legerat in Propheta: Exiet virga de radice Jesse, et Nazareus de radice ejus descendet, et requiescet super eum Spiritus Domini. Legerat: Et tu Bethleem Ephrata parvulus es in millibus Juda, ex te mihi egredietur, qui sit Dominator in Israel, et egressus ejus ab initio a diebus æternitatis.

℟. Speciosus forma præ filiis hominum: diffusa est gratia in labiis tuis: * Propterea benedixit te Deus in æternum.

℣. Specie tua, et pulchritudine tua: intende, prospere, procede, et regna. Propterea.

Lectio II.

VIDEBAT se in Bethleem peperisse dominatorem Israel, qui æternus ex Patre Deus ante sæcula natus est. Videbat se Virginem concepisse, peperisse filium, et vocasse nomen ejus Jesum. Legerat in Prophetis: Ecce virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emanuel. Legerat: Bos cognovit possessorem suum et asinus præsepe Domini sui. Videbat Dominum positum in præsepi, quo bos et asinus solent nutriendi advenire. Meminerat sibi dictum ab Angelo: Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi: Ideoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur filius Dei. Legerat modum nativitatis ejus, non nisi Angelo revelante, potuisse cognosci, dicente Isaia: Generationem autem ejus quis enarrabit?

℟. Sancta et immaculata virginitas, quibus te laudibus efferam, nescio: * Quia quem cæli capere non poterant, tuo gremio contulisti.

℣. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. Quia. Gloria Patri. Quia.

Digitized by Google

Lectio III.

LEGERAT: Et tu turris gregis nebulosa filia Sion usque ad te veniet, et veniet potestas prima regnum filiæ Jerusalem. Audiebat Angelicas virtutes, quæ sunt filiæ supernæ civitatis, apparuisse pastoribus in loco, qui a conventu pecudum antiquitus turris gregis vocabatur. Noverat tunc venisse in carne Dominum, cui una et æterna est cum Patre potestas, qui regnum daret Ecclesiæ, filiæ scilicet et cælestis Jerusalem. Conferebat ergo Maria ea, quæ fienda legerat cum his, quæ jam facta cognovit: non hæc tamen ore promens, sed clauso servans in corde suo.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

DIE IX. JANUARII.

Sexta, et septima die infra Octavam Epiphaniæ

Omnia ut in festo præter lectiones.

Sermo S. Petri Damiani Episcopi.

De Sermone in Epiphania.

Lectio I.

IN stella, fratres, quatuor principaliter attenduntur. Stella enim igneæ naturæ est, stella in se lucida est et clara, stella ex se radium emittit, stella in nocte lucet. Hæc eadem in stella nostra, idest, in Virgine Maria possumus invenire. Stella, ut diximus, igneæ naturæ est; et ipsa Virgo Maria igneæ naturæ fuit. Ipsa est enim rubus ille igneus, in quo apparuit Dominus Moysi, qui videbatur quippe ardere, sed non comburebatur: quia gravida quidem apparuit Virgo, sed igne concupiscentiæ non est consumpta. Ipsa in se splendida est et clara, adeo ut de ea scriptum sit in Canticis Canticorum: Quæ est ista, quæ progreditur sicut aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol?

℟. Beata viscera Mariæ Virginis, quæ portaverunt æterni Patris filium: et beata ubera, quæ lactaverunt Christum Dominum:* Qui pro salute mundi de Virgine nasci dignatus est.

℣. Dies sanctificatus illuxit nobis: venite Gen-

Digitized by Google

tes, et adorate Dominum. Qui.

Lectio II.

IPSA ex se radium illum emisit, qui penetrat usque ad cordis secreta. Scrutatur enim corda et renes: eo quod vivus est sermo Dei et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens usque ad divisionem animæ, et spiritus: unde et merito congruit ei nominis interpretatio. Maria namque stella maris interpretatur. Mare hic mundus est, sicut scriptum est: Hoc mare magnum, et spatiosum, illic reptilia quorum non est numerus. Merito ergo stella maris dicitur, quia ipsa tanquam sydus singulare refulsit in mundo: et cujus splendor illuminat mundum, et ex se radium illum emisit, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.

℟. Benedicta et venerabilis es, Virgo Maria, quæ sine tactu pudoris inventa es Mater Salvatoris: * Jacebat in præsepio, et fulgebat in cælo.

℣. Domine audivi auditum tuum et timui: consideravi opera tua et expavi: in medio duorum animalium. Jacebat. Gloria Patri. Jacebat.

Lectio III.

ET sicut radius processit a stella, stella integra permanente: sic Filius ex Virgine, virginitate inviolabili perdurante, secundum quod et Propheta Ezechiel inquit: Porta quam vides semper erit clausa, et nullus transibit per eam, sed Dominus solus introibit per eam. Stella lucet in nocte, et ipsa Virgo in nocte hujus sæculi singulariter fulsit, secundum quod de ea scriptum est; Quæ cunctas hæreses sola interemisti in universo mundo. Talis est stella nostra, fratres, talis est Virgo Maria, talis est stella maris: et quia reliquit nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus, talis etiam debet esse anima nostra.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

Digitized by Google

DIE X. JANUARII.

Octava Epiphaniæ.

Omnia ut in Festo præter lectiones.

Sermo Sancti Augustini Episcopi.

Sermo 2. in Epiphania.

Lectio I.

PROXIMA ab hac die, fratres dilectissimi, sacratissimi natalis die natus est Dominus noster Jesus Christus, nunc baptizatus. Tunc nos genuit ad vitam, nunc regeneravit ad salutem. Tunc Adam suscepit perditum, nunc abluit peccatorem: ut quemadmodum tunc eum miramur incorrupta matre progenitum, ita et nunc suscipiamus illum pura unda submersum: et gloriemur in utroque facto, quia filium genuit mater et casta est: et quia Christum unda lavit, et sancta est. Nam sicut post partum glorificata est Mariæ castificatio, ita post baptismum aquæ est purificatio comprobata, nisi quod pene majori munere, quam Maria, unda ditata est. Illa enim sibi tantum meruit castitatem, ista nobis contulit sanctificationem.

℟. Confirmatum est cor Virginis, in quo divina mysteria Angelo nuntiante concepit: tunc speciosum forma præ filiis hominum castis suscepit visceribus: * Et benedicta in æternum, Deum protulit et hominem.

℣. Domus pudici pectoris, templum repente fit Dei, intacta nesciens virum, verbo concepit filium. Et.

Lectio II.

ILLA meruit ne peccaret, ista ut peccata purgaret. Illa propria delicta a se repudiat, ista in se per Dei gratiam aliena condonat. Illi est collata virginitas, isti donata fœcunditas. Illa unum procreavit et virgo est, ista generat plures et pura est. Illa præter Christum nescit alium filium, ista cum Christo mater est populorum. Denique Spiritus Sanctus, qui tunc illi in utero adfuit, modo eum in gurgite circumfulsit. Qui tunc Mariam castificavit, nunc fluenta san-

Digitized by Google

ctificat. Pater qui tunc obumbravit in virtute, nunc clamat in voce, et quasi maturiore consilio, qui tunc umbram præstitit nativitati, modo testimonium perhibet veritati. Ait enim Deus: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: Ipsum audite.

℟. Nesciens Mater Virgo virum, peperit sine dolore, * Salvatorem sæculorum, ipsum Regem Angelorum, sola Virgo lactabat ubere de cælo pleno.

℣. Domus pudici pectoris, templum repente fit Dei: intacta nesciens virum, verbo concepit filium. Salvatorem. Gloria Patri. Salvatorem.

Lectio III.

Illa enim sine teste, silentio Christum genuit, ista cum divinitatis professione Dominum baptizavit. Ab illa se Joseph, qui pater putabatur, excusat; in hac se pater, qui non credebatur, insinuat. Ibi laborat suspicionibus mater, quia professioni deerat pater: hic honoratur Genitrix, quia divinitas filii protestatur. Honoratior secunda, quam prima nativitas. Siquidem pater hic Deus majestatis inscribitur, illic Joseph artifex æstimatur. Et licet in utraque Dominus per Spiritum Sanctum et natus sit et baptizatus, tamen honoratior est, qui de cælo clamat, quam qui in terris laborat. O stupenda dignatio! Inter amplexus Genitricis includitur, qui cælumque terramque complectitur: in sinu matris latet, qui regnum Patris excedit.

Hymnus. Te Deum *vel* Te Matrem Dei.

Digitized by Google

IN FESTO

SEPTEM DOLORUM B. M. V.

Ad Vesperas ad Laudes et per horas.

Ant. Quo abiit dilectus tuus, o pulcherrima Mulierum? Quo declinavit dilectus tuus, et quæremus eum tecum?

Psalmi ad Vesperas ut in feria occurrente.

Ant. Recedite a me, amare flebo: nolite incumbere, ut consolemini me.

Ant. Non est ei species, neque decor, et vidimus eum, et non erat aspectus.

Ant. A planta pedis usque ad verticem capitis non est in eo sanitas.

Ant. Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.

CAPITULUM. *Thren. 2.*

Cui comparabo te? vel cui assimilabo te, filia Jerusalem? Cui exequabo te, et consolabor te, virgo filia Sion? Magna est velut mare contritio tua. ℟. Deo gratias.

HYMNUS.

SUMMÆ Deus clementiæ
Septem Dolores Virginis,
Plagasque Jesu filii
Fac rite nos revolvere.
Nobis salutem conferant
Deiparæ tot lacrymæ.
Quibus lavare sufficis
Totius orbis crimina.
Sit quinque Jesu vulnerum
Amara contemplatio;
Sint et Dolores Virginis
Æterna cunctis gaudia.
Jesu tibi sit gloria
Qui passus es pro servulis
Cum Patre et almo Spiritu
In sempiterna sæcula.
Amen.

℣. Maria Virgo per virtutem tot dolorum.
℟. Fac nos gaudere in Regno cælorum.

AD MAGNIFICAT.

Ant. Tuam ipsius animam (ait ad Mariam Si-

Digitized by Google

meon) pertransibit gladius.

ORATIO.

DEUS, in cujus passione, secundum Simeonis prophetiam, dulcissimam animam gloriosæ Virginis, et Matris Mariæ doloris gladius pertransivit: concede propitius, ut qui dolores ejus venerando recolimus, passionis tuæ effectum felicem consequamur. Qui vivis.

AD MATUTINUM.

INVITATORIUM.

Stemus juxta Crucem cum Maria Matre Jesu,* Cujus animam doloris gladius pertransivit.

Psalm. Venite exultemus. *pag. 1.*

HYMNUS.

STABAT Mater dolorosa,
Juxta Crucem lacrymosa,
Dum pendebat Filius.
Cujus animam gementem,
Contristatam et dolentem
Pertransivit gladius.
O quam tristis et afflicta
Fuit illa benedicta
Mater Unigeniti.
Quæ mœrebat et dolebat
Pia Mater dum videbat,
Nati pœnas inclyti.
Quis est homo, qui non fleret,
Matrem Christi si videret
In tanto supplicio.
Quis non posset contristari,
Matrem Christi contemplari
Dolentem cum filio?
Pro peccatis suæ gentis,
Vidit Jesum in tormentis,
Et flagellis subditum.
Vidit suum dulcem natum,
Moriendo desolatum,
Dum emisit Spiritum.
Eja Mater fons amoris,
Me sentire vim doloris
Fac ut tecum lugeam.
Fac ut ardeat cor meum
In amando Christum Deum
Ut sibi complaceam.
Amen.

Psalmi ut in Feria occurrente.

Sermo Sancti Athanasii Alexandrini Episcopi.

Serm. in Dei, ac Salvatoris nostri J. C. occursum.

Lectio I.

QUIA talem meruisti habere filium, o bea-

tissima Virgo, esque consecuta eum claritatis ac gloriæ cumulum, ut omnem prorsus terrigenarum naturam liquido superares: sine tentatione eris, immunisque ab affectionibus, ac quam nihil afflictiones tangant, quin et tuam ipsius animam pertransibit gladius. Nec te enim, inquit, miraculi magnitudo, in tumorem jactantiæ efferat. Quamquam enim peperisti supra naturam, iis tamen æqualem angustiam habitura es, quæ consuetis naturæ modis genuerunt, quin et longe maximam, summeque exsuperantem. Post vero multa adeo prodigia, post innumerabiles eorum eventus, quæ a Prophetarum oraculis edita essent, post celebratissimam virginitatis integritatem ac custodiam, o miraculum! tuam quoque ipsius animam pertransibit gladius.

℟. Passio Domini, * Ipsam ejus matrem carnali orbitate graviter percussam, vehementissime contristavit.

℣. Ferrum lanceæ militaris, latus quidem Salvatoris, animam vero transivit virginis matris. Ipsam.

Lectio II.

TUAM ipsius animam. Tuam, inquit, ipsius quæ faustum nuntium Gabrielem feliciter consecuta es, ac partus indicatorem. Tuam animam, quæ Altissimi obumbrantem virtutem, ipsumque Spiritum Sanctum ad te venientem, teque circumvolantem, liquidissimo habuisti. Tuam ipsius animam, quam Magi cum stella, stella duce adoraverunt; quamque pastores sociis Angelis, una cum divino infante beatam prædicarunt, ac collaudarunt. Tuam ipsius animam, quam Jacob scalam vidit ad cælos pertingentem; et Moyses ille Dei inspector, candelabrum ac arcam; tabulam ac mensam, quam denique Aaron, nullo humore germinantem virgam adspexit.

℟. Eja mater fons amoris, fac nos sentire vim doloris, ut tecum lugeamus: * Et Dominicæ passionis fructum sentiamus.

Digitized by Google

℣. Et sicut filius tuus Jesus pro nobis mortuus est, et resurrexit, ita et nos commortui cum eodem resurgamus. Et. Gloria Patri. Et.

Lectio III.

TUAM ipsius animam, o intactissima, et impollutissima, quam David quidem arcam appellavit sanctificationis; Salomon autem lectum aureum, thronum, ac liliorum convallem: divinarum reor virtutum et paradisum divina plantatum manu. Et tuam ipsius animam pertransibit gladius. Tuam, inquam, quæ electa es antequam etiam nascereris: quæ a sæculis, ac generationibus fuisti prædestinata. Tuam ipsius animam, quam elegit Pater, filiusque domicilium habuit, ac Spiritus Sanctus, ratione, quæ Deum decebat obumbravit; quam denique omnis creatura propriissime ac verissime Dei matrem, Deique genitricem prædicat. Et tuam ipsius animam pertransibit gladius. Eam ob rem lugebis, et super filium lamentaberis, qui hominum nequam morte mulctetur; atque id maxime cum silentio illas apud te cogitationes versabis.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

Ad laudes, capitulum ut supra.

HYMNUS.

SANCTA Mater istud agas,
Crucifixi fige plagas
Cordi meo valide.
Tui nati vulnerati,
Tam dignati pro me pati,
Pœnas mecum divide.
Fac me tecum pie flere,
Crucifixo condolere,
Donec ego vixero.
Juxta Crucem tecum stare
Et me tibi sociare,
In planctu desidero.
Virgo Virginum præclara,
Mihi jam non sis amara,
Fac me tecum plangere.
Fac ut portem Christi mortem,
Passionis fac consortem,
Et plagas recolere.
Fac me plagis vulnerari,
Fac me Cruce inebriari,
Et cruore filii.

Digitized by Google

Flammis ne urar succensus,
Per te Virgo sim defensus,
In die Judicii.
Christe, cum sit hinc exire,
Da per matrem me venire,
Ad palmam victoriæ.
Quando corpus morietur,
Fac ut animæ donetur
Paradisi gloria. Amen.

℣. Ora pro nobis, Virgo dolorosissima.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

AD BENEDICTUS.

Ant. Cum vidisset Jesus matrem stantem juxta Crucem, et discipulum, quem diligebat, dicit matri suæ: Mulier ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo: Ecce mater tua.

Oratio ut supra.

AD PRIMAM.

Ant. Quo abiit.

AD TERTIAM.

Ant. Recedite a me.

Capitulum. Cui comparabo.

℟. *br.* O vos omnes;* Qui transitis per viam. O vos.

℣. Attendite, et videte, si est dolor sicut dolor meus. Qui. Gloria Patri. O. vos.

℣. Defecerunt præ lacrymis oculi mei.

℟. Conturbata sunt omnia viscera mea.

AD SEXTAM.

Ant. Non est ei species.

CAPITULUM. *Thren. 1.*

Plorans ploravit in nocte, et lacrymæ ejus in maxillis ejus: non est qui consoletur eam ex omnibus charis ejus.

℟. Deo gratias.

℟. *br.* Defecerunt, * Præ lacrymis oculi mei. Defecerunt.

℣. Conturbata sunt omnia viscera mea. Præ lacrymis. Gloria Patri. Defecerunt.

℣. Fasciculus myrrhæ, dilectus meus mihi.

℟. Inter ubera mea commorabitur.

AD NONAM.

Ant. Fulcite me floribus.

CAPITULUM. *Thren. 2.*

Deduc quasi torrentem lacrymas per diem, et noctem: non des re-

Digitized by Google

quiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui.

℟. Deo gratias.

℟. *br.* Fasciculus myrrhæ, * Dilectus meus mihi. Fasciculus.

℣. Inter ubera mea commorabitur. Dilectus. Gloria Patri. Fasciculus.

℣. Anima mea liquefacta est.

℟. Ut dilectus locutus est.

In secundis Vesperis ut in primis præter etc.

℣. Regina Martyrum, ora pro nobis.

℟. Qui juxta Crucem Jesu constitisti.

AD MAGNIFICAT.

Ant. Oppressit me dolor, et facies mea intumuit a fletu, et palpebræ meæ caligaverunt.

Oratio ut supra.

II.

Ex Libro S. Ambrosii Episcopi.

In Epist. 25. ad Vercell. Ecclesiam.

Lectio I.

MARIA Mater Domini ante Crucem Filii stabat. Nullus me hoc docuit, nisi sanctus Joannes Evangelista. Mundum alii concussum in Passione Domini conscripserunt, cælum tenebris obductum, refugisse solem, in Paradisum Latronem, sed post piam confessionem receptum; Joannes docuit, quod alii non docuerunt, quemadmodum in Cruce positus Matrem appellaverit. Pluris putatur, quod victor suppliciorum, pietatis officia Matri exhibebat, quam quod regnum cæleste donabat. Nam si religiosum est, quod Latroni donatur venia, multo uberioris pietatis est, quod a Filio Mater tanto affectu honoratur. Testabatur de Cruce Christus, et inter Matrem et Discipulum dividebat pietatis officia. Condebat Dominus non solum publicum, sed etiam domesticum testamentum.

℟. Simeon vir justus, et timoratus dixit ad Mariam: * Tuam ipsius animam pertransibit gladius.

℣. Ne vocetis me pulchram, sed amaram, quia amaritudine valde replevit me Omnipotens. Tuam.

Digitized by Google

Ex Venerabili Beda Presbytero. In Joan. Cap. 19.

Lectio II.

HÆC nimirum est illa hora, de qua Jesus aquam conversurus in vinum dixerat matri: Quid mihi et tibi est mulier? Nondum venit hora mea. Hanc itaque horam prædixerat, quæ tunc nondum venerat, in qua deberet agnoscere moriturus, de qua fuerat mortalis natus. Tunc ergo divina facturus, non divinitatis, sed infirmitatis matrem velut incognitam repellebat: nunc autem humana jam patiens, ex qua fuerat factus homo, affectu commendabat humano. Tunc enim qui Mariam creaverat, innotescebat virtute: nunc vero quod Maria pepererat, pendebat in Cruce. Exemplo suo instruit præceptor bonus, ut a filiis piis impendatur cura parentibus, tanquam lignum illud ubi erant fixa membra morientis, etiam cathedra fuerit magistri docentis.

℟. Surge, et accipe Puerum et Matrem ejus, et fuge in Ægyptum, * Et esto ibi usque dum dicam tibi.

℣. Vocavi filium meum ex Ægypto, ut veniat salus ex Israel. Et. Gloria Patri. Et.

Lectio III.

HUJUS itaque salubérrimi præcepti, ipse magister sanctorum, de se ipso constituebat exemplum quando non ut famulæ Deus, quam creaverat et regebat, sed ut matri homo de qua creatus fuerat, et quam relinquebat, alterum pro se quodammodo filium providebat. Nam cur hoc fecerit, quod sequitur indicat. Ait enim Evangelista: Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua, ut ad ejus curam quidquid ei esset necessarium, pertineret. Suscepit ergo eam in sua: non prædia, quæ nulla proprie possidebat, sed officia, quæ propria dispensatione exequenda curabat.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

Digitized by Google

III.

Sermo Sancti Bernardi Abbatis.

Ex Sermone de 12. Stellis.

Lectio I.

MARTYRIUM Virginis tam in Simeonis prophetia, quam in ipsa Dominicæ Passionis historia commendatur. Positus est hic (ait Sanctus Senex de puero Jesu) in signum, cui contradicetur; et tuam ipsus animam (ad Mariam autem dicebat) pertransibit gladius. Vere tuam, o beata mater, animam pertransivit. Alioquin nonnisi eam pertransiens, carnem filii tui penetraret. Et quidem posteaquam emisit spiritum ille tuus Jesus, ipsius plane non attigit animam crudelis lancea, quæ ipsius aperuit latus, sed tuam utique animam pertransivit: ipsius nimirum anima jam ibi non erat, sed tua plane inde nequibat avelli.

℟. Fili, quid fecisti nobis sic? * Ego et Pater tuus, dolentes quærebamus te.

℣. Quid est, quod me quærebatis? In his quæ Patris mei sunt, oportet me esse. Ego.

Lectio II.

TUAM ergo pertransivit animam vis doloris, ut plusquam Martyrem non immerito prædicemus, in qua nimirum corporeæ sensum passionis excesserit compassionis affectus. An non tibi plusquam gladius fuit sermo ille, revera pertransiens animam, et pertingens usque ad divisionem animæ et spiritus: Mulier, ecce filius tuus. O commutationem! Joannes tibi pro Jesu traditur, servus pro Domino, discipulus pro Magistro, filius Zebedæi pro Filio Dei, homo purus pro Deo vero. Quomodo non tuam affectuosissimam animam pertransiret hæc auditio, quando et nostra, licet saxea, licet ferrea pectora sola recordatio scindit?

℟. Postquam venerunt in locum, qui dicitur Calvariæ, ibi crucifixerunt eum: * Stabat autem juxta Crucem Jesu Mater ejus.

℣. Tunc beatam illius animam doloris gladius

Digitized by Google

pertransivit. Stabat. Gloria Patri. Stabat.

Lectio III.

NON miremini, fratres, quod Maria martyr in anima fuisse dicatur. Miretur qui non meminerit se audivisse Paulum inter maxima gentium crimina memorantem, quod sine affectione fuissent. Longe id fuit a Mariæ visceribus: longe sit a servulis ejus. Sed forte quis dicat: Numquid non eum præscierat morituram? Et indubitanter. Numquid non sperabat continuo resurrecturum? Et fideliter. Super hæc doluit crucifixum? Et vehementer. Alioquin quisnam tu frater, aut unde tibi hæc sapientia, ut mireris plus Mariam compatientem, quam Mariæ filium patientem? Ille etiam mori corpore potuit, ista commori corde non potuit? Fecit illud charitas, qua majorem nemo habuit; fecit et hoc charitas, cui post illam similis altera non fuit.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

IV.

Ex Libro Sancti Anselmi Episcopi.

De excellentia Virginis. Cap. 5.

Lectio I.

CUM tanta dilectione, et exultatione tanta beata Dei Genitrix ex præsentia illius, et conversatione foret jucundata, perpendat quis potest, quibus doloribus, quibus gemitibus, quibus suspiriis cruciabatur, quando eum a se crudelium manibus avelli, quando ad condemnandum eum tradi, quando ad subeundam mortem judicio Judicis iniqui tribunali conspiceret sisti. Sed cum ad ipsam ejus passionem ventum fuisset, et ipse cruci affixus, hinc ipsam matrem suam, hinc discipulum, quem diligebat prope astantes intuitus esset, ne matrem penitus orbatam relinqueret ei præsentem discipulum suo loco in filium subrogavit: Mulier, inquit, ecce filius tuus. O commutatio pro æterno et incommutabili Deo: purum et corruptibilem hominem, pro naturali et unico filio servum accepit in filium!

Digitized by Google

℟. Quid tibi sensus fuit, o Mater Dolorum:* Dum Joseph sindone filium tuum involvit, et posuit eum in monumento?

℣. Considerate, et videte si est dolor sicut dolor meus. Dum.

Lectio II.

VERE pertransivit animam tuam gladius doloris, qui tibi amarior fuit omnibus doloribus cujusvis passionis corporeæ. Quidquid enim crudelitatis inflictum est corporibus Martyrum leve fuit, aut potius nihil comparatione passionis tuæ, quæ nimirum sua immensitate transfixit cuncta penetralia tua, tuique benignissimi cordis intima. Et utique, pia Domina, non crediderim te potuisse ullo pacto stimulos tanti cruciatus, quin vitam amitteres, sustinere, nisi ipse spiritus vitæ, spiritus consolationis, spiritus scilicet dulcissimi tui filii, pro quo morienti conquerebaris, tantopere torquebaris, te confortaret, te consolaretur, te intus doceret non esse mortem eum absumentem, sed magis triumphum omnia ei subjacentem quod in ipso fieri coram moribundo videbas.

℟. In toto corde tuo gemitus Matris tuæ ne obliviscaris; * Ut perficiatur propitiatio, et benedictio.

℣. Ave princeps generosa, Martyrumque prima Rosa, Virginumque Lilium. Ut. Gloria Patri. Ut.

Lectio III.

MORTUUS est tamen, et ab oculis tuis te spectante sepulchro reclusus. Cætera silentio premo, penitus ignorans, ubi vel unde aliquid dicendum assumam, ex quo luctus tui modum, o pudicissima Virgo, alicui proponere queam. Siquidem cum illum, quem te virginem concepisse, virginem peperisse, et post partum virginem noveras permansisse, nec non per quem te intelligebas ab omni generatione beatam dici meruisse, videbas iniquorum sævitia tam crudeli nece peremptum, tam subito tuis

Digitized by Google

aspectibus abstractum, et sepulchri antro reclusum, quid ego? nescio quid haberem, ubi vel unde acceperim, quod in considerationem tui status animi, quem gerebas eo tempore cuilibet pan-derem: sed acerbitas doloris et mœroris in resurrectione ejusdem filii tui in lætitiam est conversa.

Hymnus. Te Matrem Dei. *pag. 9.*

Digitized by Google

PRECATIO

SS. NOMINIS VIRGINIS MARIÆ

℣. Domina in adjutorium meum intende.

℟. Domina ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri etc.

Ant. Adorent te.

PSALMUS 24.

A.

Ad te, Domina, levavi animam meam:* in judicio Dei, tuis precibus non erubescam.

Neque illudant mihi adversarii mei: * etenim præsumentes de te roborantur.

Non prævaleant adversum me laquei mortis,* et castra malignantium non impediant gressus meos.

Collide impetum eorum in virtute tua;* et cum mansuetudine occurre animæ meæ.

Ductrix mea esto ad patriam; * et me cœtui Angelorum digneris aggregare.

Gloria Patri.

Ant. Adorent te familiæ gentium, et glorificent Nomen sanctum tuum.

Ant. Voluntarie.

PSALMUS 141.

V.

Voce mea ad Dominam clamavi,* ipsamque humiliter deprecatus sum.

Effudi in conspectu ejus lacrymam meam;* et dolorem meum ei exposui.

Insidiatur hostis calcaneo meo;* et extendit contra me rete suum.

Adjuva me, Domina, ne corruam coram eo: * fac ut conteratur sub pedibus meis.

Educ de carcere animam meam, ut confiteatur tibi,* et psallat Deo forti in perpetuum.

Gloria Patri.

Ant. Voluntarie offeram tibi, Domina, sacrificium laudis, et confitebor Nomini tuo, quoniam bonum est.

Ant. Exaudi, Domina.

Digitized by Google

PSALMUS 132.

E.

ECCE quam bonum, et quam jucundum Maria, * diligere nomen tuum.

Unguentum effusum, et aromaticum est nomen tuum: * diligentibus ipsum.

Quoniam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domina, * quam præparasti diligentibus, et sperantibus in te.

Esto refugium pauperum in tribulatione: * quia tu es baculus pauperum, et miserorum.

Inveniant, quæso, gratiam apud Deum, * qui te in suis necessitatibus invocabunt.

Gloria Patri.

Ant. Exaudi, Domina, gemitus suspirantium ad te: et ne spernas vota invocantium Nomen tuum.

Ant. Mariæ Nomen.

PSALMUS 88.

M.

MISERICORDIAS tuas, Domina, * in sempiternum decantabo.

Unguento pietatis tuæ medere contritis corde, * et oleo misericordiæ tuæ refove dolores nostros.

Libera me ab omni tribulatione mala, * et ab omni peccato custodi animam meam.

Excita spiritum meum ad amandum bonitatem tuam: * excita mentem meam ad extollendum nobilitatem et pretiositatem tuam.

Gratiosus vultus tuus mihi appareat in extremis: * formositas faciei tuæ lætificet egredientem spiritum meum.

Gloria Patri.

Ant. Mariæ Nomen cunctas illustrat Ecclesias, cui fecit magna, qui potens est, et sanctum Nomen ejus.

Ant. A solis ortu.

PSALMUS 119.

A.

AD Dominam cum tribularer clamavi; * et exaudivit me.

Domina, libera nos ab omni malo, * cunctis diebus vitæ nostræ.

Contere caput inimicorum nostrorum: * pede insuperabilis virtutis tuæ.

Ut exultavit spiritus tuus in Deo salutari tuo, * sic veram digneris in-

Digitized by Google

fundere lætitiam cordi meo.

Ad Dominum accede rogatura pro nobis, * ut per te nostra peccata deleantur.

Gloria Patri.

Ant. A solis ortu usque ad occasum laudabile nomen Domini, et Mariæ Matris ejus.

Ant. Refugium est.

PSALMUS 118.

R.

RETRIBUE servo tuo, Domina; * vivifica me, et faciam voluntatem tuam.

Incola ego sum in terra: * nihil abscondas mihi de amore tuo.

Concupivit anima mea laudem tuam: * enarrare omni tempore.

Tu enim salus mea in Domino: * quæ me morti adjudicatum liberasti.

Quid pro his retribuam tibi, nisi me totum? * Domina suscipe me.

Gloria Patri.

Ant. Refugium est in tribulationibus Mariæ Nomen omnibus illud invocantibus.

Antiph. In universa terra.

PSALMUS 125.

I.

IN convertendo faciem tuam serenissimam super nos, * lætificabis nos, virginea mater Dei.

Benedicta sis, o sacrarium Christi, * præ cunctis mulieribus super terram.

Benedictum sit gloriosum Nomen tuum, * quod os Domini mirabiliter nominavit.

Non deficiat laus tua de labiis nostris: * nec charitas tua de præcordiis nostris.

Qui te diligunt, benedicentur a Deo; * et qui te volunt diligere, non defraudabuntur a desiderio suo.

Gloria Patri.

Ant. In universa terra admirabile est Nomen tuum, o Maria.

Ant. Annuntiaverunt.

PSALMUS 28.

A.

AFFERTE Dominæ nostræ, filii Dei: * afferte Dominæ nostræ laudem et reverentiam.

Da virtutem sanctis tuis, Mater sancta: * et benedictionem laudanti-

Digitized by Google

bus atque glorificantibus te.

Exaudi gemitus suspirantium ad te; * et ne spernas vota invocantium Nomen tuum.

Sit manus tua ad succurrendum mihi parata:* et auris tua intendens ad deprecationem meam.

Benedicant tibi cæli et terra, * mare et orbis terrarum.

Gloria Patri.

Ant. Annuntiaverunt cæli Nomen Mariæ, et viderunt omnes populi gloriam ejus.

RESPONSORIUM.

SI quæris Cælum, anima,
Mariæ Nomen invoca,
Mariam invocantibus
Cælestis patet Janua.
Ad Mariæ Nomen Cælites
Lætantur, tremunt Inferi,
Cælum, Tellus, et Æquora,
Totusque mundus jubilat.
Culpæ fugantur, tenebræ
Morbi, dolores, ulcera.
Vinctis solvuntur compedes,
Nautis mitescunt æquora.
Ad Mariæ Nomen cælites
Lætantur, tremunt Inferi,
Cælum, Tellus, et Æquora,
Totusque mundus jubilat.
Gloriæ Mariæ Filiæ
Patris, et Matri Geniti,
Sponsæque Sancti Spiritus
Per sæculorum sæcula.
Ad Mariæ Nomen Cælites
Lætantur, tremunt Inferi,
Cælum, Tellus, et Æquora,
Totusque mundus jubilat.

℣. Sit Nomen Virginis Mariæ benedictum.

℟. Ex hoc nunc, et usque in sæculum.

ORATIO.

CONCEDE, quæsumus, Omnipotens Deus, ut fideles tui, qui sub sanctissimæ Virginis Mariæ Nomine, et protectione lætantur: ejus pia intercessione, a cunctis malis liberentur in terris, et ad gaudia æterna pervenire mereantur in cælis. Per Dominum.

Digitized by Google

APPENDIX

IN

FESTIVITATIBUS B. MARIÆ V.

Sequentes novem Psalmi dicendi sunt ad Matutinum, aut Nocturnum Marianum Sancti Bonaventuræ in omnibus et singulis Festivitatibus Beatæ Mariæ Virginis, in Nativitate, et in Epiphania Domini, adjunctis antiphonis loco proprio extensis.

Ant. Benedicta tu in mulieribus.

PSALMUS 8.

DOMINA, Dominus noster: * factus est per te frater noster, et Salvator noster.

Ut ignis in rubo, et ros in vellere: * descendit in te æternum Verbum.

Spiritu Sancto fœcundante, * obumbravit tibi virtus Altissimi.

Benedictus sit mundissimus conceptus tuus: * benedictus sit partus tuus virgineus.

Benedicta sit munditia carnis tuæ: * benedicta sit dulcedo misericordiæ cordis tui.

Gloria Patri.

PSALMUS 18.

CÆLI enarrant gloriam tuam, Virgo Maria: * et unguentorum tuorum fragrantia in gentibus est dispersa.

Respirate ad illam, perditi peccatores: * et perducet vos ad indulgentiæ portum.

In hymnis, psalmis, et canticis pulsate viscera ejus: * et stillabit vobis gratiam dulcedinis suæ.

Glorificate eam, justi, ante thronum Dei: * quia fructu ventris ejus estis justitiam operati.

Laudate eam, cæli cælorum: * et nomen ejus glorificet omnis terra.

Gloria Patri.

Digitized by Google

PSALMUS 23.

DOMINI est terra, et plenitudo ejus: * tu autem, sanctissima mater, cum eo regnas in æternum.

Gloriam et decorem induisti: * omnis lapis pretiosus amictus, et operimentum tuum.

Splendor solis super caput tuum: * lunaris pulchritudo sub pedibus tuis.

Sidera micantia ornant sedile tuum: * astra te glorificant jugiter matutina.

Memento nostri, Domina, in beneplacito tuo: * et fac nos dignos glorificandi nomen tuum.

Gloria Patri.

Ant. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui.

Ant. Sicut myrrha.

PSALMUS 44.

ERUCTAVIT cor meum verbum bonum, Domina, * cum tuo rore mellifluo extitit dulcuratum.

Per tuam sanctitatem peccata nostra purgantur: * per tuam integritatem mihi incorruptibilitas condonatur.

Pr tuam virginitatem anima mea a Christo adamatur, * et sibi amoris vinculo sociatur.

Per tuam fœcunditatem, ego captivus, sum redemptus: * per tuum partum virgineum de morte perpetua sum ereptus.

Per tuam prolem dignissimam, perditus, sum restitutus: * et de exilio miseriæ in patriam beatitudinis reductus.

Gloria Patri.

PSALMUS 45.

DOMINA, refugium nostrum tu es in omni necessitate nostra, * et virtus potenter conterens inimicum.

Beneficiis tuis plenus est mundus: * superant cælestia, penetrant et inferna.

Plenitudine gratiæ tuæ, * quæ in inferno sunt, se lætantur liberata.

Obtentu fœcunditatis tuæ virgineæ, * quæ supra mundum sunt, se gaudent restaurata.

Per gloriosum partum tuæ virginitatis sanctissimæ, * homines fiunt angelorum socii et concives. Gloria Patri.

Digitized by Google

PSALMUS 86.

FUNDAMENTA vitæ in anima justi, * perseverare in charitate tua, Domina benedicta, usque in finem.

Gratia tua relevat pauperem in adversitate; * et invocatio tui nominis immittit ei confidentiam bonam.

Miserationibus tuis repletur paradisus: * et a terrore tuo hostis confunditur infernalis.

Qui sperat in te, inveniet thesaurum pacis:* et qui te non invocat in hac vita, non perveniet ad regnum Dei.

Fac, Domina, ut vivamus in gratia Spiritus Sancti: * et perduc animas nostras ad beatum finem.

Gloria Patri.

Ant. Sicut myrrha electa odorem dedisti suavitatis, sancta Dei Genitrix.

Ant. Ante torum.

PSALMUS 95.

CANTATE plenæ gratiæ canticum novum: * cantate Mariæ, omnes terrigenæ orbis.

Quoniam omnes angelos sanctitate præcellit:* et natos mulierum virtutibus, mirabilibus, et signis.

Formositas, et gloria in vultu illius: * et gratia in oculis ejus.

Afferte illi gloriam, patriæ gentium: * exultate in ea omnes creaturæ Dei.

Admirabile commercium habetis per eam: * ex qua vocati estis filii Dei excelsi.

Gloria Patri.

PSALMUS 96.

DOMINUS regnavit: * exultet Maria in omni imperio dominationis ejus.

Adorate eam, cives curiæ paradisi: * exaltate eam, virgines sponsæ filii ejus.

Quoniam elevata est super Principatus, et Dominationes: * exaltata est super Angelorum et Archangelorum legiones.

Patriarchæ et Prophetæ, concrepate illi laudem: * concentum illi facite, Apostoli, Martyresque Christi.

Confessores cum virginibus, de canticis Sion dicite canticum ei: * regratiamini ei mona-

Digitized by Google

chi sancti, de acceptis triumphis.

Gloria Patri.

PSALMUS 97.

CANTATE Dominæ nostræ canticum novum : * quia mirabilia fecit.

In conspectu gentium revelavit misericordiam suam: * in extremis terræ auditum est nomen ejus.

Recordare, Domina, pauperum, et miserorum:* et sustenta eos ope refrigerii sancti tui.

Tu autem, Domina, suavis et verax : * patiens nimis, et miseratione plena.

Conculca hostes animarum nostrarum: * et contumaciam illorum elide brachio sancto tuo.

Gloria Patri.

Ant. Ante torum hujus Virginis frequentate nobis dulcia cantica dramatis.

℣. Specie tua, et pulchritudine tua.

℟. Intende, prospere procede, et regna.

Digitized by Google

IN FESTO
DESPONSATIONIS B. MARIÆ V.

AD VESPERAS

Antiph. Desponsatio. *Cum reliquis de laudibus.*

Psalmi. Dixit Dominus. *de Dom.* pag. XXXV, vel 68.

CAPITULUM. Eccl. 24.

Ab initio, et ante sæcula creata sum, et usque ad futurum sæculum non desinam, et in habitatione sancta coram ipso ministravi.

℟. Deo gratias.

HYMNUS

Notkeri Balb.

AVE, beati germinis
Invicte Rex, et inclyte,
Omnis tibi militia
Occurrat ovans cælitum.
Intacta Christi Genitrix,
Mater honora virginum,
Chorum pudicum socians,
Tibi procedat obviam.
Sancti Dei Apostoli,
Victoriosi Martyres,
Omnes sancti Ordines,
Semper vocent te laudibus.
Hæc ipsa gaudent tempora,
Floresque verno germinant,
Adventus omni gaudio
Quando venit optatior.
Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine
Cum Patre, et almo Spiritu
In sempiterna sæcula. Amen.

Versicul. Antiph. ad Magnificat, et Oratio. pag. 236.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. p. 237.

Psalm. Venite exultemus. *pag.* XIII, *vel 3.*

HYMNUS

S. Ambrosii Ep.

GENUS superni Numinis
Processit aula Virginis,
Sponsus, Redemptor, Conditor,
Suæ gigas Ecclesiæ.

Digitized by Google

Rorem dederunt æthera
Nubesque fuderunt Justum,
Patens excepit Dominum
Terra, salutem generans.
Mirabilis conceptio,
Christum protulit sobolem!
Ut Virgo partum funderet,
Post partum, Virgo sisteret.
Exultet omnis anima
Nunc Redemptorem Gentium
Mundi venisse Dominum
Redimere quos condidit.
Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, et almo Spiritu
In sempiterna sæcula. Amen.

IN NOCTURNO.

Ant. Antequam convenirent inventa est Maria in utero habens de Spiritu Sancto.

Psalmi. pag. XIV. *vel* 398.

Ant. Joseph autem vir ejus cum esset justus, et nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam.

Ant. Egredimini, filiæ Sion, et videte cælestem Sponsam ornatam monilibus suis.

℣. Specie tua, et pulchritudine tua.

℟. Intende, prospere procede et regna.

Lectiones, et Responsoria. pag. 237. *Inde* Te Deum laudamus. *p.* XVIII, *vel* Te Matrem Dei. *p.* 9.

AD LAUDES.

Antiph. Desponsatio. *pag. 236.*

Psalm. Dominus regnavit. *pag.* XIX, *vel 11.*

Capit. Ab initio. *ut supra.*

HYMNUS

Fortunati Episc. Pict.

MARIA ventre concipit,
Verbi fideli semine,
Quem totus orbis non capit,
Portant puellæ viscera.
Radix Jesse jam floruit,
Et Virgo fructum edidit,
Fœcunda partum protulit,
Et Virgo, mater permanet.

Digitized by Google

Hoc magnum est mysterium
Mariæ quod est concessum,
Ut Deum, per quem omnia
Ex se videret prodere.
Rogemus ergo, populi,
Dei Matrem, et Virginem,
Ut ipsa nobis impetret
Pacem, et indulgentiam.
Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, et almo Spiritu
In sempiterna sæcula. Amen.

℣. Desponsatio, *et Ant. ad Benedictus ut* pag. 238.

Canticum vero p. XXIV *vel 14.*

AD PRIMAM.

Ant. Desponsatio gloriosæ.

AD TERTIAM.

Ant. Desponsatio est hodie.

CAPIT. Ab initio etc.

℣. Specie tua * et pulchritudine tua. Specie tua.

℟. Intende, prospere procede, et regna. Et pulchritudine. Gloria Patri. Specie.

℣. Adjuvabit eam Deus vultu suo.

℟. Deus in medio ejus non commovebitur.

AD SEXTAM.

Ant. Regali ex progenie.

CAPITULUM. *Eccl. 24.*

Et sic in Sion firmata sum, et in civitate sanctificata similiter requievi, et in Jerusalem potestas mea. Et radicavi in populo honorificato, et in parte Dei mei hæreditas illius, et in plenitudine Sanctorum detentio mea.

℟. Deo gratias.

℟. Adjuvabit eam * Deus vultu suo. Adjuvabit.

℣. Deus in medio ejus non commovebitur. Deus. Gloria Patri. Adjuvabit.

℣. Elegit eam Deus, et præelegit eam.

℟. In tabernaculo suo habitare facit eam.

AD NONAM.

Ant. Cum jucunditate.

CAPITULUM. *Eccl. 24.*

In plateis sicut cinnamomum et balsamum aro-

Digitized by Google

matizans odorem dedi: quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris.

℟. Deo gratias.

℟. Elegit eam Deus, * Et præelegit eam. Elegit.

℣. In tabernaculo suo habitare facit eam. Et præelegit. Gloria Patri. Elegit.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.

℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

IN II. VESPERIS.

Omnia ut in primis pag. 236. *præter Ant. ad Magnificat* pag. 238.

Digitized by Google

IN FESTO

PURIFICATIONIS B. MARIÆ V.

AD VESPERAS.

Ant. Simeon justus. *Cum reliquis de laudibus.*

Psalmi. Dixit Dominus. *de Dom.* pag. XXXV vel 68.

Capit. Ecce ego mitto. *pag. 252.*

HYMNUS

Rabani Mauri.

QUOD chorus vatum venerandus olim,
Spiritu Sancto decinit repletus
In Dei factum Genitrice constat
Esse Maria.

Hæc Deum cæli Dominumque terræ
Virgo concepit peperitque virgo,
Atque post partum meruit manere
Inviolata.

Quem Senex justus Simeon in ulnis
In domo sumpsit Domini gavisus,
Ob quod optatum proprio videret
Lumine Christum.

Tu libens votis, petimus, precatum,
Regis æterni Genitrix, faveto.
Clara quæ celsis retinens Olympi
Regna petisti.

Sit Deo nostro decus et potestas,
Sit salus perpes, sit honor perennis
Qui poli summa residet in arce
Trinus, et unus. Amen.

Versiculum, Antiphona ad Magnificat, et Oratio. pag. 252.

AD MATUTINUM.

Invitator. pag. 253.

Psalm. Venite exultemus. *pag.* XIII. *vel 3.*

HYMNUS

Paulini Aquilej.

REFULGET almæ dies lucis candidus
Partum puellæ Virginis post aureum,
Quando supernis Filius de sedibus

Digitized by Google

A Patre missus homo
nasci voluit,
Permansit idem proles
alti numinis.
Postquam puellæ dies
quadragesimus
Est adimpletus juxta
legem Domini,
Maria virgo Jesum
sanctum puerum
Ulnis sacratis templi
tunc in atriis
Tulit, tremendi Geni-
toris Unicum.
Mater beata carnis sub
velamine
Deum ferebat humeris
castissimis
Dulcia strictim basia
sub labiis,
Deique veri hominis-
que impresserat
Ori, jubente quo sunt
cuncta condita.
Gloria Patri, Jesu ma-
gni nominis,
Et tibi, nate Patris
Unigenite,
Deus, potestas, virtus
super æthera,
Sancto per omne sæ-
culum Paraclito,
Laus infinita, honor,
et imperium. Amen.

IN NOCTURNO.

Ant. Benedicta est Virgo Maria, cujus viscera meruerunt portare Christum Dominum.

Psal. p. XIV *vel* 398.

Ant. Quem Virgo concepit, virgo peperit, virgo post partum, quem genuit, adoravit.

Ant. Postquam completi sunt dies purgationis Mariæ, tulerunt Jesum in Jerusalem.

℣. Specie tua, et pulchritudine tua.

℟. Intende, prospere procede, et regna.

Lectiones, et Responsoria, pag. 253. *inde* Te Deum laudamus. *p.* XVIII *vel* Te Matrem Dei. *p. 9.*

AD LAUDES.

Ant. Simeon justus. *pag. 252.*

Psalm. Dominus regnavit. *pag.* XIX *vel 11.*

Capit. Ecce ego mitto. *pag. 252.*

HYMNUS

Paulini Aquilej.

DEI Sacerdos, humilis,
mitissimus,
Erat in urbe justus,
senex optimus,
Felix, beatus Simeon
cælifluo
Sanctoque plenus ad-
fuit spiramine,
Sacra sub aula nutu
Dei concitus.

Digitized by Google

Suscepit ergo puerum
in manibus:
Egit supremo Genitori
gratias:
Ulnis retentans bene-
dixit Dominum
Amore plenus cordis
cum dulcedine
Addens, et alto ser-
mone subintulit.
Dimitte tuum Domine
nunc, obsecro,
In pace servum: quia
meis merui
Videre tuum salutare
visibus,
Quod parasti pietate
unica
Ante tuorum popula-
rum faciem.
Ipsius ecce tuam, sancta
Dei Genitrix,
Transibit ictus gladii
per animam:
Servabat alta mystica
sub pectore
Maria, verba confe-
rens alacriter
Dictis supernis credu-
la fideliter.
Gloria Patri Jesu magni
nominis
Et tibi, nate Patris
Unigenite,
Deus, potestas, virtus
super æthera
Sancto per omne sæ-
culum Paraclito
Laus infinita, honor,
et imperium. Amen.

℣. Responsum. *p. 252.*

Ant. ad Benedictus. pag. 254.

Canticum. pag. XXIV. vel 14.

Ad horas, omnia ut pag. 255.

IN II. VESPERIS.

Omnia ut in primis, præter Antiph. ad Magnificat. pag. 255.

Digitized by Google

IN FESTO
ANNUNTIATIONIS B. MARIÆ V.

AD VESPERAS.

Ant. Missus est. *Cum reliquis de laudibus.*

Psalmi. Dixit Dominus. *de Dom.* pag. XXXV vel 68.

Capit. Ecce Virgo concipiet. *pag. 268.*

HYMNUS

S. Ambrosii Episc.

VENI, Redemptor gentium,
Ostende partum Virginis,
Miretur omne sæculum:
Talis decet partus Deum.
Non ex virili semine,
Sed mystico Spiramine,
Verbum Dei factum caro,
Fructusque ventris floruit.
Alvus tumescit Virginis,
Claustrum pudoris permanet
Vexilla virtutum micant,
Versetur in templo Deus.
Procedens de thalamo suo
Pudoris aula regia,
Gemine gigas substantiæ,
Alacris ut currat viam.
Æqualis æterno Patri,
Carnis trophæo accingere,
Infirma nostri corporis
Virtute firmans perpeti.
Jesu, tibi sit gloria
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, et almo Spiritu
In sempiterna sæcula.
Amen.

Versiculus, Antiphona ad Magnificat et Oratio ut pag. 368.

AD MATUTINUM.

Invitator. pag. 368.

Psalm. Venite exultemus. *pag.* XIII *vel 3.*

HYMNUS

S. Ambrosii Episc.

VERBUM supernum proditum

Digitized by Google

Tulit reatum criminum,
Sumensque nostrum pulverem,
Mortis peremit principem.
Olim promissum Patribus,
Partum puellæ inclytum,
Natum ante Luciferum
Dei potentis Filium.
Venturum Regem gloriæ,
Deum regnare regibus,
Hostem calcare improbum:
Mundum sanare languidum.
Lætentur simul Angeli,
Omnes exultent populi,
Excelsus venit humilis,
Salvare quod perierat.
O quam beatum nuntium
Virgo Maria audiit!
Credendo mater efficit,
Et Virgo virum nesciit.
Virtus, honor, laus, gloria
Deo Patri cum Filio,
Sancto simul Paraclito
In sæculorum sæcula. Amen.

IN NOCTURNO.

Ant. Ecce Virgo concipiet, et pariet Filium, dicit Dominus.

Psalm. p. XIV vel 398.

Ant. Spiritus Sanctus in te descendet, Maria: ne timeas, habebis in utero Filium Dei.

Ant. Concipies et paries Deum pariter et hominem, ut benedicta dicaris inter omnes mulieres.

℣. Angelus Domini nuntiavit Mariæ.

℟. Et concepit de Spiritu Sancto.

Lectiones, et Responsoria, pag. 269. *Inde* Te Deum laudamus. *p.* XVIII *vel* Te Matrem Dei. *p. 9.*

AD LAUDES.

Antiph. Missus est. *pag. 368.*

Psalm. Dominus regnavit. *pag.* XIX *vel 11.*

Capit. Ecce virgo concipiet.

HYMNUS

S. Petri Damiani.

TERRENA cuncta jubilent,
Astra laudibus intonent,

Digitized by Google

Virginis ante thalamum
Laudes alternent dragmatum.
Hæc Virgo Verbo gravida,
Fit paradisi janua,
Quæ Deum mundo reddidit,
Cælum nobis aperuit.
Felix ista puerpera,
Evæ lege liberrima,
Concepit sine semine,
Peperit absque gemitu.
Dives Mariæ gremium,
Mundi gestavit pretium:
Quo gloriamur redimi,
Soluti jugo debiti.
Quam Patris implet Filius,
Sanctus obumbrat Spiritus,
Cælum fiunt castissima
Sacræ puellæ viscera.
Sit tibi laus Altissime,
Qui natus es de Virgine,
Sit honor ineffabili
Patri Sanctoque Flamini. Amen.

Versic. Antiph. ad Benedictus, et per horas, omnia ut pag. 270.

Canticum. pag. XXIV vel 14.

IN II. VESPERIS.

Omnia ut in primis præter Antiph. ad Magnificat pag. 271.

Digitized by Google

IN FESTO

VISITATIONIS B. MARIÆ V.

AD VESPERAS.

Antiph. Exurgens Maria. *cum reliquis de Laudibus.*

Psalmi. Dixit Dominus. *de Dom.* p. XXXIV *vel 68.*

CAPIT. *Eccl. 24.*

Ab initio, et ante sæcula creata sum, et usque ad futurum sæculum non desinam, et in habitatione sancta coram ipso ministravi.

℟. Deo gratias.

HYMNUS.

Quo sanctus ardor rapit
O Virgo, flos o Virginum?
Quo tendis, et cito gradu
Conscendis alta montium?
Urget sacer te Spiritus
Toto repletam numine,
Matris Dei jam dignitas
Nil charitatis detrahit.
Tibi propinquam sanguine
Matrem puella visitas;
Concessa cui divinitus
Grataris alvi munera.
O quanta matrum gaudia!
Stupente natura, gravem
Anum stupens, quæ Virginem
Fœtam Deo te prædicat.
Absconditum sub intimo
Ceu nube portabas sinu
Solem, suo qui protinus
Lustrabit orbem lumine.
Mundo Redemptor qui venis,
Fili, laus tibi maxima
Cum Patre, nec tibi minor
Laus utriusque Spiritus. Amen.

Versicul. Antiph. ad Magnificat, et Oratio pag. 284.

Digitized by Google

AD MATUTINUM.

Invitat. pag. 284.
Psalm. Venite exultemus. *pag.* XIII. *vel 3.*

HYMNUS.

Montes, superbum verticem,
Qua Virgo transit, subdite:
Cui se libenter sternerent
Vel ipsa cæli sidera.
Occulta quæ latet domi
Audet foras se prodere:
Semper sibi timens pudor
Se charitate protegit.
It illa, non nectit moras.
Fugit videri, nec minus
Fugit videre, ne suo
Quidquam pudori detrahat.
Beata quam pressit pede
Tellus! beata semita,
Colles beati, qui simul
Cum Matre sensistis Deum!
Beatiores hospites,
Vos o quibus cælestia,
Loquente Matre Virgine
Audire verba contigit.
Mundo Redemptor qui venis,
Fili, tibi laus maxima
Cum Patre, nec tibi minor
Laus, utriusque Spiritus. Amen.

IN NOCTURNO.

Ant. Surge, propera, amica mea, formosa mea, et veni.

Psalm. p. XIV vel 398.

Ant. Repleta est Spiritu Sancto Elisabeth, et clamavit, dicens: Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui.

Ant. Beatam me dicent omnes generationes, quia ancillam humilem respexit Deus.

℣. Specie tua, et pulchritudine tua.

℟. Intende, prospere procede, et regna.

Lectiones, et Responsoria, pag. 285. *Inde* Te Deum laudamus. *p.* XVIII *vel* Te Matrem Dei. *p. 9.*

AD LAUDES.

Ant. Exurgens Maria. *pag. 284.*

Psalm. Dominus regnavit. *p.* XIX *vel 11.*

Capit. Ab initio. *ut supra.*

Digitized by Google

HYMNUS.

Ad prima verba Virginis,
Intus moventeSpiritu,
In Matris alvo conditus
Infans Joannes gestiit.
Agnovit infantem Deum,
Quem sensit, ardet prodere;
Vates, et infans, qua potest,
Adesse Christum nuntiat.
Hic jam Redemptoris vices
Præconis ille sustinet:
Materna claustra non vetant,
Quin ambo munus impleant.
Felix puer, felix parens,
Felix Sacerdos, et domus,
Qui per parentem Virginem
Deo fruuntur hospite.
Mundo Redemptor qui venis,
Fili, tibi laus maxima
Cum Patre, nec tibi minor
Laus, utriusque Spiritus. Amen.

Versic. et Antiph. ad Benedictus pag. 286.

Canticum. pag. XXIV *vel 14.*

Capit. et Respons. br. ad Horas, omnia ut in die Desponsationis B. V. præter Antiph. pag. 404.

IN II. VESPERIS.

Omnia ut in primis præter Antiphonam ad Magnificat pag. 286.

Digitized by Google

IN FESTO

ASSUMPTIONIS B. MARIÆ V.

AD VESPERAS.

Ant. Assumpta est Maria. *Cum reliquis de Laudibus.*

Psalmi. Dixit Dominus. *de Dom.* pag. XXXV vel 68.

Capit. In omnibus requiem quæsivi, *pag. 300.*

HYMNUS

S. Odilonis Abb. Clun.

ADEST dies lætitiæ,
Jucundus omni lumine,
In quo Regina Virginum
Scandit ~~super cælicum~~ iter astriferum.
Angelorum præfulgidis
Circumvallata cuneis
Quamque sanctarum Virginum
Sequitur agmen inclytum.
Ut decet omnes credere
Cælesti diademate
Chorus, occurrit obvius
Christus ex ea genitus.
Ultra Angelorum gloriam
Torum delicti nescium
Secum ad Patris solium
Reportat pignus optimum.
Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, et almo Spiritu
In sempiterna sæcula. Amen.

Versic. Antiph. ad Magnificat, et Oratio pag. 300.

AD MATUTINUM.

Invitat. pag. 301.

Psalm. Venite exultemus *pag.* XIII *vel 3.*

HYMNUS.

S. Odilonis divisio.

CÆLESTIS regni civitas,
Et ejus omnis dignitas
Parentem sui Principis
Votis honorat congruis.
Cum quibus nos lætissima

Digitized by Google

Hujus diei gaudia
Celebremus alacres,
Deum laudando supplices.
Hujus Festi clarissima
Prosequamur præconia,
Mentis affectu supplices,
Effectu vocis alacres.
Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine
Cum Patre, et almo Spiritu
In sempiterna sæcula.
Amen.

IN NOCTURNO.

Ant. Exaltata est Sancta Dei Genitrix super Choros Angelorum ad cælestia regna.

Psalm. p. XIV *vel* 398.

Ant. Paradisi portæ per te nobis apertæ sunt, quæ hodie gloriosa cum Angelis triumphas.

Ant. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui.

℣. Assumpta est Maria in cælum, gaudent Angeli.

℟. Laudantes benedicunt Dominum.

Lectiones, et Responsoria, pag. 301. *Inde* Te Deum laudamus. *p.* XVIII *vel* Te Matrem Dei. *p. 9.*

AD LAUDES.

Ant. Assumpta est. *pag. 300.*

Psalm. Dominus regnavit. *p.* XIX *vel 11.*

Capit. In omnibus. *id.*

HYMNUS
S. Petri Damiani.

AURORA velut fulgida,
Ad cæli meat culmina:
Ut sol Maria splendida,
Tamquam luna pulcherrima.
Regina mundi hodie
Thronum conscendit gloriæ
Illa enixa filium,
Qui est ante Luciferum.
Assumpta super Angelos
Excedit et Archangelos;
Cuncta Sanctorum merita
Transcendit una fœmina.
Quem foverat in gremio,
Locarat in præsepio,
Nunc Regem super omnia
Patris videt in gloria.
Pro nobis Virgo virginum

Digitized by Google

Tuum deposce filium;
Per quam susceperat,
Ut sua nobis præbeat.
Sit tibi laus Altissime
Qui natus es de Virgine,
Sit honor ineffabili
Patri, Sanctoque Flamini. Amen.

Versic., Antiph. ad Benedictus, et reliqua per horas pag. 302.

IN II. VESPERIS.

Omnia ut in primis, præter Antiph. ad Magnificat. pag. 303.

Digitized by Google

IN FESTO
NATIVITATIS B. MARIÆ V.

AD VESPERAS.

Ant. Nativitas gloriosæ. *cum reliquis de laudibus.*

Psalmi. Dixit Dominus *de Dom.* pag. xxxv vel 68.

CAPITULUM. *Eccl. 24.*

Ab initio, et ante sæcula creata sum, et usque ad futurum sæculum non desinam, et in habitatione sancta coram ipso ministravi.

℟. Deo gratias.

HYMNUS

Bedæ Presbyteri.

ADESTO Christe vocibus,
Inesto nostris mentibus,
Tua benignus dextera
Choros canentum protege.

Qui natus es de Virgine,
Nostræ salutis gratia,
Da pura nobis pectora,
Da membra casti corporis.

Et tu beata præ omnibus,
Virgo Maria, fœminis,
Inclyta Dei Genitrix,
Nostris faveto laudibus.

Pudica cujus viscera,
Sancto dicata Spiritu,
Davidis ortum semine
Regem ferebant sæculi.

Hymnos sacræ quos Virgini,
Matrique castæ dicimus,
Emmanuel tu suscipe
Tuamque plebem libera. Amen.

Versic., Antiph. ad Magnificat, et Oratio pag. 316.

AD MATUTINUM.

Invitat. pag. 317.

Psalm. Venite exultemus. *pag.* xiii. *vel 3.*

HYMNUS.

Bedæ Presb. divisio.

BEATA cujus ubera,
Summo repleta munere,

Digitized by Google

Terris alebant unicam
Terræ polique gloriam.
Festiva legis quæ sacris,
Ad alta templi limina,
Cælestis aulæ principem
Ulnis tulisti dulcibus.
Laudem Deo, quam supplices,
Christo canentes, reddimus,
Christi Genitrix, et tua
Commendet intercessio.
Hymnos sacræ quos Virgini,
Matrique castæ dicimus,
Emmanuel, tu suscipe,
Tuamque plebem libera. Amen.

IN NOCTURNO.

Ant. Nata est hodie Virgo Maria ex progenie David, de qua ortus est Christus Dominus.

Psalm. p. XIV vel 398.

Ant. Magna facta est, et præclara filia Sion in universa terra.

Ant. Eva hodie damnationis pœna absoluta est: est et Adam diris absolutus antiquis.

℣. Specie tua, et pulchritudine tua.

℟. Intende, prospere procede, et regna.

Lectiones, et Responsoria, pag. 317. *Inde* Te Deum laudamus. *p.* XVIII *vel* Te Matrem Dei. *p. 9.*

AD LAUDES.

Ant. Nativitas gloriosæ. *pag. 316.*

Psalm. Dominus regnavit. *p.* XIX. *vel 11.*

Capit. Ab initio. *ut supra.*

HYMNUS.

Bedæ Presb. divisio.

Quæ mœsta, mundi gaudium
Cum Patre Joseph quæritas,
Summique Patris ædibus,
Ovans, sedentem repperis.
Cujus pium pertransiit
Ensis doloris, Spiritum,
Natum tuo de corpore
Deum mori dum cerneres.
Nati Deique jam tui,
Quæ cernis alma lumine,

Digitized by Google

Post dira mortis vincula,
Resuscitati gloriam.
Lucem poli, quæ conspicis,
Adire Patris dexteram,
Quam prima, Patris de sinu
Terras adire videras.
Hymnos sacræ quos Virgini,
Matrique castæ dicimus,
Emmanuel tu suscipe,
Tuamque plebem libera. Amen.

Versic. et Antiphona ad Benedictus pag. 318. *Cantic.* p. XXIV vel 14.

Capit. et Respons. br. ad Horas, ut in die Desponsationis B. M. V. præter Antiph. p. 404.

IN II. VESPERIS.

Omnia ut in primis, præter Antiphonam ad Magnificat pag. 319.

Digitized by Google

IN FESTO
PRÆSENTATIONIS B. MARIÆ V.

AD VESPERAS.

Ant. Dum esset Rex. *cum reliquis de laud.*

Psalmi. Dixit Dominus. *de Dom.* pag. XXXV vel 68.

CAPITULUM. *Eccl. 24.*

Ab initio, et ante sæcula, creata sum, et usque ad futurum sæculum non desinam, et in habitatione sancta coram ipso ministravi.

℟. Deo gratias.

HYMNUS.

O gloriosa Domina,
Prævisa ante tempora,
Totius expers criminis,
Plena divini Numinis.
Tuis sanctis parentibus,
Ex more se parentibus,
Ter quinos gradus hodie
Scandis sine juvamine.
Rem cunctis difficillimam
Inauditam a sæculo
Facis dum castimoniam
Voves Deo Altissimo.
Mancipata Dei servitio,
Dei miro judicio,
Viro justo et simplici
Joseph sponsaris virgini.
Dignitatem angelicam
Excellis, super cælicam
Vitam ducens, et Filium
Paris, qui sanat sæculum. Amen.

℣. Dignare me, laudare te Virgo sacrata.

℟. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

Antiphona ad Magnificat et Oratio p. 332.

AD MATUTINUM.

INVITATORIUM.

Ave Maria gratia plena * Dominus tecum.

Psalm. Venite exultemus. *pag.* XIII *vel 3.*

HYMNUS.

ÆTERNI Patris filiam,
Et Matrem Unigeniti,

Digitized by Google

Sponsam quoque Paracliti
Christi fideles diligant.
Illam quam colunt Angeli,
Et venerantur Seraphim,
Totis medullis cordium
Amemus omni tempore.
Est Genitrix dulcissima,
Tenero amore fertilis,
Suosque infantes protegit,
Eosque in cælo evehit.
Juvenes ergo, et virgines,
Senes cum junioribus
Deiparam diligite,
Illi placere quærite.
Sit Trinitati gloria,
Nam nobis dedit Virginem,
Quæ salvos potest facere
Suos amantes famulos. Amen.

IN NOCTURNO.

Ant. Laudate Dominum omnes gentes, quia Dei mater effecta est Regina cæli.

Psalm. p. XIV vel 398.

Ant. Videte cælestem Virginem, quam laudant astra matutina, cujus pulchritudinem sol et luna mirantur.

Ant. Felix Virgo, quæ in templo Dei reposita illustratur summa sapientia.

℣. Specie tua, et pulchritudine tua.

℟. Intende, prospere procede, et regna.

Sermo Sancti Germani Episc.

De Sermone Præsent. Deiparæ.

Lectio I.

HODIE cælum et terra communem astant solemnitatem, et conjunctim laudant rerum Opificem, qui e stirpe mortalium, puellam, quæ Dei filia est, ad sui habitaculum delegit. Hodie enim trimula legali dedicanda templo ea progreditur, quæ impollutum augustissimumque Pontificis, ac sacerdotum omnium principis Domini templum fuit, quæque fulgore suo splendoreque divinitus micante circumfusam litteræ caliginem disjecit. Hodie redditur sacerdoti infans, quæ solum illum magnum Pontificem Deum, infantem propter nos secundum

Digitized by Google

carnem factum, quadraginta dies natum oblatura est, ulnis suis præter omne hominum cogitatum complectens eum, qui nullibi contineri potest.

℣. Sancta, et immaculata virginitas, quibus te laudibus efferam nescio: * Quia quem cæli capere non poterant, tuo gremio contulisti.

℣. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. Quia.

Lectio II.

Hodie novissimus æque ac purissimus, et nulla sorde inquinatus codex, non hominis manu conscribendus, sed Spiritu inaurandus, benedictionibus secundum legem consecratur, et ceu Dominus in gratiarum actiones offertur. Hodie deterso infœcunditatis opprobrio, Joachim palam per vias prolem suam ostendens maxime gloriabundus prodit, et legalium observationum studiosum denuo se cultorem probat. Hodie Anna diuturnam sterilitatem felici partu compensans, immenso gaudio gestiens, eamque pectori apprimens, quæ cælis latior apparuit, finibus terræ se fructu potitam esse annuntiat. Hodie patefacta divini templi porta, obsignatam illam, et ad orientem versam Emmanuelis portam ingredientem excipit.

℟. Beata es, Virgo Maria, quæ Dominum portasti Creatorem mundi: * Genuisti qui te fecit, et in æternum permanes Virgo.

℣. Ave Maria, gratia plena: Dominus tecum. Genuisti. Gloria Patri. Genuisti.

Lectio III.

Hodie in propitiatorio ea reponitur, quæ sola mortalibus, inundatione peccatorum in transversum actis, novum Deoque simillimum, et emundandi virtute præditum, et haudquaquam manibus hominum constructum, propitiatorium evasit. Hodie puella illa, quæ Sancti Sanctorum domicilium futura est, innocente ac simplici ætate per sanctificationem spiritus præcellentius consecrata,

Digitized by Google

prorsus mirabiliter super gloriam Cherubinorum elevata, in Sanctis Sanctorum sanctissime et gloriose collocatur, et quem locum semel ille quotannis cum metu adibat, in eo puella ista hilari cum securitate die noctuque considebat.

Hymnus. Te Deum, *pag.* XVIII *vel* Te Matrem Dei. *pag.* 9.

AD LAUDES.

Ant. Dum esset Rex. *pag. 332.*

Capit. Ab initio. *ut supra.*

HYMNUS

Sancti Anselmi Ep.

MARIA templum Domini,
Sacrarium Paracliti,
Sacrum decus Virginum,
Mœrentium solatium.
Ad te suspiro, Domina,
Meas accepta lacrymas,
Sinum misericordiæ
Dignare mihi pandere.
Regina cæli inclyta,
Orbis lampas siderea,
Meas absterge lacrymas
Et peccatorum nebulas.
Quod voles Unigenitus
Donabit tibi Filius,
Pro quibus voles veniam
Impetrabis et gloriam.
Sit Trinitati gloria,
Nam nobis dedit Virginem
Quæ salvos potest facere
Suos amantes famulos. Amen.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.

℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

Antiphona ad Benedictus et Oratio p. 334.

Capit. et Respons. br. ad Horas ut in die Desponsationis B. V. p. 404.

IN II. VESPERIS.

Omnia ut in primis, præter Antiphonam ad Magnificat. pag. 334.

DIE XXIV. NOVEMBRIS.

Quarta die infra Octav. Præsent. B. M. V.

Sermo Sancti Germani Episc.

De præsent. Deiparæ.

Lectio I.

QUÆ alia Virgo enixa est, aut innixa integram servavit virgini-

Digitized by Google

tatem, nisi tu sola, quæ prorsus integra Deum incarnatum nobis genuisti, puella beatissima? Ave igitur quæ, dum glorioso et non manufacto indumento ornata, hodie in Sancta Sanctorum ingrediens, nos qui ob mortiferum animisque exitialem cibum denudati fueramus, purpurea veste: videlicet circumjecto divinitus remissionis pallio, superinduisti, remissionis, in quam, peccatorum, quæ nobis in cœno jacentibus, a Deo donata est, o Dei sponsa. Ave, quæ in ipso exordio splendidissimæ, et summæ venerandæ Præsentationis tuæ universum ad te congregas prophetarum cœtum, qui propterea musicis quodammodo organis et cymbalis bene sonantibus, hymnum propheticum concinunt, et alacriter exultantes choreas ducunt.

℟. Quæ est ista, quæ processit sicut sol, et formosa tamquam Jerusalem? * Viderunt eam filiæ Sion, et beatam dixerunt, et reginæ laudaverunt eam.

℣. Et sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum, et lilia convallium. Viderunt.

Lectio II.

Ave, quæ gressuum tuorum concinnitate serpentem truculentum mihi ad transgressionem ducem, vaferrimum et scelestissimum diabolum conculcasti: corruptam vero naturam, quæ ad labendum prona cernebatur, tecum per viam velut manu prehendens, ad cæleste et sanctum non senescens tabernaculum rursus adduxisti. Ave, quæ fulgentibus Præsentationis tuæ facibus splendorem late diffundens, diem lætitiæ et exultationis iis attulisti, qui in umbra mortis, et extremo languore detinebantur, pollicita insuper, caliginem penitus disjiciendam fore, Deo per te efficiente, a quolibet miraculo, major Maria. Ave, lucida nubes, quæ spiritualem divinum rorem nobis superinstillas, quæque per hodiernum tuum in Sancta Sanctorum ingressum, sedentibus in umbra mortis splendidis-

Digitized by Google

simum solem oriri fecisti.

℟. Ornatam monilibus filiam Jerusalem Dominus concupivit: * Et videntes eam filiæ Sion beatissimam prædicaverunt, dicentes: * Unguentum effusum nomen tuum.

℣. Astitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate. Et videntes. Gloria Patri. Et videntes.

Lectio III.

Ave, nova Sion et divina Jerusalem, magni Regis Dei civitas, in cujus domibus Deus ipse cognoscitur, et per quam medius pertransit, intactam te servans, commovens gentes, et inclinans reges ad adorandam gloriam tuam, et universum mundum compellans ad celebrandam cum exultatione Præsentationis tuæ festivitatem. Ave, quæ nativitate tua solvisti sterilitatis vincula, et infœcunditatis opprobrium depulisti, maledictionem legalem demersisti in profundum, et gratiæ benedictionem progerminasti, tuoque in Sancta Sanctorum ingressu cum parentum votum implevisti, tum remissionis a nobis obtinendæ jecisti fundamenta, et lætitiæ cumulum addidisti. Nunc autem propterea tibi cum David acclamo: Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum, et domum patris tui, et concupiscet Rex pulchritudinem tuam.

Hymnus. Te Deum, *pag.* XVIII *vel* Te Matrem Dei. *pag. 9.*

DIE XXV. NOVEMBRIS.

Quinta die infra Oct. Præsent.

Sermo Sancti Joannis Damasceni. *pag. 332.*

DIE XXVI. NOVEMBRIS.

Sexta die infra Oct. Præsent.

Sermo Sancti Tharasii Episc.

De præsent. Deiparæ.

Lectio I.

Cum Anna gratia nominis dixisset, pretiosum illum Trinitatis thesaurum, tres annos natam Virginem, Deique matrem in templum Do-

Digitized by Google

mini lætabunda deduxit, et cum Joachim hymnos in gratiarum actionem effundens, convocatoque virginum cœtu gestantium faces, aditum, qui ducit ad Sancta Sanctorum occupavit. Atque ibi Zachariam, quippe qui et propheta erat et sacerdos et consanguineus et administer legitimi testamenti, venerandum illud conjugum par lætantibus labiis, atque oris exultatione appellabat, clamans: Accipe, o Zacharia, sanctam, immaculatam: accipe, o sacerdos, intemeratum Verbi thalamum: accipe, o propheta, et intromitte illam in intimos recessus templi Domini.

℟. Felix namque es, sacra Virgo Maria, et omni laude dignissima: * Quia ex te ortus est Sol justitiæ, Christus Deus noster.

℣. Ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto fœmineo sexu: sentiant omnes tuum juvamen quicumque celebrant tuam sanctam Præsentationem. Quia.

Lectio II.

IPSA est enim mensa divini panis, vinum exhilarans, cibus gratuitus, columba illibata, cælum animatum, lampas valde rutila, sponsa multis hymnis celebrata, mater multis laudibus ornata, oliva divinitus irrigata. Ipsa est tabernaculum sanctum, candelabrum a Deo fabrefactum, propitiatorium Dei, thesaurus honorificus, tuba suaviter sonans, mons pinguis et coagulatus, divinum vellus, nubes Deo referta. Ipsa est scala per quam descendens Creator inter homines videbitur, miraculorum abyssus, fons bonorum, divitiarum copia inviolabilis, multis nominibus atque dotibus insignita, et semper Virgo Dei Mater. Hanc introducito in Sancta Sanctorum: hanc Regi afferto tamquam pretiosissimum donum.

℟. Beatam me dicent omnes generationes; * Quia fecit mihi magna, qui potens est, et sanctum nomen ejus.

℣. Et misericordia ejus a progenie in pro-

Digitized by Google

genies timentibus eum. Quia. Gloria Patri. Quia.

Lectio III.

Hæ fuerunt a Joachim et Anna editæ late prædicationes, hæ Deo redditæ cum gratiarum actione laudationes, hæ apud prophetam Zachariam datæ summâ cum fiducia testificationes. Quare Sacerdos, ut Dei propheta, quippe tenens Sancta Sanctorum particeps Dei erat, intuens in Virgine aspectus pulchritudinem, vultus decorem, linguæ modestiam, animi nobilitatem, vitæ inculpatum decus, afflatu Sancti Spiritus concepto, exclamavit: O Virgo impolluta, o puella immaculata, o mulierum ornamentum, te honoro, te prædico gratia plenam, te offero a cunctis generationibus designatam Dei sponsam, te cano Dei habitationem puram et immaculatam, te adduco tamquam thesaurum pretiosissimum in templum Domini.

Hymnus. Te Deum, *pag.* XVIII *vel* Te Matrem Dei. *pag.* 9.

DIE XXVII. NOVEMBRIS.

Septima die infra Oct. Præsentat.

Ex libro Sancti Ildefonsi Archiep. Toletani.

De Corona B. M. V. cap. 22.

Lectio I.

Beatissima Virgo est illa mulier Hebræa virtutum monilibus adornata, ab Abraham patriarcha Hebræa nuncupata: quod de radice Jesse, velut virga vernula propagata, florem protulit pulcherrimum Dominum nostrum Jesum Christum, cujus odore resurgunt mortui, cujus fragrantia resperguntur cæli et inferi, cujus redolentia recreantur homines universi. Tu vere fuisti virga dominationis et virtutis, confusionem in domo Nabuchodonosor, idest diaboli fecisti, cum virgam tyrannicam ejus confregisti, extinguens Holofernem ipsius principem, principatum, et dominationem ejus a nobis evacuando, crudele jugum ejus a facie olei fecisti computrescere, et ab oppressione nostra sceptrum durissimum deperire.

Digitized by Google

℟. Congratulamini mihi omnes, qui diligitis Dominum, quia cum essem parvula placui Altissimo; * Et de meis visceribus genui Deum et hominem.

℣. Beatam me dicent omnes generationes, quia ancillam humilem respexit Deus. Et de meis visceribus.

Lectio II.

Propter quod cum sis talis ac tanta, omniumque bonorum post Deum nobis causa extiteris, extollo te laude quintuplici, ut gratia tua dignus merear inveniri. Ave, Regina misericordiæ, sponsa Christi, mater Dei, filia summi Patris, amica Spiritus Sancti, salus mundi, lumen Ecclesiæ, dulcedo pietatis. Ave, Regina Virginum, imperatrix Angelorum, exultatio bonorum, amica pacis, lucerna justitiæ, doctrina sanctitatis. Ave, Rosa placentior, lignum vitæ, lilium paradisi, Trinitatis triclinium, æterni Verbi palatium, felix cæli porta. Ave, plena gratia, mater pauperum, advocata peccatorum, sceptrum æquitatis, gaudium animæ, pax peccatoris, tripudium et lætitia cordis.

℟. Sicut cedrus exaltata sum in Libano, et sicut cypressus in monte Sion: quasi myrrha electa: * Dedi suavitatem odoris.

℣. Et, sicut cinnamomum, et balsamum aromatizans. Dedi. Gloria Patri. Dedi.

Lectio III.

Et quia te virginem in templo Deo dedicasti, primaque illi virginitatem vovisti, scientia, et sapientia copiosissime datæ sunt tibi, ideo et virgo prudens, et fœmina sapiens, construxisti Deo domum tuam. Nam ille, qui in cælis habet habitationem, specie tua, et pulchritudine tua illectus, in tua sancta anima constituit thronum suum, et in tuo alveo virgineo domicilium suum, ubi compegit nostræ substantiæ pallium, quo vicit humani generis hostem, ex quo traxit sanguinem purpureum, delentem nostræ perditionis chi-

Digitized by Google

rographum, et placantem nobis Deum Patrem omnipotentem. Sed quia tantæ majestatis habitationem non ornatam minime decet apparere, ille, qui in te posuit tabernaculum suum, ornavit te septem donis Spiritus Sancti, tamquam septem pretiosorum lapidum nobilissimo ornamento.

Hymnus. Te Deum, *pag.* XVIII *vel* Te Matrem Dei. *pag. 9.*

DIE XXVIII. NOVEMBRIS.

Octava Præsentationis B. M. V.

Sermo Sancti Germani Episc.

De Præsent. Deiparæ.

Lectio I.

MANSIT sacratissima Virgo in Sanctorum penitissimis penetralibus, ambrosiis dapibus ab Angelo nutrita, ac sacro potata nectare, ad alteram usque ætatem: tuncque Dei nutu, ac consilio Sacerdotum datur sors super eam, et Joseph vir justus sorte victor exit, ac sacram hanc Virginem, divina dispositione a Dei templo, ipsiusque sacerdotibus accipit ad serpentem illum malorum auctorem decipiendum: ne tamquam puellam adhuc integram eam adoriretur, sed tamquam desponsatam præteriret. Fuit igitur castissima Virgo in domo Joseph fabri, summo illi universorum fabro ac conditori Deo servata, quousque sacramentum illud divinum, ante sæcula omnia absconditum, in ea perficeretur, atque ex illa Deus mortalibus similis efficeretur.

℟. Sancta, et immaculata virginitas, quibus te laudibus efferam, nescio:* Quia quem cæli capere non poterant, tuo gremio contulisti.

℣. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. Quia.

Lectio II.

ABI igitur, Deipara Domina, abi in tuam hæreditatem: incede in atriis Domini exultans ac gaudens: alta illic et virens, Sancti in te Spiritus quotidie adventum expectans, ac Altissimi obumbrationem, tuique

Digitized by Google

Filii conceptionem, ut tibi Gabriel acclamaturus est: atque iis, qui tuam celebrant Festivitatem, tuum impende auxilium ac protectionem: tuis semper intercessionibus ab omni eos libera necessitate ac periculis: gravibusque morbis, ac omnis generis calamitatibus, futuraque justa Filii tui comminatione. Colloca vero, ut Domini mater, in voluptatis loco, ubi lumen et pax, summaque desiderabilium impertitio. Fiantque muta labia dolosa, quæ loquuntur adversum te justam, iniquitatem in superbia, et contemptu.

℟. Beata es, Virgo Maria, quæ Dominum portasti Creatorem mundi: * Genuisti qui te fecit, et in æternum permanes virgo.

℣. Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum. Genuisti. Gloria Patri. Genuisti.

Lectio III.

Tu enim sola Dei Genitrix, altissima super omnem terram: nos vero te, divina Sponsa, fide benedicimus, desiderioque honoramus, ac timore adoramus, semper te exaltantes, ac veneratione beatam prædicantes. Beatus quippe revera e viris pater tuus, et beata ex mulieribus mater tua: beata domus tua, beati noti tui, beati qui te viderunt, beati qui tua usi sunt consuetudine, beati qui tibi ministrarunt: beata loca quæ tu calcasti, beatum templum in quo oblata fuisti; beatus Zacharias, qui te ulnis excepit, beatus Joseph, qui te sibi despondit. Tu enim summus honor es, summum præmium ac summa celsitudo, o Dei sponsa, quæ altiori supra rationem ratione, universorum expectationem peperisti, Dominum nostrum Jesum Christum verum illum Deum ac Dominum.

Hymnus. Te Deum, *pag.* XVIII *vel* Te Matrem Dei. *pag.* 9.

Digitized by Google

IN FESTO

IMMAC. CONCEPTIONIS B. M. V.

AD VESPERAS.

Ant. Tota pulchra es. *cum reliquis de laudibus.*

Psalmi. Dixit Dominus. *de Dom.* pag. XXXV vel 68.

Capit. Dominus possedit me. *pag.* 343.

HYMNUS

Ave maris stella,
Dei Mater alma,
Atque semper virgo,
Felix cæli porta.
Sumens illud Ave
Gabrielis ore,
Funda nos in pace
Mutans Hevæ nomen.
Solve vincla reis,
Profer lumen cæcis,
Mala nostra pelle,
Bona cuncta posce.
Monstra te esse Matrem,
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus,
Tulit esse tuus.
Virgo singularis,
Inter omnes mitis,
Nos culpis solutos,
Mites fac et castos.
Vitam præsta puram,
Iter para tutum,
Ut videntes Jesum,
Semper collætemur.
Sit laus Deo Patri
Summo Christo decus
Spiritui Sancto,
Tribus honor unus.
Amen.

Versiculus, Antiphona ad Magnificat, et Oratio. pag. 343.

AD MATUTINUM.

Invitatorium p. 344.

Psalm. Venite exultemus. *pag.* XIII *vel 3.*

HYMNUS.

Præclara Custos Virginum,
Intacta Mater Numinis,
Cælestis aulæ janua,
Spes nostra cæli gaudium.
Inter rubeta lilium,
Colomba formosissima,
Virga e radice germinans
Nostro medelam vulneri.
Turris draconi impervia,
Amica Stella naufragis,

Digitized by Google

Tuere nos a fraudibus,
Tuaque luce dirige.
Erroris umbras discute,
Syrtes dolosas amove,
Fluctus tot inter, deviis
Tutam reclude semitam.
Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, et almo Spiritu
In sempiterna sæcula. Amen.

IN NOCTURNO.

Ant. Admirabile est nomen tuum, Domine, in universa terra, quia in Virgine Maria dignum tibi habitaculum præparasti.

Psalmi p. XIV vel 398.

Ant. In Conceptione sua accepit Maria benedictionem a Domino, et misericordiam a Deo salutari suo.

Ant. Diffusa est gratia in Conceptione ejus, et speciosa apparuit inter filias hominum.

℣. Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me.

℟. Nec dilectasti inimicos meos super me.

Lectiones, et Responsoria pag. 344.

AD LAUDES.

Ant. Tota pulchra es. *p.* 343. *Psalm.* XIX vel 11.

Capit. Dominus possedit me. *ut supra.*

HYMNUS.

O gloriosa Virginum,
Sublimis inter sidera,
Qui te creavit, parvulum
Lactente nutris ubere.
Quod Heva tristis abstulit,
Tu reddis almo germine:
Intrent ut astra flebiles,
Cæli recludis cardines.
Tu regis alti janua,
Et aula lucis fulgida,
Vitam datam per Virginem
Gentes redemptæ plaudite
Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, et almo Spiritu
In sempiterna sæcula. Amen.

Versicul., Antiph. ad Benedictus, et reliqua per horas pag. 345.

IN II. VESPERIS.

Omnia ut in primis, præter Antiph. ad Magnificat. pag. 346.

Digitized by Google

IN
NATIVITATE DOMINI

AD VESPERAS.

Antiph. O admirabile commercium. *cum reliquis de laudibus.*

Psalmi. Dixit Dominus. *de Dom.* pag. xxxv vel 68.

CAPIT. *Eccl. 24.*

Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo, et dixit mihi: In Jacob inhabita, et in electis meis mitte radices.

℟. Deo gratias.

HYMNUS

Prudentii Aurelii.

Hic ille natalis dies,
Quo te creator arduus
Spiravit, et limo indidit,
Sermone carnem glutinans.
Sentisne Virgo nobilis,
Matura per fastidia
Pudoris intactum decus
Honore partus crescere?
O quanta rerum gaudia,
Alvus pudica continet!
Ex qua novellum sæculum
Procedit, et lux aurea.
Vagitus ille exordium
Vernantis orbis prodidit:
Nam tunc renatus sordidum
Mundus veternum depulit.
Hunc quem latebræ, et obstetrix,
Et virgo fœta, et cunulæ,
Et imbecilla infantia
Regem dederunt gentibus.
Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine
Cum Patre, et almo Spiritu
In sempiterna sæcula.
Amen.

℣. Post partum, Virgo, inviolata permansisti.

℟. Dei Genitrix intercede pro nobis.

Digitized by Google

Ad Magnificat.

Ant. Genuit puerpera Regem, cui nomen æternum, et gaudia Matris habens cum virginitatis honore; nec primam similem visa est, nec habere sequentem.

Oratio pag. 358.

AD MATUTINUM.

Invitat. pag. 359.

Psalm. Venite *p.* XIII *vel 3.*

HYMNUS.

CASTÆ parentis viscera
Cælestis intrat gratia:
Venter puellæ bajulat
Secreta, quæ non noverat.

Domus pudici pectoris
Templum repente fit Dei:
Intacta nesciens virum,
Concepit alvo filium.

Enititur puerpera,
Quem Gabriel prædixerat,
Quem ventre Matris gestiens,
Baptista clausum senserat.

Fœno jacere pertulit,
Præsepe non abhorruit:
Et lacte modico pastus est,
Per quem nec ales esurit.

Gaudet chorus cælestium,
Et Angeli canunt Deo,
Palamque fit pastoribus
Pastor, Creator omnium.

Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, et almo Spiritu,
In sempiterna sæcula. Amen.

IN NOCTURNO.

Ant. Hodie nobis cælorum Rex de Virgine nasci dignatus est, ut hominem perditum ad cælestia regna revocaret.

Psalm. p. XIV vel 398.

Ant. In sole posuit Dominus tabernaculum suum, et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo.

Ant. Beata Dei Genitrix Maria, cujus viscera intacta permanent.

℣. Tamquam Sponsus.

℟. Dominus procedens de thalamo suo.

Lectiones et Responsoria pag. 359.

AD LAUDES.

Antiph. O admirabile commercium. *pag.* 358.

Psalm. Dominus regnavit. *pag.* XIX *vel 11.*

Digitized by Google

Capit. Qui creavit me. *ut supra.*

HYMNUS
Walfridi Strabi.

GLORIAM nato cecinere Christo
Angeli, famam retulere, clara
Voce pastores nova concrepabant
Gaudia mundo.
Laus in excelsis, pia pax in arvis,
Dicitur magnis celebranda votis
Omnis adventu Domini movetur
Machina rerum.
Virgo conceptu gravidatur almo
Conjugum mutæ sterilesque fibræ
Jam vigent donis uteri, prophetat
Carcere vates.
Editus sacro Patris ore semper
Virginis casta voluit sub alvo
Arcta naturæ tolerare factor
Munia nostræ.
Virgo portantem veneranda portat,
Lactat altorem, vehit et parentem,
Spiritu prægnans operantes in se
Mater opusque.
Præstet hæc nobis Deitas beata
Patris ac Nati, pariterque Sancti
Spiritus summa pietate regnans,
Omne per ævum.
Amen.

Versicul. Antiph. ad Benedictus et Oratio pag. 360. *Cantic.* p. XXIV vel 14.

AD TERTIAM.

Ant. Quando natus es.
Capit. Qui creavit me. *ut supra.*
℟. br. Specie tua.

AD SEXTAM.

Ant. Rubum.

CAPIT. *Lucæ* 2.

Impleti sunt dies Mariæ, ut pareret, et peperit filium suum primogenitum, et pannis eum involvit, et reclinavit eum in præsepio.
℟. Deo gratias.
℟. br. Adjuvabit eam.

AD NONAM.

Antiph. Ecce Maria Virgo.

CAPIT. *Lucæ 2.*

Pastores venerunt festinantes, et invenerunt Mariam et Joseph et in-

Digitized by Google

fantem positum in præsepio.

℟. Deo gratias.

℟. br. Elegit eam Deus.

IN II. VESPERIS.

Omnia ut in primis.

Antiph. Hodie peperit Virgo, qui Deo filios faceret, qui sententiam prævaricationis excluderet, pœnam mortis eriperet, et vitam perpetuam credentibus condonaret. Alleluja.

DIE II. JANUARII.

Nona die post Natalem Domini.

Omnia ut in Festo præter lectiones.

Sermo Sancti Augustini Episcopi.

De Serm. 180. in Natali Domini.

Lectio I.

SANCTIFICAVIT nobis, fratres, istum diem, dies, qui fecit omnem diem. De quo Psalmus canit: Cantate Domino, et benedicite nomini ejus: benedicite de die in diem salutare ejus. Quis est iste dies de die, nisi filius de Patre, lumen de lumine? Sed dies ille hunc genuit diem, qui de Virgine natus est. Dies ergo ille non habet ortum, non habet occasum. Dies ergo ille, Verbum Dei, dies qui lucet Angelis, dies, qui lucet in illa unde peregrinamur a patria, vestivit se carne, natusque est de Maria virgine. Concepit et virgo est: parit et virgo est. Creatus est de ea, quam creavit: attulit ei fœcunditatem, non corrupit ejus integritatem.

℟. Sancta, et immaculata virginitas, quibus te laudibus efferam, nescio: * Quia quem cæli capere non poterant, tuo gremio contulisti.

℣. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. Quia.

Lectio II.

QUID mirabilius Virginis partu? Maria unde? Ex Adam. Adam unde? De terra. Si Maria de Adam, et Adam de terra, ergo et Maria terra. Si autem Maria terra, agnoscamus quod cantamus: Veritas de terra orta est, et justitia de cælo prospexit. Longe enim veritas erat, quæ

Digitized by Google

de terra orta est. Dormiebas, venit ad te: gravi opprimebamus somno, excitavit te: viam tibi fecit per se, ne perderet te. Ergo veritas de terra orta est, qui Christus de Virgine ortus est: justitia de cælo prospexit, ut per justitiam homines resipiscerent, qui per injustitiam desipuerunt. Mortales eramus, peccatis opprimebamus, pœnas nostras portabamus.

℟. Beata viscera Mariæ Virginis, quæ portaverunt æterni Patris Filium: * Et beata ubera, quæ lactaverunt Christum Dominum.

℣. Qui hodie pro salute mundi de Virgine nasci dignatus est. Et. Gloria Patri. Et.

Lectio III.

QUI creavit omnia, creatus est inter omnia. Fecit diem, venit in diem. Dominus Christus in æternum sine initio apud Patrem, habet et natalem. In principio Verbum, qui nisi haberet humanam generationem, nos ad divinam non perveniremus regenerationem. Christus natus est, nemo dubitat renasci. Cui enim necessaria erat regeneratio, nisi cujus damnata est generatio? Fiat utique in cordibus nostris misericordia ejus. Portavit eum Mater in utero, portamus et nos in corde. Gravidata est Virgo incarnatione Christi, gravidentur pectora nostra Fide Christi. Peperit Virgo Salvatorem, pariat anima nostra salutem. Non simus steriles: animæ nostræ Deo sint fœcundæ.

Hymnus. Te Deum, *pag.* XVIII *vel* Te Matrem Dei. *pag.* 9.

DIE III. JANUARII.

Decima die post Natalem Domini.

Omnia ut in Festo præter lectiones.

Sermo Sancti Odilonis Abbatis.

In Nativit. Domini.

Lectio I.

DEUS omnipotens, qui hominem ad imaginem suam condidit, noluit illum in sua deformitate æternaliter perire, misit Filium suum,

Digitized by Google

qui etiam apparuit inter homines speciosus forma præ filiis hominum, ut hominem, quem potestate suæ divinitatis mirabiliter formaverat, humanitatis suæ præsentia misericorditer reformaret, et de informi forma formosam in formam transformaret. Suscepit Dominus formam servi ut reconciliaret nos Deo Patri. In nostra carne visibilis voluit apparere, ut ad amorem invisibilem ipso duce possemus redire. Omnipotens Deus hominem decrevit redimere, et redimendo homini etiam se corporaliter ostendit.

℟. Congratulamini mihi omnes, qui diligitis Dominum; * Quia cum essem parvula placui Altissimo, et de meis visceribus genui Deum et hominem.

℣. Beatam me dicent omnes generationes, quia ancillam humilem respexit Deus. Quia.

Lectio II.

QUIS audivit huic simile? Quis vidit unquam tale? Tanta enim erat in assumpta humanitate humilitas, quanta in divina majestate sublimitas. Quam sublimis in suis, quam humilis in nostris: in præsepe jacebat, in cælo residebat. Jacens in sinu Matris, sedens in dexteram Patris. Cum esset Dei Patris ante tempora Unicus, factus est Virginis in tempore Filius. Non amittens quod erat, factus est quod non erat. Factus est particeps mortalitatis nostræ, ut nos vitæ suæ participes fierent. Hodie impletum est vaticinium illud Isaiæ prophetæ dicentis: Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet: et item ipsum aliud: Ecce Virgo concipiet, et pariet Filium: et apertius: Parvulus natus est nobis, Filius datus est nobis.

℟. Confirmatum est cor Virginis, in quo divina mysteria, Angelo nuntiante, concepit. Tunc speciosum forma præ filiis hominum castis suscepit visceribus: * Et benedicta in æternum, Deum nobis protulit et hominem.

Digitized by Google

℣. Domus pudici pectoris, templum repente fit Dei, intacta nesciens virum, verbo concepit Filium. Et. Gloria Patri. Et.

Lectio III.

NIMIS dulce quod natus est, nimium salubre quod datus est. Cum audis Christum tibi natum, gaude: cum audis etiam tibi datum, multo magis lætare. Sed inter Patrem et natum, et inter datorem et datum, secundum divinam naturam non contingat tibi ullam credere differentiam. Unius enim substantiæ sunt secundum Deitatis essentiam Pater et natus, dator et datus. Tantus est ille qui datus est, quantus est ille a quo datus est. Et qualis est ille qui genitus est, talis est ille a quo genitus est. Non præcessit tempore genitor; non est genitore genitus inferior. Ejusdem naturæ, potentiæ, et majestatis creditur et prædicatur.

Hymnus. Te Deum, *pag.* XVIII *vel* Te Matrem Dei. *pag.* 9.

DIE IV. JANUARII.

Undecima die post Natalem Domini.

Omnia ut in Festo præter lectiones.

Sermo Sancti Maximi Episcopi.

De Homil. 6. post Natal. Domini.

Lectio I.

ADHUC gaudia festivitatis Dominicæ viscera nostra concutiunt, dum pro ipsa lætitia prorumpere hortatur in vocem, ut et nos dicamus quod et Angeli dixerunt pastoribus in nativitate Christi: Annuntio vobis gaudium magnum, quod erit omni populo. Gaudium magnum, et commune, fratres, nuntiat Angelus pastoribus: magnum, quia de salute nostra: commune, quia omni populo credenti erat communicandum. Ideo enim factus est Deus homo, ut homines Deos faceret, et gaudium quod habebat solus, communicaret pluribus. Hoc contra illos, qui soli sibi vivere volunt, et bonum quod habent, cæteris communicare nolunt.

℟. O magnum myste-

Digitized by Google

rium, et admirabile Sacramentum, ut animalia viderent Dominum natum, jacentem in præsepio: * Beata Virgo, cujus viscera meruerunt portare Dominum Christum.

℣. Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum. Beata.

Lectio II.

Et facta est cum Angelo multitudo militiæ cælestis laudantium Deum, et dicentium: Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Angeli, videte, quid dixerint. Non enim dixerunt, pax hominibus, aut quibuscumque hominibus, sed hominibus bonæ voluntatis: ut intelligeremus pacem Christi non hominum esse, sed morum: non enim meretur generatio, sed voluntas: non humana improbitas, sed bonitas christiana. Non enim defertur cunctis sed offertur probatis: non datur divulganda, sed proponitur eligenda. Pax igitur Christi illi est, qui Christum credit pacis auctorem: pax Christi illi est, qui in se pugnam non habet peccatorum: pax Christi in illis est, quorum non polluitur voluntas cruoribus idolorum.

℟. Beata Dei Genitrix Maria, cujus viscera intacta permanent: * Hodie genuit Salvatorem sæculi.

℣. Beata quæ credidit, quoniam perfecta sunt, quæ dicta sunt ei a Domino. Hodie. Gloria Patri. Hodie.

Lectio III.

Dignum enim est, ut Salvatorem, quem virginitas immaculata genuit, voluntas incorrupta possideat; et sicut Maria eum illibata gestavit, et ita et anima nostra illum impolluta custodiat. Maria enim typum quemdam animarum nostrarum gessit: nam Christus sicut virginitatem in matre quæsivit, ita et integritatem in nostro requirit affectu. Virgo enim a peccatis anima Salvatorem et concepit et parturit, dum prædicat: custodit dum mandata prosequitur. Conceptum enim fides retinet, partum con-

Digitized by Google

fessio emittit, ortum sollicitudo custodit.

Hymnus. Te Deum, *pag.* XVIII *vel* Te Matrem Dei. *pag. 9.*

DIE V. JANUARII.

Duodecima die post Natalem Domini.

Omnia ut in Festo præter lectiones.

Sermo Sancti Augustini Episc.

De Serm. 4. in Nat. Domini.

Lectio I.

DOMINUS noster Jesus Christus natus est de Patre semper, de matre semel. De Patre sine sexu, de matre sine usu. Apud Patrem quippe defuit concipientis uterus, apud matrem seminantis amplexus. Prima nativitas ex Patre naturam servavit, secunda nativitas ex matre gratiam seminavit. Illa tenuit majestatem divinæ substantiæ, ista suscepit societatem mortalitatis humanæ. Illum sine initio, sine fine generantem, istam sine libidine concipientem, sine corruptione parientem. Processit enim de sacro thalamo, hoc est beatorum virgineorum viscerum abdito incorruptoque secreto. Processit inde virginis filius, virginis sponsus, filius videlicet Mariæ. Utraque nativitas mira est, quia divina est.

℟. Sancta, et immaculata virginitas, quibus te laudibus efferam, nescio: * Quia quem cæli capere non poterant, tuo gremio contulisti.

℣. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. Quia.

Lectio II.

PROCESSIT ergo tamquam sponsus de sacro thalamo suo, et exultavit ut gigas. Pulcher, et fortis. Pulcher ut sponsus, fortis ut gigas: pulcher ut ametur, fortis ut timeatur· pulcher ut placeret, fortis ut vinceret. Exultate ergo, virgines Christi, consors vestra est mater Christi. Christum parere non potuistis, sed propter Christum parere noluistis. Exultate, viduæ Christi, qui fœcundam fecit virginitatem, illi vovistis continentiæ sanctitatem. Exulta etiam castitas nu-

Digitized by Google

ptialis, omnes fideliter viventes cum conjugibus vestris: quod amisistis in corpore, in corde servate. In Maria Christum pia virginitas peperit: in Anna Christum viduitas parvum grandæva cognoscit: in Elisabeth Christo conjugalis castitas, et anilis fœcunditas militavit.

℟. Nesciens Mater virgo virum peperit sine dolore * Salvatorem sæculorum, ipsum Regem Angelorum, sola virgo lactabat ubere de cælo pleno.

℣. Domus pudici pectoris templum repente fit Dei: intacta nesciens virum, verbo concepit Filium. Salvatorem. Gloria Patri. Salvatorem.

Lectio III.

PROINDE quia veritas, pax, et justitia Christus est, hunc fide concipite, operibus edite, ut quod egit uterus Mariæ in carne Christi, agat cor vestrum in lege Christi. Quomodo autem non ad partum Virginis pertinetis, quando membra Christi estis? Caput vestrum peperit Maria, vos Ecclesia; nam ipsa quoque et Mater et Virgo est; mater visceribus charitatis, virgo integritate fidei et pietatis. Quod miramini in carne Mariæ, agite in penetralibus animæ. Qui corde credit ad justitiam, concipit Christum: qui ore confitetur ad salutem, parit Christum. Sic in mentibus vestris et fœcunditas exuberet, et virginitas perseveret. Etiam in hoc similitudinem gerens illius Virginis, quia ut in multis mater est unitatis.

Hymnus. Te Deum, *pag.* XVIII *vel* Te Matrem Dei. *pag.* 9.

Digitized by Google

IN
EPIPHANIA DOMINI.

AD VESPERAS.

Antiph. O admirabile commercium. *cum reliquis de laudibus.*

Psalmi. Dixit Dominus. *de Dom.* pag. xxxv vel 68.

CAPIT. *Isaiæ* 61.

Gaudens gaudebo in Domino, et exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me vestimentis salutis, et quasi sponsam ornatam monilibus suis.

℟. Deo gratias.

HYMNUS.

CREATOR cuncti generis,
Quem totus non capit orbis,
De claustris virginalibus
Virginis, homo natus est.
Cujus sinu, jam parvulum
Magi videntes conditum
Regem Deumque maximum,
Votis precantur redditis.
Cujus rogatu, mysticas
Christus sedens ad nuptias,
Aquas in alma transtulit
Vini rubentis pocula.
Et baptizato protinus
Aperta fuit æthera,
Nobis suo baptismate
Pandit polique regiam.
Jesu, tibi sit gloria,
Qui apparuisti gentibus,
Cum Patre, et almo Spiritu
In sempiterna sæcula. Amen.

Versic., Antiph. ad Magnificat, et Oratio pag. 373.

AD MATUTINUM.

Invitat. pag. 374.

Psalm. Venite. *p.* xiii *vel 3.*

Hymnus. Creator cuncti generis. *ut supra.*

Digitized by Google

IN NOCTURNO.

Ant. Afferte Dominæ nostræ, filii Dei, afferte Dominæ nostræ laudem, et reverentiam.

Psalmi. p. XIV vel 398.

Ant. Beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna, qui potens est.

Ant. Magi intrantes domum invenerunt puerum cum Maria matre ejus, et procidentes adoraverunt eum.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.

℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

Sermo Sancti Odilonis Abbatis.

In Epiph. Domini.

Lectio I.

HODIE, fratres dilectissimi, ministerium Virginis partus, et gaudium Dominici natalis aperte declaratur. Claritas enim Dei, quæ nato Christo pastores circumfulsit, de remotis terræ partibus ad præsepium illud hodie Magos adduxit, in quo Virgo puerpera Deum infantem posuit. Deus est qui tunc in homine nascebatur, homo est qui a Deo assumptus, hodie a Magis adoratur. Quem cognoverunt pastores, Angelo docente, adoraverunt Magi stella nova ducente. In illo die cantibus Angelorum est acclamatus, in isto die Magorum muneribus est honoratus. Sicut in illo die ab angelis hominibus bonæ voluntatis est pax annuntiata, ita hodie lux orta est justis, et rectis corde lætitia.

℟. Confirmatum est cor Virginis, in quo divina mysteria, angelo nuntiante, concepit: tunc speciosum forma præ filiis hominum castis suscepit visceribus: * Et benedicta in æternum, Deum nobis protulit et hominem.

℣. Domus pudici pectoris, templum repente fit Dei, intacta nesciens virum, verbo concepit filium. Et benedicta.

Lectio II.

HODIE Christus mundo manifeste apparuit; hodie baptismatis sacramentum suscepit, et suscipiendo sua praesentia consecravit. Hodie aquas

Digitized by Google

ad nuptias in vinum convertit. Fit spiritualiter vinum ex aqua, quoniam cessante legis littera, fulget per Christum Evangelii gratia. Baptizatur Christus, renovatur mundus. Christus baptizatur, vetus homo exuitur, novus induitur. Expellitur ille primus homo de terra terrenus, secundus induitur de cælo cælestis. Quando Christus baptizatus est, mysterium sacri baptismatis consecratum est præsentia totius Trinitatis: et licet tota Trinitas incarnationem Verbi, et mysterium baptismi operata sit; tamen solus Filius baptizatus est a Joanne, sicut solus natus est de Virgine.

℟. Benedicta, et venerabilis es, Virgo Maria, quæ sine tactu pudoris, inventa es mater Salvatoris. * Jacebat in præsepio, et fulgebat in cælo.

℣. Domine, audivi auditum tuum, et timui: consideravi opera tua, et expavi: in medio duorum animalium. Jacebat. Gloria Patri. Jacebat.

Lectio III.

Cum Deus in puero adoratur, virginei partus honor excolitur. Cum homini Deo munera deferuntur, divini puerperii dignitas adoratur. Dum Maria cum puero invenitur, vera Christi humanitas, et Dei Genitricis prædicatur integritas. Sic enim dicit Evangelista: Et intrantes domum invenerunt puerum cum Maria Matre ejus, et procidentes adoraverunt eum, et apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus, et myrrham. Ea quæ offerunt Magi munera, secreta de Christo produnt sacramenta. Dantes aurum, regem prædicant. Thus offerentes, Deum adorant. Myrrham ostendentes, mortalem agnoscunt. Nos ergo ita credamus Christum assumpsisse mortalitatem nostram, ut per ejus simplam mortem, duplam nostram cognoscamus abolitam.

Hymnus. Te Deum, *pag.* XVIII *vel* Te Matrem Dei. *pag. 9.*

Digitized by Google

AD LAUDES.

Antiph. O admirabile commercium. *pag.* 373.

Psalm. Dominus regnavit. *pag.* XIX *vel 11.*

Capit. Gaudens gaudebo. *ut supra.*

HYMNUS

Fortunati Ep. Pictav.

AGNOSCAT omne sæculum,
Venisse vitæ præmium,
Post hostis asperi jugum,
Apparuit redemptio.
Radix Jesse jam floruit,
Et Virgo fructum edidit,
Fœcunda partum protulit,
Et Virgo, mater permanet.
Præsepe poni pertulit,
Qui lucis auctor extitit,
Cum Patre cælos condidit,
Sub Matre pannos induit.
Adam vetus, quod polluit,
Adam novus, hoc abluit,
Tumens quod ille dejicit,
Humillimus hic erigit.
Jam lux est nata et salus,
Fugata nox, et victa mors,
Venite, Gentes, credite:
Deum Maria protulit.
Jesu, tibi sit gloria,
Qui apparuisti Gentibus,
Cum Patre, et almo Spiritu
In sempiterna sæcula.
Amen.

Versic. et Antiph. ad Benedictus. pag. 370.

Cantic. p. XXIV vel 14.

AD TERTIAM.

Ant. Quando natus es.

Capit. Gaudens gaudebo. *ut supra.*

℟. br. Specie tua.

AD SEXTAM.

Ant. Rubum.

CAPIT. *Sap. 25.*

O quam pulchra est casta generatio cum claritate: immortalis est enim memoria illius, quoniam apud Deum nota est, et apud hominem.

℟. Deo gratias.

℟. br. Adjuvabit eam.

AD NONAM.

CAPIT. *Eccl. 24.*

Qui creavit me, requievit in tabernaculo

Digitized by Google

meo, et dixit mihi: In Jacob inhabita, et in electis meis mitte radices.

℟. Deo gratias.

℟.br. Elegit eam Deus.

IN II. VESPERIS.

Omnia ut in primis præter Antiph. ad Magnificat. pag. 375.

DIE XI. JANUARII.

Sexta die infra Octav. Epiph.

Omnia ut in Festo præter Lectiones.

Sermo S. Petri Damiani. *pag. 374.*

DIE XII. JANUARII.

Septima die infra Oct. Epiph.

Omnia ut in Festo præter lectiones.

Sermo Sancti Augustini Episc.

In Evang. Ioann. Tract. 9. cap. 2.

Lectio I.

DOMINUS noster Jesus Christus et Deus erat et homo: secundum quod Deus erat, matrem non habebat: secundum quod homo erat, matrem habebat. Maria ergo mater erat carnis, mater humanitatis, mater infirmitatis, quam suscepit propter nos. Miraculum autem quod facturus erat in Cana Galilææ, secundum divinitatem facturus erat, non secundum infirmitatem: secundum quod Deus erat, non secundum quod infirmus natus erat. Miraculum ergo exigebat mater: at ille tamquam non agnoscit viscera humana, operaturus facta divina, tamquam dicens: Quod de me facit miraculum, non tu genuisti, Divinitatem meam non tu genuisti: sed quia genuisti infirmitatem meam, tunc te cognoscam cum ipsa infirmitas pendebit in cruce: hoc est enim: Nondum venit hora mea.

℟. Speciosus forma præ filiis hominum: diffusa est gratia in labiis tuis: * Propterea benedixit te Deus in æternum.

℣. Specie tua, et pulchritudine tua, intende, prospere procede, et regna. Propterea.

Lectio II.

TUNC enim cognovit, qui utique semper nove-

Digitized by Google

rat, quando illud quod peperit, moriebatur. Non enim moriebatur per quod facta erat Maria, sed moriebatur quod factum erat ex Maria: non moriebatur æternitas divinitatis, sed moriebatur infirmitas carnis. Secundum quod Dominus mundi, Dominus utique et Mariæ: secundum quod creator cæli et terræ, creator et Mariæ: secundum autem quod dictum est: Factum ex muliere, factum sub lege, filius Mariæ. Ipse Dominus Mariæ, ipse filius Mariæ, ipse creator Mariæ, ipse creatus ex Maria. Noli mirari, quia et filius et Dominus: sicut enim Mariæ, ita et David dictus est filius: et ideo David filius, quia Mariæ filius.

℟. Sancta, et immaculata virginitas, quibus te laudibus efferam, nescio: * Quia quem cæli capere non poterant, tuo gremio contulisti.

℣. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. Quia. Gloria Patri. Quia.

Lectio III.

Quia ergo non erat illa mater divinitatis, et per divinitatem facturum erat miraculum, quod petebat, respondit ei: Quid mihi et tibi est mulier? Sed ne putes quod te negem matrem: Nondum venit hora mea. Ibi enim te agnoscam, cum pendere in cruce cœperit infirmitas cujus mater es. Nam quando passus est Dominus, sicut idem Evangelista dicit, qui noverat matrem Domini, et qui nobis insinuavit etiam in his nuptiis matrem Domini, ipse narrat: Erat, inquit, illic circa crucem mater Jesu, et ait Jesus matri suæ: Mulier, ecce filius tuus: et ad Discipulum: Ecce mater tua. Commendat matrem Discipulo: commendat matrem prior matre moriturus, et ante matris mortem resurrecturus: commendat homo homini hominem. Hoc pepererat Maria.

Hymnus. Te Deum, *pag.* XVIII *vel* Te Matrem Dei. *pag.* 9.

Digitized by Google

DIE XIII. JANUARII.

Octava Epiphaniæ.

Omnia ut in Festo prœter lectiones.

Sermo Sancti Maximi Episc.

De homil. 4. in Epiph.

Lectio I.

CHRISTUS Jesus a Patre veniens, Deus et homo natus a fœmina sub specie adorantium Chaldæorum fidem Gentium dedicavit. Qui quamvis divinitatem suam nostri corporis adumbratione velaret, Deum tamen esse illum, cælum prodidit, et terra cognovit. Humilis quidem, sed mirabilis venit, ut pariter in eo et assumptæ carnis veritas, et ineffabilis deitatis natura fulgeret. Et quamquam nascentem illum cunabula terrena susceperint, non tamen esse terrenum cæleste signaculum testabatur. In cunis namque jacebat, sed radiabat in cælo. Vagiebat apud Judæos, et apud Gentiles regnabat. Apud Judæos sordebat in pannis, apud Gentiles fulgebat in cælo. In Bethelem lactabatur a matre, et in Chaldæa adorabatur a Magis.

℟. Beata viscera Mariæ Virginis, quæ portaverunt æterni Patris Filium: et beata ubera, quæ lactaverunt Christum Dominum: * Qui pro salute mundi de Virgine nasci dignatus est.

℣. Dies sanctificatus illuxit nobis: venite Gentes, et adorate Dominum. Qui.

Lectio II.

ECCE Magi ab Oriente advenerunt, dicentes: Ubi est qui natus est Rex Judæorum? Quam bene ab Oriente properare dicuntur, qui adoraturi sempiternum Regem veniunt Orientem, de quo dictum est: Et visitavit nos oriens ex alto: illuminare his, qui in tenebris sedent. Vidimus stellam ejus in Oriente. Bene ejus, quia quamvis omnes ab eodem creatæ stellæ ipsius sunt, hæc tamen proprie Christi erat, quæ specialiter ejus nuntiabat adventum. Et venimus adorare eum. Ecce Christum, qui non habent, habere volunt, et invenire contendunt.

Digitized by Google

Judæus Deum suum refugit, Paganus inquirit. Quod proximus non agnoscit, alienus intelligit. Gentilis stellam Christi videt, et venit; Judæus Christum videt, et invidet.

℟. Benedicta, et venerabilis es, Virgo Maria, quæ sine tactu pudoris inventa es mater Salvatoris: * Jacebat in præsepio, et fulgebat in cælo.

℣. Domine, audivi auditum tuum, et timui: consideravi opera tua, et expavi: in medio duorum animalium. Jacebat. Gloria Patri. Jacebat.

Lectio III.

IGITUR inquirentibus Magis, et dicentibus: Ubi est qui natus est Rex Judæorum? turbatus est rex Judæorum Herodes, et omnis Jerosolyma cum illo. Turbatur rex, regno metuens suo, nesciens quia Christus non veniebat regnum ejus invadere, sed salvare: et quod nulli inferret mortem, qui est vita cunctorum. Hinc est quod elusus, et contemptus a Magis, iratus est valde, et misit, et occidit omnes pueros, qui erant in Bethleem a bimatu et infra. Chaldæis irascitur, innocentes interficit, et dum in mortem immaculati infertur infantis, lactentium perimit turbas, quatenus iniquissimum regem, qui indebitum quærebat sanguinem, prostratæ multitudinis multiplex reatus involveret.

Hymnus. Te Deum *pag.* XVIII *vel* Te Matrem Dei. *pag.* 9.

Digitized by Google

IN FESTO
SEPTEM DOLORUM B. MARIÆ V.

AD VESPERAS
et
AD LAUDES.

Ant. Quo abiit. *cum reliquis* pag. 383.

Psalmi ad Vesperas et ad laudes de Dominica in utroque Offic.

IN NOCTURNO.

Ant. Stabat sancta Mater, Regina cæli, Domina mundi juxta crucem Domini.

Psalmi p. XIV vel 398.

Ant. Plorans ploravit in nocte, et lacrymæ ejus in maxillis ejus: non est qui consoletur eam ex omnibus charis ejus.

Ant. Considerate, et videte si est dolor similis sicut dolor meus.

℣. Maria virgo per virtutem tot dolorum.

℟. Fac nos gaudere in regno cælorum.

Lectiones, Responsoria cum reliquis aliis pag. 384.

Quinta die infra Octav. Septem Dolorum B. Mariæ V.

Omnia ut in Festo præter lectiones.

Sermo Sancti Amedæi Lausanensis Episc.

Homil. 5. de Martyrio B. V.

Lectio I.

CERNEBAT verum Salomonem Maria Mater Jesu in diademate, quo coronaverat eum noverca Synagoga, et ipsa coronata corona tribulationis post eum incedebat. Stabat autem juxta crucem, ut illud dulcissimum caput Nati, unctum oleo justitiæ pro participibus suis, arundine percussum, et spinis coronatum tristi spectaculo videret. Aspiciebat speciosum forma præ filiis hominum non esse speciem, neque decorem, excelsum super omnes gentes, despectum, et

Digitized by Google

novissimum reputatum. Sanctum sanctorum cum sceleratis, et iniquis affixum, oculos sublimis hominis humiliatos, et cervicem sustinentis omnia, humeris inclinatam pendere: serenissimam faciem Dei emarcuisse, et decorem vultus ejus absconditum. Quare absconditum? Quia non erat ei species, neque decor, et cornua in manibus ejus.

℟. Passio Domini, * Ipsam ejus matrem carnali orbitate graviter percussam, vehementissime contristavit.

℣. Ferrum lanceæ militaris, latus quidem Salvatoris, animam vero transivit Virginis Matris. Ipsam.

Lectio II.

IGITUR tam pro Nati morte, quam pro Judæorum perditione, ineffabili dolore gloriosæ Virginis pectus urebatur, et altissimo pietatis jaculo confossum extremas spirabat inter angustias, hausit poculum amarius ipsa morte, et quod hominum genus ferre non posset, adjuta divino munere fœmina valuit sustinere. Vicit sexum, vicit hominem, et passa est ultra humanitatem. Torquebatur namque magis quam si torqueretur ex se, quoniam supra se incomparabiliter diligebat id unde dolebat. Quis enim explicet quo dolore arcebatur beata Virgo, quibusve premebatur angustiis, cum propheticis oculis cerneret stirpis suæ magna quadam ex parte condemnationem, gentis attritionem, casum populi, ruinam patriæ, et ipsius olim civitatis sanctæ Jerusalem eversionem?

℟. Eja mater fons amoris, fac nos sentire vim doloris, ut tecum lugeamus: * Et Dominicæ passionis fructum sentiamus.

℣. Et sicut Filius tuus Jesus pro nobis mortuus est, et resurrexit; ita et nos commortui cum eodem resurgamus. Et. Gloria Patri. Et.

Lectio III.

CÆTERUM, fratres, quicumque diligitis ma-

Digitized by Google

trem Domini, advertite, et totis affectuum visceribus considerate, quantum et inimicos Unigeniti plangeret morientis. Effugit omnem sensum, humanos intellectus exuperat, concepta de passione Nati tristitia. Quæ enim Mater dilexit Filium suum ut ista? Non enim fortuito concepit ut cæteræ mulieres, sed Unicus Patris pia electione, et gratuita bonitate matris visceribus influxit, hoc est unde magis diligebat. Neque vero ut cæteri, offensam in vita sua matri retulit, sed gratiæ gratuitatem infudit, dicente de eo Scriptura: Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. Hoc est unde magis diligebat. Eumdem quoque habuit Deum, quem et filium, quia homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus. Et hoc est unde magis incomparabiliter diligebat.

Hymnus. Te Deum, *pag.* XVIII *vel* Te Matrem Dei. *pag.* 9.

Sexta die infra Octavam Septem Dolorum B. V.

Omnia ut in Festo præter lectiones.

Sermo Sancti Paulini Nolani Episcopi.

Epistola 5o.

Lectio I.

Cum Simeon ad videndum ex oraculo Dei Christum, agente Spiritu, venisset in templum, et acceptum sinu benedixisset infantem Dominum, ait ad Mariam: Et tuam ipsius animam pertransibit gladius. Numquid de passione Mariæ, quæ nusquam scripta est, hoc prophetasse credendus est? An vero de materno ejus affectu, quo postea in tempore passionis assistens cruci, qua hoc erat fixum, quod ipsa pepererat, maternorum viscerum dolore confixa est, et animam illius, illa quæ ejus secundum carnem filium, ipsa spectante, confoderat, cruci romphea penetrabat? Video enim et in psalmis de Joseph ita dictum esse: Humiliaverunt in compedibus pedes ejus, ferrum pertran-

Digitized by Google

siit animam ejus, sicut in Evangelio dixit Simeon: Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.

℟. Simeon vir justus, et timoratus dixit ad Mariam: * Tuam ipsius animam pertransibit gladius.

℣. Ne vocetis me pulchram, sed amaram, quia amaritudine valde replevit me Omnipotens. Tuam.

Lectio II.

Non ait Simeon pertransibit carnem, sed animam, in qua pietatis affectio continetur, et doloris aculeus quasi gladius operatur: cum aut aliqua carnis suæ injuria afficitur ut Joseph, qui non mortis, sed injuriarum pertulit passiones in servum venditus, et in reum vinculatus, et carceri datus: aut cum affectionis internæ tristitia vel dolore cruciatur, ut in Maria, quam utique ad crucem Domini, in quo tunc sui tantum corporis filium cogitabat, materna mens duxerat, ut cum eum vidisset mortuum, humana infirmitate lugeret, sepeliendumque colligeret, nihil ibi de ipsius resurrectione præsumens quia subsecuturæ admirationis fidem in oculis posita passionis pœna cæcabat.

℟. Surge, et accipe puerum, et matrem ejus, et fuge in Ægyptum, * Et esto ibi usque dum dicam tibi.

℣. Vocavi filium meum ex Ægypto, ut veniat salus ex Israel. Et esto. Gloria Patri. Et esto.

Lectio III.

Quamvis eamdem adstantem cruci suæ Dominus non morientis infirmitate trepidans consolatus sit, sed ipsam qua obibat volens, in potestate habens mortem, plena virtute viventis, et constantia resurrecturi de cruce admonet, dicens de beato Apostolo Joanne: Mulier, ecce filius tuus: itemque illi ibidem consistenti: Ecce Mater tua. Jam scilicet ab humana fragilitate, qua erat natus ex fœmina, per crucis mortem demigrans in æternitatem Dei, ut esset in glo-

Digitized by Google

ria Dei Patris, delegat homini jura pietatis humanæ: et ex discipulis suis adolescentiorem eligit, ut convenienter assignet virgini apostolo Virginem Matrem. Duo pariter in eadem sententia docens, formam pietatis, relinquens nobis, cum de matre sollicitus, ut quam relinquebat corpore, non relinqueret cura: sed nec corpore relicturus, quia quem videbat morientem, mox erat visura redivivum.

Hymnus. Te Deum, *pag.* XVIII *vel* Te Matrem Dei. *pag. 9.*

Septima die infra Octav. Septem Dolorum B. V.

Omnia ut in Festo præter lectiones.

Sermo Sancti Bernardini Senensis.

Sermo 2. de glorioso Nomine Mariæ.

Lectio I.

MARIA interpretatur amarum mare. Profecto fuit in passione Filii sui amarum mare, quia ibi fuit dulcissimi Filii substractio, relictæ partis adustio, omnium amaritudinum admixtio. Vere amarum mare fuit, in quo tot fluctus, et flumina amarissima intraverunt. Singula quidem circumstantia passionis quasi flumen symbolum est doloris, et per consequens amaritudinis. Propterea ad eam merito dici potest: Magna velut mare contritio tua. Et mare per impatientiam non redundabat, sed omnia ista flumina in se per sustinentiam absorbebat, sicut scriptum est: Omnia flumina intrant in mare, idest in Mariam, et mare non redundat, scilicet per impatientiam.

℟. Fili, quid fecisti nobis sic? * Ego et pater tuus dolentes quærebamus te.

℣. Quid est quod me quærebatis? In his quæ Patris mei sunt, oportet me esse. Ego.

Lectio II.

CAUSA amaritudinis et doloris in beata Virgine fuerunt ea, quæ vidit in Filio. Vidit quippe in eo pretium mundi pretio vili distractum: fortitudinem sanctorum in agonia factam: speciosum forma præ filiis

Digitized by Google

hominum sudore sanguineum: Dominum mundi ut latronem comprehensum: virtutem cælorum arctioribus vinculis constrictam: columnas cæli contremiscere: orbis conditorem ictibus lividum: in cujus manu vita et mors flagellis diruptum, et laniatum: judicem sæculi coram impiis ut judicetur adductum: in cælis glorificatum et honoratum, a scelestissimis spretum: cælorum regem, a sceleratis illusum: caput omnium principum et potestatum arundine percussum, spinis coronatum, et tandem injusto judicio morti adjudicatum.

℟. Postquam venerunt in locum qui dicitur Calvariæ, ibi crucifixerunt eum. * Stabat autem juxta crucem Jesu mater ejus.

℣. Tunc beatam illius animam doloris gladius pertransivit. Stabat. Gloria Patri. Stabat.

Lectio III.

VIDIT summam altitudinem abjectam vilitate: summas delicias afflictas pœnalitate: summam lucem obscuratam tenebris: summum honorem confusum opprobriis; summum amabile afflictum improperiis. Vidit insuper quod candet nudatum pectus: rubet cruentatum latus: quod tensa arent viscera: quod decora languent lumina: quod regia pallent ora: quod procera rigent brachia: quod crura pendent marmorea: quod rigat terebratos pedes beati sanguinis unda, ita ut non solum juxta crucem stabat, verum etiam in cruce pendebat. Tota commigraverat in dilectum, et dum ille corpus, ista spiritum immolabat. Vere igitur in amaritudine erat Mariæ anima, spectans hæc et contemplans omnia, ut de ea dicere possit: Replevit me amaritudine, et inebriavit me absinthio.

Hymnus. Te Deum, *pag.* XVIII *vel* Te Matrem Dei. *pag.* 9.

Digitized by Google

Octava Septem Dolorum Beatæ M. V.

Omnia ut in Festo præter lectiones.

Sermo Amedæi Lausan. Episc.

Homilia 5. de Martyrio B. V.

Lectio I.

DEI Genitrix Maria inter hæc consternabatur animo, et dolores ut parturientis apprehenderunt eam. Ibi gemitus, ibi singultus, ibi suspiria, ibi mœror, ibi dolor, ibi agonia, ibi æstus animi, ibi incendia, ibi mors morte durior ubi vita non tollitur, et mortis angustia toleratur. Pallidus vultus Jesu, exanguem reddidit vultum Genitricis: ille carne, ista corde passa est. Denique contumeliæ et opprobria impiorum in capite materno redundabant. Mors Domini illi amarior morte fuit. Et licet edocta spiritu resurrecturum non ambigeret, necesse illi tamen fuit paternum calicem bibere, et horam suæ passionis non ignorare: de hoc illi prophetante Simeone, dicens: Tuam ipsius animam pertransibit gladius.

℟. Quid tibi sensus fuit, o Mater dolorum?* Dum Joseph sindone Filium tuum involvit, et posuit eum in monumento?

℣. Considerate, et videte si est dolor sicut dolor meus. Dum.

Lectio II.

POTERAT ergo beata Maria illud, quod specialiter Christo convenit exclamare: O vos omnes qui transitis per viam, attendite et videte si est dolor similis sicut dolor meus. O quantus, et qualis dolor! O quæ, et qualis in illo dolore Maria! Et nunc qualis erat, quantum distabat ab illa, quæ olim inter choros angelorum Nato obsequia differebat, Pastoribus glorificantibus, et Magis adorantibus cum oblatione munerum mysticorum? Distabat vero non virtute, sed mœrore, non gratia, sed pressura. Nam virtute augebatur, et multiplicabatur gratia. Propterea in tanta posita adversitate, nec resolvit pudorem vere-

Digitized by Google

cundiæ, nec amisit vigorem constantiæ.

℟. In toto corde tuo gemitus matris tuæ ne obliviscaris, * Ut perficiatur propitiatio et benedictio.

℣. Ave princeps generosa, martyrumque prima rosa, virginumque lilium. Ut. Gloria Patri. Ut.

Lectio III.

STARE namque in illa cordis amaritudine magis adscribitur constantiæ, abstinere a lacrymis summæ verecundiæ adnotatur. Cohibebat illa lacrymas præ pudore, stabat sublimissima quadam animi magnanimitate. Itaque nec dolor excussit lacrymas, nec animum pœna adjecit. Quia hinc pudor honestus, illinc fortis constantia decertabant. Ergo, Fratres charissimi, imitemur matrem Domini, ut inter adversa non obliviscamur verecundiæ, et memores simus constantiæ. Non deerunt tristitiæ, non deerunt adversa, non deerunt tentamenta, et mors ipsa transitum faciet per nos. Velemus animum humili verecundia, et firma constantia. Vivat in morte pudor, et inter gladios animi constantia perseveret. Tunc effecti morum similitudine similes Genitricis Dei, post eam adducemur in templum Regis, et Filii sui.

Hymnus. Te Deum, *vel* Te Matrem Dei.

Digitized by Google

COMMEMORATIONES

SANCTI JOSEPH SPONSI B. M. V.

I.

Ad Benedictus.

Ant. Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus.

℣. Ora pro nobis beate Joseph, etc.

Ad Magnificat.

Ant. Accedite ad me, ego sum Joseph, nolite timere: pro salute enim vestra misit me Dominus.

ORATIO.

DOMINE Jesu Christe, qui beatum Joseph Sanctissimæ Genitricis tuæ Sponsum, ac tuum nutritium eligere voluisti: ejus precibus, et meritis concede, ut Ecclesia tua tranquilla pace lætetur, et perpetua visionis tuæ consolatione perfruatur. Qui vivis et regnas.

II.

Ad Benedictus.

Ant. Cum esset desponsata Mater Jesu Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto.

Ad Magnificat.

Ant. Ite ad Joseph, et quidquid petieritis, vobis obtinebit.

ORATIO.

DEUS, qui beatum Joseph, tuæ Matri Virgini Mariæ matrimonialiter sociari voluisti, ut in virginali conjugio ad deceptionem diaboli custos et nutritius esset: da nobis quæsumus, ut ejus precibus, et meritis ad æterna gaudia pervenire valeamus. Qui vivis.

III.

Ad Benedictus.

Ant. Joseph vir ejus cum esset justus, et nol-

Digitized by Google

let eam traducere, voluit occulte dimittere eam.

Ad Magnificat.

Ant. Memento nostri, beate Joseph, et tuæ orationis suffragio apud tuum putativum filium intercede.

ORATIO.

INTERVENIAT pro nobis, quæsumus Domine, sanctus tuus confessor Joseph: qui etiam Filii tui Domini nostri Jesu Christi Matrem suscepit electam ad parandam tibi plebem perfectam. Qui tecum vivit.

IV.

Ad Benedictus.

Ant. Joseph Fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam. Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est.

Ad Magnificat.

Ant. Beate Joseph, beatissimam Virginem sponsam tuam nobis propitiam redde in necessitatibus nostris.

ORATIO.

DEUS, qui fidelissimo Joseph incomparabilem thesaurum Genitricis tuæ Mariæ servandum tradidisti: tribue nobis quæsumus; ipsius meritis, et precibus terrena despicere, et corda nostra tibi casta tabernacula præparare. Qui vivis.

V.

Ad Benedictus.

Ant. Exurgens Joseph a somno, fecit sicut præcepit ei Angelus Domini, et accepit conjugem suam.

Ad Magnificat.

Ant. Joseph fidelis servus, et prudens, quem constituit Dominus suæ matris solatium, suæ carnis nutritium.

ORATIO.

SANCTISSIMÆ Genitricis tuæ Sponsi, quæsumus Domine, meritis adjuvemur: ut quod possibilitas nostra non obtinet, ejus nobis intercessione donetur. Qui vivis.

VI.

Ad Benedictus.

Ant. Ascendit Joseph a Galilæa de civitate Nazareth in Judæam in

Digitized by Google

civitatem David, quæ vocatur Bethleem.

Ad Magnificat.

Ant. Filius accrescens Joseph, et decorus aspectu: filiæ discurrerunt super murum.

ORATIO.

SIT nobis, quæsumus Domine, hæc beati Joseph commemoratio præsidium salutare; qui pretiosæ sponsæ suæ Virginis matris Filium in præsepio meruit adorare. Per Dominum nostrum.

VII.

Ad Benedictus.

Ant. Surge Joseph, et accipe puerum, et Matrem ejus, et fuge in Ægyptum, et esto ibi usque dum dicam tibi.

Ad Magnificat.

Ant. Consurgens Joseph, accepit puerum et matrem ejus, et secessit in Ægyptum.

ORATIO.

OMNIPOTENS, et mitissime Deus, qui beatum Joseph Virgini tuæ matri sponsum providere dignatus es: da quæsumus, ut ejus precibus et meritis, Ecclesia tua tranquilla pace lætetur, et ad perpetuæ visionis tuæ consolationem æternam perducamur. Qui vivis et regnas.

VIII.

Ad Benedictus.

Ant. Audiens Joseph, quod Archelaus regnaret in Judæa pro Herode patre suo, timuit illo ire.

Ad Magnificat.

Ant. Valde honorandus est beatus Joseph, inter cujus brachia puer Jesus sæpe recubuit.

ORATIO.

DEUS, qui per Angelum tuum beato Joseph sanctissimæ Genitricis tuæ Mariæ partum de Spiritu Sancto ab æterno esse ordinatum revelare dignatus es: ita et corda nostra per ejus intercessionem illumina, ut in cælestibus semper habitare possimus. Qui vivis.

IX.

Ad Benedictus.

Ant. Accepit Joseph puerum, et matrem ejus, et venit in terram Israel.

Digitized by Google

Ad Magnificat.

Ant. Ecce fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam.

ORATIO.

CONCEDE, quæsumus Omnipotens Deus, ut intercessione beati Joseph Sponsi Unigeniti tui Matris, ab omnibus semper adversitatibus liberemur. Per eumdem Dominum nostrum.

X.

Ad Benedictus.

Ant. Admonitus in somnis Joseph secessit in partes Galilææ: et veniens habitavit in civitate, quæ vocatur Nazareth.

Ad Magnificat.

Ant. Vir fidelis multum laudabitur: et qui custos est Domini sui, glorificabitur.

ORATIO.

ADESTO nobis, quæsumus misericors Deus, et intercedente pro nobis beato Joseph confessore tuo, tua circa nos propitiatus dona custodi. Per Dominum nostrum.

XI.

Ad Benedictus.

Ant. Erat Joseph pater Jesu, et mater mirantes super his, quæ dicebantur de illo.

Ad Magnificat.

Ant. Respice, beate Joseph, de cælo, et vide, et visita vineam istam, et perfice eam.

ORATIO.

DEUS, qui ineffabili providentia beatum Joseph sanctissimæ Genitricis tuæ sponsum eligere dignatus es: præsta quæsumus, ut quem protectorem veneramur in terris, intercessorem habere mereamur in cælis. Qui vivis et regnas.

XII.

Ad Benedictus.

Ant. In beato Joseph sperate omnis congregatio populorum, et effundite coram illo corda vestra.

Ad Magnificat.

Ant. Memento nostri, beate Joseph, et beatissimam Virginem sponsam tuam nobis propi-

Digitized by Google

tiam redde in necessitatibus nostris.

ORATIO.

DA nobis, quæsumus Domine, beati Joseph Sponsi Genitricis Unigeniti tui Jesu Christi Domini nostri commemorationibus gloriari: ut ejus semper patrociniis sublevemur, et fidem congrua devotione sectemur. Per eumdem Dominum.

XIII.

Ad Benedictus.

Ant. Protector meus Joseph, et cornu salutis meæ, et susceptor meus.

Ad Magnificat.

Ant. Gaude inclyte Joseph, pater Ecclesiæ, præ cunctis patribus ditatus munere, custos Dominicus, et sponsæ Mariæ providus.

ORATIO.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui beatum Joseph putativum patrem Jesu Christi in terris esse constituisti: concede propitius, ut sicut suæ virginitati gloriosam semperque Virginem Mariam Spiritu Sancto desponsatam fuisse dignoscimus: ita ejus precibus adjuti, puris et castis mentibus ad te pervenire valeamus. Per Dominum nostrum.

XIV.

Ad Benedictus.

Ant. O Patriarcha inclyte, nos, Joseph, recto tramite ducas ad cæli sidera.

Ad Magnificat.

Ant. Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus et ego dolentes quærebamus te.

ORATIO.

DEUS, qui electum famulum tuum Joseph virginali palma præmonitum, Virgini ejus sponsæ consociare dignatus es: tribue quæsumus, ut, ejus intercessione, in hora exitus nostri de corpore absque peccati macula abluti, ad te præsentari mereamur. Per Dominum nostrum.

XV.

Ad Benedictus.

Ant. Adjutor est in tribulationibus, et protector omnibus beatus

Digitized by Google

Joseph nomen suum pie invocantibus.

Ad Magnificat.

Ant. Ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, et putabatur filius Joseph.

ORATIO.

DEUS, qui mirabilis in sanctis tuis, mirabilior in beato Josepho, quem cælestium donorum dispensatorem super familiam tuam constituisti: præsta quæsumus, ut cujus nomen devoti veneramur in terris, ejus precibus et meritis adjuti, ad portum salutis feliciter perveniamus. Per Dominum nostrum.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX

Rubrica servanda in Officio B. Mariæ V. . *pag.* VIII
Orationes dicendæ ante et post Officium. . . » X
Absolutiones et Benedictiones dicendæ ante lectiones. . . . . » XI
Officium parvum B. Mariæ V. extra adventum. » XIII
Psalterium Marianum . . . . . » 3
Antiphonæ finales B. M. V. dicendæ post Officium . . . . . » 90
In festo Desponsationis B. M. V. cum sancto Joseph. . . . . » 236
In festo Purificationis B. M. V. . . . . » 252
In festo Annuntiationis B. M. V. . . . . » 268
In festo Visitationis B. M. V. . . . . » 284
In festo Assumptionis B. M. V. . . . . » 300
In festo Nativitatis B. M. V. . . . . » 316
In festo Præsentationis B. M. V. . . . . » 332
In festo Immaculatæ Conceptionis B. M. V. . » 343
In Nativitate Domini . . . . . » 358
In Epiphania Domini . . . . . » 373
In festo septem Dolorum B. M. V. . . . . » 383
Precatio SS. Nominis Mariæ. . . . . » 394

Appendix ad Psalterium Marianum.

Appendix in Festivitatibus B. M. V. . . . » 398
In festo Desponsationis B. M. V. . . . . » 402
In festo Purificationis B. M. V. . . . . » 406
In festo Annuntiationis B. M. V. . . . . » 409
In festo Visitationis B. M. V. . . . . » 412
In festo Assumptionis B. M. V. . . . . » 415
In festo Nativitatis B. M. V. . . . . » 418
In festo Præsentationis B. M. V. . . . . » 421
In festo Immaculatæ Conceptionis B. M. V. . » 432
In Nativitate Domini . . . . . » 434
In Epiphania Domini . . . . . » 444
In festo septem Dolorum B. M. V. . . . . » 452
Commemorationes S. Joseph Sponsi B. M. V. » 460

Digitized by Google

Auctoritatis Ecclesiasticae
permissu.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google